Acquired with the assiſtance of the

Sophia Augusta Brown

Fund

John Carter Brown Library

CBEN.
S328
I


SOLI
GLORIA
Joh. Daniel Preisler, del. Norimb.
Hieronymus Sperling ſculps. Aug. Vind.

RPJCB

PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI SCHEVCHZERI,

Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof.
Academiæ Imperialis Nat. Curioſor. LEOPOLDINO-CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membri.

ICONIBVS ÆNEIS

illuſtrata

procurante & ſumtus ſuppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,

Auguſtano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS Chalcographo aulico.

TOMVS I.

Complectens Tabulas CCXXV.

AVGVSTÆ VINDELICORVM & VLMÆ,
M DCC XXXI.

RPJCB


RPJCB



IOANNES IACOBUS SCHEUCHZER, HELVETIO TIGURINUS, MED. D. MATH. IN LYCEO PATRIO PROF. ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ ADIUNCTUS DICTUS ACARNAN, NEC NON SOCIETATUM REGIARUM ANGLICÆ ET PRUSSICÆ MEMBRUM.

ÆTAT. ANN. LIX.

I. H. Heidegger pinx. *T. Laub sculp.*



Sculptorum palmare decus, PFEFFELIVS, iſta,
Qua vultum ſculptus, cernitur effigie.
Quem mentis dotes, manuum monumenta per orbem
Concelebrant, monſtrant Biblia Sacra Tibi.
Carius haud ornu, meritis non Filius addit.
Dignius, ac ſiſtens vota Patremque ſimul.
Artifices plaudunt, uno domus accinit ore:
VIVE, PARENS, longos proſperitate dies.

Junior.

Georg. de Marees pinxit. Ioan. Georg. Pintz sculp.

JCB

PRÆFATIO
&
INTRODVCTIO
ad
PHYSICAM SACRAM.

PRæfationum, ut Librorum, non eadem eſt ratio, non idem ſcopus: ſunt qui illis, veluti hederis ſuſpenſis vina, commendant labores ſuos: Sunt, qui informant, qui excuſant, præjudicia tollunt; pauci, qui infirmitates atque defectus propalant, plurimi, qui tegunt. Animus mihi eſt, primo ultimoque excepto, ad uſum trahere hæc omnia, & ante omnia exponere inſtituti occaſionem, & modum, quo uſus ſum in eo exequendo.

Accidit, ut ante Luſtra aliquot pro Themate Lectionum Phyſico-Mathematicarum, quas humeris meis impoſuerant Ampliſſimi Gymnaſii noſtri Curatores, Textus Sacræ Scripturæ enodandos ad Philoſophiæ modernæ normam ſuſciperem. Addiderat animum, quòd obſeruauerim Commentatores utplurimùm hærere in Philologiæ Sacræ Cortice, alios fracto putamine nucleos quærere myſticos, multos ea, quæ ſpectant ad Philoſophiam naturalem, vel tractare obiter, vel non ad guſtum, vel peruersè. Ab-

ſterrere equidem debuerat infinitus penè Commentatorum in Libros Sacros numerus, qui vel Pietate ducti, vel ſciendi informandique cupiditate moti, omnia exhauſiſſe videntur, ſed calcar addiderat ſponte currenti innumerus Objectorum numerus, Scripturæ pariter atque Naturæ Abyſſus immenſus, Perſpectiua rerum in infinitum protenſa, imò vel unius rei infinitè varians pro oculi ſitu ratio, ut omninò perſuadere mihi potuerim, ſupereſſe fortè aliquid, ſi non deeſſe, quod explanandis his illisue Textibus aliquam poſſet accendere ſeu lucem ſeu luculam. Tentaui vadum, & per multorum annorum decurſum abſolui penſum, quod mihi propoſueram. Lectionibus aderant ex omni ciuium ordine, docti, indocti, Viri etiam ætate & authoritate graues, pauci, quos vel digitis numeraſſes, Studioſi. Reuelationis ſanctitatem ſociaui pro viribus Naturæ pulchritudini. Ducebat & me, & Auditores admiratio operum diuinorum ad admirationem ipſius Creatoris ut potentiſſimi, ita ſapientiſſimi, & optimi, imo & cultum. Perſuaſus quippe fui dudum, quod vel ex aliis meis Operibus conſtare poteſt abundè, inuenta Phyſica, Mathematica, Medica minimè aſpicienda eſſe oculo vel merè curioſo, vel profano, ſed applicanda eſſe ad Praxin, ad deuotæ Pietatis exercitium, ſanctificandas eſſe ideas, alimentum eſſe dandum non Intellectui ſoli, ſed & Voluntati, & Cordi.

Penſo finito mihi potius laboraſſe, & curioſitati meæ ſatisfeciſſe videbar, quàm Auditoribus. Ut ne cogitauerim quidem de *Phyſica Sacra* edenda unquam, multò adhuc minus de eadem Iconibus illuſtranda. Subnatæ poſtmodùm cogitationes, ut una naſcitur ex alia, de Iconibus jungendis Textui, de eodem reformando, corrigendo, augendo. Audacem juuit Fortuna. Tractaui manibus, luſtraui oculis, Iconum Biblicarum Opera varia, videbam multa & potiora vel merè eſſe Hiſtorica, vel ad Pictorum Sculptorumue genium efficta, malè conformata, ſiniſtrè expreſſa, neque inter tot labores, quibus ſingulis ſuum linquo pretium, offendi, qui Naturam ipſam ſiſteret Creatori decentem, Creaturis ipſis, quarum in Sacro Codice mentio fit, adæquatam. E re itaque fore judicaui, & ad DEI, optimi maximique Creatoris Gloriam, meamque & aliorum Salutem tendere, ſi manum

num admouerem operi, eique nondum tentato hactenus, non Spicilegio, non proin præjudicaturo Operibus hactenus editis. Non immiſi falcem in alienam, ſed agelli proprii meſſem, jure præuentionis gaudens.

Haud abſterruit multorum ex iis, qui ſibi ſolis jus in Scripturam Sacram commentandi arrogant, mos limis oculis aſpiciendi, ſi non atro carbone notandi, quicquid offendunt noui. Non me latebat, Nouitatem circa Articulos Fidei odium parere, ſed & mereri, ſed non circa Speculationes Philoſophicas, niſi tendant ad infirmandos Fidei Articulos, vel peruertendos mores, quo tamen caſu non merentur dici philoſophicæ. Eſſe veritates myſterioſas in Sacro Codice reuelatas ſimiles quodammodo fructui illi vetito Paradiſi, cui inſcriptum: *Noli me tangere;* ſed problematicas alias, nominatim philoſophicas, æquiparandas fructibus aliis, iisque innumeris reliquarum Arborum Paradiſiacarum, quas licuerat & decerpere & guſtare. Reuelationem haud excludere Rationem; ancillæ huic non prohibere Scripturam inquiſitionem veritatis, etiam in Sacris reuelatæ, ſed injungere: dona, quæ nobis conceſſit optimus DEUS, dum φιλαλήθειαν impreſſit cordibus noſtris, haud impendi melius, quàm ſi excolimus Facultates Mentis, ἀναζωπυροῦντες ſcintillas ei reſiduas, admirandorum Creationis & Prouidentiæ operum contemplatores aſſidui: fundari ita Religionem Naturalem, colluſtrari reuelatam. Tendere hujusmodi ſpeculationes ad varios uſus Societatis humanæ, ut bona alia communicatiua. Abuſum, ſi quis forte ab his illisue fuerit tentatus, non tollere legitimum uſum, ut veritati præjudicio haud eſt Mendacium, Pietati Impietas. Stimuli loco, imo præcepti, fuit aureum illud Diui Gentium Apoſtoli Rom. I. 20. τὰ ἀόρατα τοῦ ΘΕΟΥ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ Θειότης. Reſcire cupio ab iis, qui pro poſſe ſuo Rationis lumen vel ſuffocant, vel extinguunt, oculos in præſentia tot magnificorum DEI operum claudunt, Theologiam Naturalem flocci pendunt, num etiam iis opera Creationis manifeſtent potentiam & gloriam Creatoris?

Fuere, quod fateor lubens, ante me magni Viri, qui in hac ipſa deſudarunt Palæſtra, imô in hac illaue materia mihi ipſi fuere

δάδοῦχοι, ſuppeditantes ſubſidia huic ipſi operi, quod publicæ haud inuideo luci, publicæ ſubmitto Cenſuræ. Conſtabit id ex Scriptorum amplo, quem ſubjungam, Catalogo, quibus ſingulis ſuam haud inuideo laudem, imo largior facilis. Valet apud me illud magni *Lipſii* ad *Cap.* I. *Lib.* I. *Monitor. Politic. Lapides & Ligna ab aliis accipio, ædificii tamen extructio & forma tota noſtra. Architectus ego ſum, ſed materiam variè undique conduxi. Nec Aranearum ſanè textus ideò melior, quia ex ſe fila gignunt. Nec noſter vilior, quia ex alienis libamus ut Apes.* Eum præſtolor à Lectore quouis charitatis affectum, ut non mihi imputet plagii, à quo ſum alieniſſimus, crimen, ſi fortè offendat hanc illamue explanationem conformem huic illiue Authori, ſi fortè eum haud nominauero. Exſcripſiſſe quidem vel integras paginas, vel periodos, non citatis Scriptoribus haud memini, ſuam nemini inuidens laudem. Monitum id volo Lectorem ſpeciatim intuitu *Bochartiani Hierozoici*, in quo Eruditionis profundæ & diffuſiſſimæ pelago frequentes me feciſſe nauigationes fateor lubens.

Arduum, fateor, ſuſcepi opus, ob incredibilem rerum & conceptuum varietatem errori obnoxium haud uni. Si quos commiſi, ut erroneum nihil à me alienum confiteor, condonabit eos facile beneuolus Lector, & condonabo ego cenſuram, dummodo certiora quis proferet, quinimo grates habebo maximas, ſi quis, vel hoc ipſo incitatus meo labore orbi erudito ſiſtat meliorem, magisque exaſciatum. Tentaui, quod potui, & paſſim offendi ſyrtes ferme ineuitabiles, adeò profundum materiæ abyſſum, quem bolide ingenii mei explorare haud potui.

Opus elaboraui eâ circumſpectione, ut id absque ſcrupulo legere poſſent omnes Chriſtianæ Religionis Sectæ, imo & qui extra Chriſtianiſmi pomœria viuunt. A controuerſiis, quæ Chriſticolas in partes diſtinguunt, & tantùm non dilacerant, abſtinui, quia mei non ſunt fori, & ne haberet quisquam conquerendi anſam. Myſteria Fidei linquo Theologis, ſectans ea, quæ Intellectus lumini haud ſunt imperuia.

Diſceſſi, quod haud inficias eo, paſſim à priſcæ Eccleſiæ Patribus, ubi vel ἀγεωμετρήτους vel ἀφιλοσόφους ceſpitare vidi, neque celaui

laui errorum fontem, quòd res naturales Rationi ſubjectas ſecundùm literam non ex ea diſciplina, ad quam jure pertinent, declarauerint. Applico illis, vel & modernis Sacri Codicis Interpretibus, ſed Philoſophiæ ſanioris oſoribus, quod *Verulamius de Augm. Scient. Lib. ult. Iſtiusmodi homines non aſſequuntur, quod volunt. Neque enim honorem, ut putant, Scripturis deferunt, ſed easdem potius deprimunt & polluunt.* Nolo autem quidpiam hac animaduerſione detractum ſit vel Pietati, vel Eruditioni, vel Famæ Virorum, quos tanquam columnas ſuſpexit omnis æui Orbis Chriſtianus. Neque ipſis illis inuitis, ſi viuerent etiamnum, fieret opinionum problematicarum & philoſophicarum ad ſanioris philoſophiæ normam reductio.

A literali ſenſu haud recedo, ſed voces in natiuo ſuo ſignificatu Hiſtoriæ Naturali applico, quem in finem à Philologis mutuò peto genuinam Vocum Hebraicarum, Chaldaicarum, Arabicarum, Græcarum, ideam, ab Itineratoribus, Hiſtoriæ Naturalis Scriptoribus, Geographis, Botanicis, Zoologis, Mineralogis Regionum Orientalium indolem, Incolarum conſtitutionem, Plantas, Animalia, Mineralia. Plurimum autem me debere fateor Prænobilis *Franciſci à Mesgnien Meninzki* SS. Sepulchri Equitis Hieroſolymitani, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarii, ac Linguarum Orientalium Interpretis primarii *Lexico* Orientali polyglotto, ex quo haud absque magno labore, vel hunc in uſum *Phyſicæ Sacræ* excerpſi nomina rerum naturalium hodienum Turcis, Arabibus, Perſis, Gentibus aliis Orientalibus uſitata, & quæ huic ſcopo applicare haud potui, in alios *Lexici* inprimis *Animalium* & *Foſſilium* uſus, quæ paro, reſeruo.

Icones parare juſſi, quas ſuppeditat ipſa Natura, quas quidem haurire poteram ex Libraria ſupellectili, ex Muſeo proprio, Pinacothecis Europæ celebrioribus, Nob. *Joh. Henrici Linkii*, Lipſienſis, Amici conjunctiſſimi, qui Serpentum ſuorum nitidiſſimas picturas mecum beneuolè communicauit. Sicubi errauero ipſe, corriget Tabulas beneuolus Lector, & ſtudium hoc ipſum ad altiorem euehet, me congratulante, gradum. Tabulas autem ipſas delineauit, delineatque adhuc, me dirigente, Amicus optimus *Melchior Füesslinus*, qui propriis ſuis inuentionibus, in Arte

Topiaria Magiſter exercitatus, illas condecorat, nominis ſui inſignes promeritus laudes. Tabulas autem ipſas æreas parant, & nominum ſuorum famam, Artisque ſuæ Gloriam perennitati conſecrant Chalcographi peritiſſimi, quorum ſeriem, patriam, vitam Catalogo Scriptorum inuenies ſubnexam.

Lectorem beneuolum neſcire nec volo, nec poſſum, me quidem Authore exaratum eſſe utrumque Textum, Latinum, atque Germanicum, priorem manſiſſe illibatum, talem, qualis prodiit volante, ut inter negotia alia benè multa fieri ſolet, calamo, ſed, ne quempiam abſterreret Heluetica Dialectus, à qua nos totos liberare vix poſſumus, vernaculum fuiſſe correctum, mutatum, imo transformatum in Romano-Germanici Imperii Idioma, paſſim quoque exegeſin ipſam ampliatam, à Viro plurimùm Reuerendo M. *Joh. Martino Millero*, Ulmenſi, Verbi Diuini Præcone in Oppido Leipheim digniſſimo, pientiſſimo, quod quia effectui dedit feliciſſimo, Nationique Germanicæ gratiſſimo ſucceſſu, Viro, ut de Eccleſia & Re Literaria publica aliàs, ita de hoc Opere ſacro, pumeritiſſimo, publicum hoc teſtimonium debeo, & exhibeo, publicas gratulor laudes, & mea qualiacunque ſimul officia obſigno, quæ ipſa ea & juſtiſſima Encomia accumulant Carmina, quibus materiam Textumque exornare voluit omnia, quæ vel ſola ab ipſo ſolo confecta, Pietatis & Artis ſucco plena, optimi Viri ebuccinant laudes. Natus Vir hic amiciſſimus Leipheimi ad Danubium d. 11. Sept. 1691. Patre M. *Joh. Petro Miller*, tunc ibidem Diacono, nunc Eccleſiæ Cathedralis Ulmenſis Miniſtro, & Reipublicæ Eleemoſynario, cui Viro plurimùm Reuerendo pro Filii laboribus publicas me debere grates gratus profiteor, Matre *Anna Catharina*, Pronepti D. *Jacobi Heilbrunneri* ex Linea paterna. Receptus in ſupremam Claſſem Gymnaſii Ulmenſis A. 1704. Studioſus Philoſophiæ 1706. Ciuis Academiæ Jenenſis 1708. Magiſterii laureâ decoratus 1712. Diſputatione habitâ Ulmæ, Præſide Clar. *Johanne Frickio*, S. Theol. Prof. *de Fide Conſtantini M.* 1713. ſalutauit Academias, Wittebergenſem 1714. Lipſienſem 1715. redux domum 1716. ad officium ſacrum promotus 1718. ad Eccleſiæ Leipheimenſis Diaconatum 1719. ad ejusdem Paſtoratum, quo nunc ſumma laude defungitur, 1727.

Primo

Primo loco nominanda fuiſſet Auguſta Vindelicorum, Respublica inde à Romanorum temporibus Artium Scientiarumque culturâ celebratiſſima. Fouet hæc alma Literarum Artificumque Nutrix Nob. *Johannem Andream Pfeffelium*, Virum præſtantiſſimum, qui ipſe ob ſingularem Artis ſuæ peritiam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Chalcographi titulum promeruit jam dudum, & maximâ laude gerit. Suſcepit is pro ſua erga Sacras Literas Pietate, erga Literatos, ipſamque, quâ excellit, Artem affectu totius operis curam & ſumtus, digeſſit & diſpenſauit ita inter Chalcographos Tabulas, variâ rerum multitudine ſeſe commendantes, ut ſingulis dederit ea elaboranda, in quibus præcellit, ſua, qui excellunt in Re Topiaria, Hiſtoria, Hominum, Brutorum, Plantarum figuris, ſuum denique illi, qui donum habent addendi Ornamenta, ad plerarumque Tabularum margines conſpiciunda, omnia non uni, ſingulis ſua, ut ſic prodiret opus chalcographicum omnibus ſuis numeris abſolutum.

In Editione Germanica ſtant Parallelæ Verſiones, Magni *Lutheri*, & *Tigurina*, in Latina *Tigurina* iterum & *Vulgata*, ne quid vel in Frontiſpicio compareat, quod cuipiam ex potioribus Chriſtianæ Religionis Sectis offendiculo eſſe queat. In tractatione autem ipſa, ſemoto partium omnium ſtudio, attendi ubique ad Textum originalem, Hebraicum Veteris, & Græcum Noui Teſtamenti, ne Puncto quidem mutato, ut non haberent, quo offenderentur vel rigidiſſimi Formulæ Conſenſus defenſores. De *Tigurina Latina* id unicum præmonendum mihi eſt, elaboratam eſſe à Viris doctrinâ & pietate excellentibus, magnique habitam ab ipſis Romano-Catholicis. Teſtimonium en! & judicium luculentum, exceptione omni majus *Jacobi Auguſti Thuani*, Præſidis Pariſini, Viri omni laude majoris, quod extat *Hiſtor.* L. XXXV. p. 714. *Obiit ex Peſte, ubi profitebatur, Theodorus Bibliander, Vir multijugæ eruditionis, valde ſenex, cui in munere ſuffectus eſt Joh. Guilielmus Stuckius. Nouæ autem Bibliorum Editioni* A. 1543. *Tiguri publicatæ, quam Leo Judæ inchoauerat, & moriens ut opus perſequeretur, collegis in fidem religioſè adactis tranſcripſerat, ultimam manum impoſuit Bibliander, Conradi Pellicani, & Petri Cholini Tugienſis, Græcæ Linguæ peritiſſimi, operâ adjutus, quam translationem biennio poſt in*

ſua Editione ad veterem adjecit Robertus Stephanus, ſuppreſſa eorum, qui in illa laborarunt, mentione: & Hiſpani Theologi diu poſt recognitam, per Guilhelmum Rouillium denuo Lugduni excudendam curauerunt. Quod eò commemorandum duxi, ut Verſionis tanti apud nos & Hiſpanos ipſos factæ origo cognoſceretur, & inſigne documentum extaret, quid utilitatis ex Aduerſariorum Libris & induſtria, ſi ſemotis odiis charitatem & æquitatem induamus, ad DEI Gloriam capi poſſit. Qui plura deſiderat, legat *Johannis Jacobi Huldrici Vindicias pro Bibliorum Translatione Tigurina aduerſus Jacobi Gretſeri, Monachi è Sodalitio Jeſuitico Ingolſtadiani, Admonitionem nouiter ad exteros proteruâ criminatione emiſſam.* Tiguri, Typ. Joh. Rod. Wolphii, 1616. 4.

De ſequenti proximè Scriptorum *Phyſicæ Sacræ* inſeruientium Catalogo id præmemorare neceſſe habeo, me illos quidem inde à ſat longo tempore conquiſiuiſſe, ſed nec legiſſe omnes, nec vidiſſe, & eorum duntaxat adjeciſſe Biographias, quæ ad meam peruenerunt Notitiam, easque non nimium diffuſas, ne quis defectum paſſim obuium adſcribat ulli vel Authorum vel Operum deſpectui. Ampla proin naſcetur Lectori cuilibet occaſio addendi inſuper, quæ deficiunt. Addere quoque potuiſſem judicium de his illisue Scriptis proprium, ſed ſuperſedere malui, & liberam cuique linquere ſentiendi benè vel malè ut Conſuetudinem, ita Libertatem.

CATALOGUS AUCTORUM
eorumque Scriptorum in hoc Opere commemoratorum.

GUILIELMUS ADER

De Ægrotis Evangelicis Toloſæ 1620. 8. Extat in Tomo IX. Criticorum ſacr.

CHRISTIANUS ADRICHOMIUS, aliàs CHRISTIANUS CRUCIS,

natus Delphis in Belgio 1533. obiit Coloniæ 1585. 19. Jun. ſcripſit præter alia

Theatrum Terræ Sanctæ.

LEO ALLATIUS.

Natione Chius. Juvenis Romam venerat, & ſucceſſu adeò felici ſtudiis humanioribus ſe applicuit, ut gratiam promeruerit ſummorum Pontificum, Gregorii XV. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. quorum primus illum in Germaniam ablegaverat, ut Heidelbergenſem Bibliothecam Romam abduceret, poſtremus Bibliothecæ Vaticanæ præfecit. Obiit, poſtquam in Patria Chio diverſa fundavit Collegia 1667. Anno ætatis 83. Extat eo Authore

De Engaſtrimytho Syntagma. In Tract. Biblicor. ſive Criticor. ſacror. T. VI. p. 331.

PETRUS ALLIX.

Theologus Anglus, Theſaurarius Eccleſiæ Salisburienſis, antehac Præco Divini Verbi Charentonenſis. Revocato Nannetenſi Edicto é Gallia exul 1685. in Angliam transfretavit. Obiit 1717. ſenex.

Diatriba de Anno & Menſe Natali Jeſu Chriſti Lond. 1712. Mem. de Trevoux. 1715. p. 1298.

GEORGIUS ALTMANN, Zoffinganus.

De Gallicinio à Petro in Ædibus Pontificis audito. In Biblioth. Brem. Cl. V. Faſc. III. p. 451.

Ad Locum Act. XVI, 14. *de Lydia Thyatirenſi Obſervationes.* In Bibl. Brem. Cl. V. Faſc. IV. p. 670.

ANASTASIUS, Sinaita.

Presbyter & Monachus Palæſtinus in Monte Sina apud Nicephorum XVII. 29. & in Martyrologio Romano 21. Apr. idem habetur cum Anaſtaſio, qui ab A. 561. Epiſcopus Theopolitanus ſive Antiochenus fuit, A. 570. affectus 23. annorum exilio, reſtitutus A. 593. diem obiit 599. ſed poſterior hic eſt tempore, Μωσῆς νέος à Græcis recentioribus dictus, quia refert narrata ſibi ab Alexandrinis, quæ geſta ſint poſt tempora Eulogii Papæ Alexandrini, qui A. C. 608. obiit, & meminit Johannis Patriarchæ Alexandrini, qui Patriarchatum tenuit ab A. 677. ad 686. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 34. p. 312.

Ἔις τὴν πνευματικὴν ἀναγωγὴν τῆς ἑξαημέρȣ κτίσεως λόγοι ιβ. Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron Libri XII. Ex his ſolus ultimus Græcè editus eſt Lond. 1682. 4. cum verſione Andreæ Dacerii. Priores XI. Latinè extant in Bibl. Patrum Appendice Paris 1579. & in aliis Editionibus.

Περὶ τȣ̃ κατ᾽ εἰκόνα, De Homine ad Imaginem DEI condito. Græcè & Latinè prodiit cura Joh. Tarini Paris 1618. 4. cum Frontonis Ducæi verſione Ingolſtad. 1596. inter Gregorii Nyſſeni opera.

ANONYMI

H. J. F. T.

Conjectura de שעירים *ad illuſtranda Loca* Es. XIII, 21. & XXXIV, 14. Extat in Bibl. Bremenſ. Claſſ. VIII. p. 305.

L. B. J. M.

Σπȣδογέλοιος de Coma Dialogus. Extat in Biblioth. Hiſt. Philol. Faſcic. IX. p. 369.

De שועלי שמשון *ſeu vulpibus Simſonis* Jud. XV, 4. 5. *conjectura.* Extat in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VIII. p. 802.

Der Tempel Salomonis nach allen ſeinen Vorhöfen, Mauren, Thoren, Hallen, heiligen Gefäſſen, Brandopfer-Altar, Ehernen Meer, güldenen Leuchtern, Schaubrodt-Tiſchen, Räuch-Altar, Lade des Bundes, Cherubinen und Stiffts-Hütte Moſis, mit ihrem Zubehör, nebſt allen und jeden in folgender Beſchreibung und beygefügten Kupferſtüken enthaltenen Theilen deſſelben, in einem eigentlichen modell und materiellen Fürſtellung, in dem Wayſenhauſe zu Glaucha an Halle, zu erläuterung ſehr vieler oerter der Heiligen Schrifft A. MDCCXVII. *aufgerichtet.* Halle in verlegung des Wayſenhauſes 1718. 4.

A Deſcription of the Tabernacle, wherein its Form, conſtruction, and all its Parts: Its Curtains, Tapiſtries, coverings, Vails and Hangings: as alſo the Ark of the Covenant, and the chiefeſt Holy Veſſels. viz the Altar of the Incenſe, Golden Candleſtick, Table of the Shew-Bread-Altar, Altar of Burnt-Offering, and the Laver of Braſs, are Shortly and plainly deſcribed. Illuſtrated and adorned with Cuts. London. 1724. 4.

The Temple of Solomon, with all its Porches, walls, Gates, Halls, Chambers, Holy Veſſels, the Altar of Burnt-Offering, the Molten Sea, Golden Candleſticks, ſhew-Bread Tables, Altar of Incenſe, the Ark of the Covenant, with the Mercy-Seat, the Cherubims &c. As alſo the Tabernacle of Moſes, with all its Appartenances according to the ſeveral Parts thereof: contained in the following Deſcription and annexed Copper-Cuts: Erected in a proper Model and material Repreſentation London. 1725. 4.

Meditatio de abuſu Scripturæ Sacræ in aſſignandis Phænomenorum naturalium cauſis. Biblioth. Brem. Cl. V. Faſcic. V. p. 877.

N. F. D.

Epiſtola de Mari Æneo Salomonis, adnexa Eduardi Bernardi de Menſuris & Ponderibus antiquis Libris. Oxon. 1688. 8.

Moſes vindicatus ſive Aſſerta Hiſtoriæ Creationis Mundi aliarumque, quales à Moſe narrantur, Veritas. Adverſus Cl. V. T. Burnetii S. T. D. Archæologias Philoſophicas. Amſtelod. ap. Georg. Gallet 1694. 12.

Three Phyſiological Diſcourſes, concerning 1. *the primitive Chaos and Creation of the world.* 2. *the general Deluge, its cauſes and effects.* 3. *the Diſſolution of the world, and future conflagration.* 1693. 8.

CATALOGUS AUCTORUM.

M. B. M. F. C. J.

Offenbahrung Göttlicher Mayeſtat, darinnen angezeigt wird, wie GOTT der HERR anfänglich ſich allen ſeinen Geſchöpffen mit Worten und Wercken geoffenbahret, und wie er alle ſeine Werck, derſelben Art, Eigenſchafft, Krafft und Würckung in kurtze Schrifft artlich verfaßt, und ſolches alles dem erſten Menſchen, den er ſelbſt nach ſeinem Bildnus geſchaffen, überreicht, welches dann biß daher gelangt iſt. Bey Joh. Wolff Däſchen im Hanawiſchen Buchladen 1619. 4.

APION

Malè *Appius* apud Rufinum. Scripſit in Hexaemeron, teſtibus Euſebio atque Hieronymo. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 1. inter Scriptores deperditos.

MICHAEL ARNOLDUS

De Miraculo ad Siloah. Joh. V, 1-9. Præſ. D. Joh. Friſchmuth. Jen. 1663. 4.

JOH. GUILIELMUS BAIER. S. Theol. D. & Prof. Altorffinus.

De Sapphiro Scripturæ Sacræ occaſione Jobi XXVIII, 6. Reſp. Sebaſt. Jac. Jungendres. Norib. Altorff. 1705. 4.

Diſp. de Behemoth & Leviathan h. e. de Elephante & Balæna.

Trias Quæſtionum ad Diluvii ſacram Hiſtoriam pertinentium. Pro Inaug. Typ. Magni Dan. Mejer Altorff. 1710. 4.

Foſſilia Diluvii univerſalis Monumenta. Reſp. Georg. Chriſtoph. Eichler Norimbergenſi. Altorff. 1712. 4. Lit. Magni Dan. Meyer.

Hoc Argumentum proſequi volebat, ni Mors interceſſiſſet.

Diſſ. Math. ad Exod. XIV. *de Quæſtione, an tempore Tranſitus Iſraelitarum per Mare Rubrum fuerit ordinarius Refluxus ſeu detumeſcentia.* Reſp. Joh. Jacobo Bajero, fratre, ibid. 1713. 4.

Leonhardi Chriſtophori Sturmii verſtändlichen Erklärung der Stellen aus dem Erſten Buch Moſis præfationem ſcripſit moderato Theologo dignam. 1719.

Diſſ. de Cæcitate Pauli ad Act. IX. XXII. XXVI. Reſp. Joh. Hœfler. Beringersdorffio-Norico Altorff. Typ. Magni Danielis Meyeri 1725. 4.

Diſſ. de Excidio Sodomæ. Reſp. Joh. Jacobo Bajero, Fratre.

JOHANNES JACOBUS BAJER,

Præcedentis Frater. Patria Jenenſis. Natus Patre *Joh. Guilielmo Bajero*, Norimbergenſi, S. Theol. Prof. Matre *Anna Catharina*, filia *Johannis Muſæi* celebris pariter Theologi, & *Annæ Margarethæ Forſteræ* A. 1677. d. 14. Jun. A teneris annis Studio Medico, & quod eò ducit, Naturali Hiſtorico operam navavit, Præceptoribus uſus celeberrimis Academiæ Jenenſis Profeſſoribus, *Treunero, Hambergero, Wolffio, Schelhammero, Wedelio, Slevogtio, Crauſio;* Halæ autem *Hoffmanno, Stahlio.* Speciminibus variis Eruditionis planè ſingularis editis A. 1699. profectus Hamburgum, Lubecam, Kilonium, Slesvicum, Fridrichſtadium, Tœnningam, Wismariam, Suerinum, Roſtochium, Rigam. Hinc trajectis Sinubus, Curonico & Codano, Dantiſcum, per Regiomontum; inde per Marchiam Brandenburgicam Berolinum, Wittebergam, Halam. Poſtquam Gradum Doctoralem Jenæ 1700. aſſumſit habita Inaugurali *de Capillis*, inviſit loca inferioris Saxoniæ, Clausthalium, Zellerfeldam, Goſelariam. Brunſuigam, Guelferbytum, Helmeſtadium, Magdeburgum. In Collegium Medicorum Norimbergenſium receptus nupſit filiæ *Joh. Caſp. Bachmejeri* Duc. Wirtenberg. Weilting. Conſiliarii & Secretarii, & *Barbaræ Sabinæ Herpferiæ*, ex qua octo deinceps ſuſcepit liberos, quorum quatuor infantes deceſſerant. Ex reliquis Filia *Suſanna Maria* in matrimonium collocata M. *Sigismundo Jacobo Apino* Philoſ. Prof. Altera Filia *Anna Catharina.* Primus filiorum *Ferdinandus Jacobus.* Alter Herois patris noxa. Norimbergæ dum Artem Medicam felici ſucceſſu profitebatur, nomine Circuli Franconici Ordinum Medicum agens caſtrenſem Pleuritide infectus, Phthiſin vel Hecticam febrem metuens Ratisbonam conceſſit, pedem ibi fixurus; ſed mox ad Profeſſionem Medicam vacantem ex obitu D. *Apini* vocabant Illuſtres Academiæ Altorffinæ Curatores A. 1703. In qua nova Statione A. 1704. primas Lectiones publicas inſtituerat *de Rebus Medicis, quæ in Sacro Codice Novi Fœderis commemorantur*, qui Labor utilis ſimul atque curioſus, ad rem meam præſentem plurimum faciens genuit Specimina doctiſſima infra recenſenda. Societati Imperiali Naturæ Curioſorum, cujus nunc Illuſtris eſt Præſes, digniſſimus χαριεστάτε *Lucæ Schröckii* ſucceſſor, adſcriptus *Eugeniani* nomine. Poſt obitum D. *Brunonis* Theoreticæ ſeu Inſtitutionum Medicinæ cura ipſi fuit demandata, & diſcedente Onoldum D. *Jo. Maur. Hoffmanno* prima Cathedra, Therapeutica Medicinæ pars, cum Chymia & Botanica. Amiſſa conjuge prima, quacum in 19. usque annum vixerat, alteram Thori ſociam elegit *Sophiam Magdalenam Schœneriam* Norimbergenſem. Plura de vita ſua & Scriptis ipſe Illuſtris Præſes in *Biographia Profeſſorum Medicinæ, qui in Academia Altorffina unquam vixerunt* 1728. edita.

Animadverſionum Phyſico-Medicarum in quædam Loca Novi Fœderis D. N. J. C. Specimen primum. Reſp. Ferdin. Jacobo Bajer Altorfino. Altorffi Lit. Magni Danielis Meyer. 1728. 4.

- - - *ſecundum* Reſp. Chriſtoph. Maximil. Cnopff Hersbrucco-Norico. Ibid. 1728. 4.

THOMAS BARTHOLINUS

Fulgens Arctoi, & univerſi Orbis Literati Sidus. Patre natus *Caſparo*, Medico, Philoſopho, & S. Theol. Prof. Regio, matre *Anna Finckia* D. *Thomæ Finckii* filia d. 20. Oct. 1616. Hafniæ. Ex Præceptoribus fuit D. *Paulus Moth*, duorum Daniæ Regum Archiater. In Academia Regia Philologiæ, Philoſophiæ, & Theologiæ Sacræ ſolers transegit. In Arte autem Medica jactis fundamentis A. 1637. cum fratre *Bartholo Bartholino* Prof. poſt Regio Lugdunum Batavorum conceſſit, ubi Præceptoribus uſus in Medicina *Vorſtio, Walæo, Falcoburgo*, in Philologia *Salmaſio, Heinſio, Voſſio, Golio, Boxhornio.* Lugduno relicto Galliam petiit, ibique biennium, inprimis Pariſiis & Monſpelii conſumſit; Hinc in Italiam tranſiit, ubi eum per triennium retinuerunt Patavinæ Muſæ, Anatomiæ, Botanicæ, & Practicæ Medicinæ totum addictum ſub *Sylvatico, Sala, Veslingio.* Viſis reliquis Italiæ urbibus Romæ innotuit *Puteano, Holſtenio, Servio*, Neapoli *Severino, Schipano.* In Sicilia *Caſtello*, ubi lautam obtulit Cathedram Reſp. Meſſanenſis. Viſo Ætna, & Syracuſanorum reliquiis Melitam acceſſit. Reſalutato Patavio per Helvetios Baſileam perrexit, ubi diribitore *Joh. Caſparo Bauhino* A. 1645. Laureâ Doctorali fuit inſignitus. Hinc per Galliam, Belgium & Germaniam A. 1646. in Patriam properavit, ubi 1647. poſt *Longomontani* deceſſum oblata ipſi cathedra, cui acceſſit, in Aulam evocato *Simone Pauli*, Anatomica Profeſſio, quâ Spartâ per 13. annorum decurſum defunctus detexit præter alia Lacteum Thoracis Ductum in Homine, & Lymphatica vaſa. A. 1649. uxorem elegit *Eliſam* conſulis *Chriſtophori Johannis* filiam unigenam, ex qua 5. filiorum & 4. filiarum Pater factus. Filii fuere: *Caſparus* Med. & Anat. Prof. Regius; *Chriſtophorus* Math. Prof. Regius, Regique à Secretis; *Thomas* Hiſtoriæ Patriæ & Polit. Prof. *Johannes* & *Albertus.* Filiæ, *Anna Margaretha* fatis virgo functa, *Margaretha*, *Chriſtiano Muller* Dn. de Katterup. maritata:

tata, *Anna Margaretha*, & *Eliſa Catharina*. A. 1654. *Olao Wormio* in Profeſſione & Magiſtratu Academico ſucceſſit, A. 1656. obeunte Avo materno, *Thoma Finckio*, Facultatis Medicæ Senior & Decanus factus. Variis laboribus publicis & literariis fractus A. 1661. onerum Academicorum vacationem impetravit à Rege, Profeſſoris honorarii titulo adjuncto, in otio negotioſo, empto prædio *Hageſted*, cedro digniſſimis operibus operam navavit. A. 1670. à Friderico III. in Aulam translatus Archiater, quam gratiam eodem anno ſucceſſor Chriſtianus V. ſtipendii acceſſione auxit. Quo ipſo anno, deflagrante ſede ſua Tuſculana, inſignem Bibliothecæ & rariſſimorum Manuſcriptorum jacturam infracto animo tulit, parique fortitudine A. 1675. mortem Conjugis. Hoc anno ſupremo Regio Tribunali adoptatus. A. 1678. ſecundas iniit nuptias cum *Magdalena Rhode*, quacum per biennium vixit. A. 1680. Auguſto Menſe difficultas quædam urinæ in tantum invaluit, ut poſt diem 3. Nov. ſumma acceſſerit virium imbecillitas, cum Appetitu proſtrato. Urina cruenta calculi rodentis indicium dedit. Subſecuta tandem lethalis urinæ ſuppreſſio d. 30. Nov. die tandem 4. Dec. vir immortalis vitam piè & placidè exuit. De ejus vita plura lege in *Joh. Baggeri*, Regiæ Academiæ Prorectoris, *Programmate in obitum Th. Bartholini*; *Wilh. Wormii Oratione funebri* habita A. 1681. *Oligeri Jacobæi* Memoria maximi hujus Daniæ Æſculapii.

De Latere CHRISTI aperto Diſſertatio. Accedunt Cl. Salmaſii & aliorum de Cruce Epiſtolæ. Lugd. Bat. Typ. Joh. Maire. 1646. 8.

De Cruce CHRISTI Hypomnemata IV. 1. *de Sedili medio.* 2. *de vino Myrrhato.* 3. *de Corona Spinea.* 4. *de Sudore ſanguineo.* Hafn. apud M. Marzam. 1651. 8. Extant reviſa cum Lipſii & aliorum Tractatibus de Cruce. Amſt. 1671. 12.

De Morbis Biblicis Miſcellanea Medica. Hafn. 1671. 8. Francof. ap. Dan. Pauli. 1692. 8. quæ Editio eſt tertia. Extant & in Crenii Diſſ. Hiſt. Crit. Phil. Faſc. IV. p. 417.

Paralytici N. T. Medico & Philologico Commentario illuſtrati. Hafn. 1653. 4. Baſil. 1662. 8. procurante Georgio Segero. Inſerti iidem Faſciculo V. opuſculorum, quæ ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectant. Roterod. 1695. Lipſ. ap. Joh. Chriſtian. Wohlfart. 1685. 8. Cren. Diſſ. Hiſt. Crit. Philol. Faſc. IV. p. 309.

S. BASILIUS

Magnus, ὁ μέγας τῆς ἀληθείας διδάσκαλος Zachariæ Mytilenæo, καύχημα τῆς ἐκκλησίας Athanaſio, ὁ ἔνθεος τῆς οἰκουμένης φωςὴρ Gennadio dictus, natus Neocæſareæ, quæ ante Mazaca, in Pontica Cappadociæ Regione circa A. C. 316. Parentibus Baſilio & Emmelia, Avia Macrina: Frater Gregorii Nyſſeni major natu, Naucratii Monachi, Petri Epiſcopi Sebaſteni, & Macrinæ Sororis. In Eccleſia Cæſareenſi Lectoris, Diaconi & Presbyteri muneribus functus Monaſticam vitam prætulit; In Ponti igitur ſolitudines ſeceſſit, ibi Gregorii Nazianzeni ſuaviſſima conſuetudine uſus. Defuncto A. C. 370. Epiſcopo Euſebio ſucceſſit. Obiit A. C. 379. Cal. Januar. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 19. p. 60.

Εἰς τὴν ἑξαήμερον, in Hexaemerum Homiliæ IX. ex quibus pleraque ad verbum expreſſit Ambroſius Libris VI. Latinam Euſtathii verſionem edidit Nic. Faber. Extat ea in Bibliotheca Patrum Paris. 1654. Tomo I. & in Baſilii ipſius Editionibus. Verſio Latina Johannis Argyropuli extat in Baſilii operibus A. 1565. f. Baſ. recognita à Godfrido Tilmanno; Jani Cornarii in Editione Baſilii. 1552. f. Victorini Strigelii Lipſ. 1566. 8.

Εἰς τὸν Παράδεισον. De Paradiſo. Homilia XXIX. ad Gen. II, 8. verterunt Cornarius, & Franc. Combefiſius T. 1. p. 525.

JOH. CHRIST. BAUER, Mœlbis - Miſnicus.

Formatio Avium è Terra, ad Gen. II, 19. Reſp. Salomone Hermanno, Otterwiſch-Miſnico. Lipſ. Lit. Hæredum Brandenburger. 1706. 4.

THEOPH. SIGEFRIDUS BAYER.

De Eclipſi Sinica Liber ſingularis, Sinarum de Eclipſi Solis, quæ CHRISTO in crucem acto facta eſſe creditur, judicium examinans. Regiom. 1718. 4.

JOH. BEAUMONT, junior.

Conſiderations on a Book, entituled the Theory of the Earth. 1693. 4.

BEDA cognomine VENERABILIS

Sacerdos Anglus, ſui ævi eruditiſſimus. Natus A. 672. Girwici in diſtrictu Durhamenſi. Septennis puer prima Scientiarum rudimenta jecit in Cœnobiis D. Petri Weremuthenſi & D. Pauli Girwicenſi. Anno ætatis 19. factus Diaconus, 30. Sacerdos. A. 701. Romam à Sergio vocatus ad dirimendas in Religione lites, ſed in Monaſterio manere maluit, & inſudare literis. Obiit A. 735. die 26. Maji, ætatis 63. Alii annum emortualem volunt 729. 31. 32. 36. 62. 66. 76. Sepultus in Cœnobio Girwicenſi, oſſibus Durhamum translatis. Extant

In Hexaemeron Liber.

De Situ Hieruſalem & Locorum Sanctorum Liber.

De Templo Salomonis Liber.

Opera impreſſa 1545. 1563. Baſileæ. 1612. Coloniæ

MICHAEL BECK

Ulmenſis V. D. M. & Prof. Theol.

Diſſ. de uva magna Cananæa. Reſp. Simone Groſs. Jen. 1679. 4.

SIGISMUNDUS BEERMANN

Paſtor ad SS. Trinit. Ædem. Wolffenb.

Diſſertatio Epiſtolica, in qua clariſſimi viri Dni. Hermanni von der Hardt, Academiæ Juliæ ſenioris, Præpoſiti Mariæberg. Programma de rebus Jonæ placidæ diſquiſitioni ſubjicitur. Wolffenbüttelæ. ap. Gothofr. Freytag 1719. 8.

EDUARDUS BERNARDUS

Anglus natus 1638. Londini ſtudiorum fundamenta jecit, & Oxonii in Collegio S. Joh. Baptiſtæ perfecit, ibi A. 1667. Procurator Academiæ creatus. Lugdunum Batavorum adiit, codices orientales MSS. inprimis Apollonii Pergæi Conicarum Sectionum Libros V. VI. & VII. in Arabico codice perluſtraturus. Oxonium redux à *Chriſtoph. Wrenno* Cathedræ Mathematicæ admotus, mox præbendam à Collegio S. Johannis obtinuit in Surreja Provincia, factusque Capellanus Epiſcopi Bathenſis. Redux ad Cathedram Mathematicam immortuus Libris edendis 1696. 12. Jan. Anno ætatis 59.

De Menſuris & Ponderibus antiquis Libri tres. Editio altera, purior, & duplo locupletior. Oxon. e Theatro Scheldon. 1688. 8.

JOH. CHRISTIANUS BIEL, Brunſuicenſis.

De Purpura Lydia, ad illuſtrandum Locum Act. XVI, 14. *Diſſertatio* in Biblioth. Brem. Claſſ. II. Faſcic. III. p. 409.

JANUS BIRCHERODIUS

Birckerödæ in Zeelandia prope Fridricoburgum natus 1623. Patre Synonymo ibidem Eccleſiaſte. 1635. ad Herlovienſe Gymnaſium miſſus, 1640. Hafniam, 1646. Lugdunum Batavorum, ubi audivit *Salmaſium*, *Heinſium*, *Boxhornium*, alios, 1648. per Belgium inferius in Galliam profectus. 1651. promotus ad Rectoratum Slagelienſem. Novo itinere ſuſcepto in Belgium, Galliam, Germaniam, Helvetiam, domum rediit 1657. Vocatus Hafniam 1658. ad Profeſſionem Philoſophiæ. 1660. ad Græcam. 1668. ad Theologicam, in qua facultate Doctor creatus 1675. obiit 1686.

Anti-Burnetius Hafn. 1688.

Sacrarum Antiquitatum de ortu Mundi veſtigia in Heſiodo aliiſque Poetis Græcis.

CATALOGUS AUCTORUM.

SAMUEL BOCHART

V. D. M. Cadomenſis, patriâ Rothomagenſis, Nobili Stemmate ortus. Pater enim *Renatus Bochart Champigni-Menillet* V. D. M. Rothomagenſis fuit abnepos *Johannis Bocharti*, Conſiliarii Parlamenti Pariſienſis A. 1490. Nepos *Johannis*, qui coram Franciſco I. cauſam Sanctionis Pragmaticæ acriter defendit, filius *Stephani*, & *Eſtheræ du Moulin*, *Petri Molinæi*, Miniſtri pientiſſimi Charentonienſis, filiæ. Quibus Parentibus natus A. 1599. Præcocitas ingenii conſtat ex Carminibus 44. quæ compoſuit in laudem *Thomæ Dempſteri* anno ætatis 13. & publicavit A. 1612. ſub quo ſtudiorum fundamenta jecit. Philoſophiæ operam dedit Sedani, ubi Theſes defendit 1615. & alias Salmurii Præſide *Camerone*. Hunc ſecutus Londinum. A. 1621. fuit Lugduni Batavorum, ubi Arabicæ Linguæ ſeſe applicuit præceptore *Erpenio*. In Gallia ad Miniſterium admiſſus A. 1628. d. 24. Sept. diſputans m. Sept. ejusdem Anni cum Patre Miſſionario in Caſtello Cadomenſi, præſentibus utriusque Religionis viris, lauream reportavit. A Regina Sueciæ vocatus eò profectus eſt comite *Huetio* A. 1652. Obiit Cadomi 16. Maji 1667. Apoplecticus in converſatione erudita: Vir, qui Eruditioni profundiſſimæ junxit modeſtiam ſingularem, animique tranquillitatem. Scripta ejus in manus venerunt Dn. *de Colleville*, Nepotis ex filia unica, nupta Dn. *de Colleville*, ex Familia *de Sueur*.

Phaleg & Canaan ſeu Geographia Sacra. Cadomi 1646. f.

Hierozoicon, ſive bipertitum opus de Animalibus S. Scripturæ, cujus Pars prior Libris IV. de Animalibus in genere, & de Quadrupedibus viviparis & oviparis; Pars poſterior Libris VI. de Avibus, Serpentibus, Inſectis, Aquaticis & fabuloſis Animalibus agit. Cum Indice ſeptuplici 1. Locorum S. Scripturæ. 2. Authorum, qui citantur. 3. Vocum Hebr. Chald. Syriac. Samaritani & Æthiopici Sermonis. 4. Vocum Arabicarum. 5. Græcarum. 6. Romanarum, quæ paſſim explicantur. 7. Rerum. Editio III. *ex recenſione Joh. Leusden*, Lugd. Bat. apud Corn. Bouteſteyn & Jordan. Luchtmans. Traj. ad Rhen. apud Guil. van de Water 1692. fol. Prodiit Editio I. Londini 1663. ap. Joh. Martyri & Jac. Alleſtris, innumeris mendis propter abſentiam Authoris inquinata. II. Francofurti 1675. in qua David Clodius ſe aliquot millia Typorum vitia expunxiſſe teſtatur, præter illa, quæ in numerum Erratorum erant ab ipſo Bocharto relata, & calci Editionis Londinenſis in utroque Tomo annexa. Epitome operis prodiit Franequeræ 1690. Authore Vecſeo, Hungaro.

Collectanea de Paradiſo Terreſtri, Plantis & Lapidibus pretioſis. MSC.

LAURENTIUS DAVID BOLLHAGEN

Stargardienſis S. Theol. Baccal. Eccleſiæ Julinenſis Paſtor, ſynodique Præpoſitus ſubſtitutus.

Diſſ. Inaug. de Templo Judæorum tertio. Præſ. D. Jo. Frid. Mayero, S. Th. P. &c. Gryphisw. 1707. recuſa 1717. Ibidem.

C. J. BOMBLE Eccleſiaſtes Batavodurenſis.

Analyſis, nec non Chronotaxis Apocalyptica ad mentem Cl. viri C. Vitringa in ſuo Commentario Apocalyptico Editionis ſecundæ, Amſt. 1721. 4.

JOHANNES BRAUNIUS

Palatinus, Lutræ Cæſareæ natus 1628. Patre Conſule orbatus ſeptimo ætatis anno, direptâ à Cæſareis urbe, Metas venit, hinc Lugdunum Batavorum, Mercaturæ dicatus, ſed ſuaſu *Conſtantini L'Empereur* & *Cocceji* ad Studia rediit, & ſeptennio Academica clauſit. In Gallia aliquandiu ſubſtitit Lutetiæ & Salmurii. A. 1650. iter inſtituit per Germaniam & Helvetiam, à Gallica Synodo poſtea vocatus in Seelandiam, & ad Delphos 1661. Gallicus præco Neomagienſis, ubi matrimonium iniit, occupatâ à Gallis urbe, multa paſſus, & magna pecuniæ ſumma mulctatus. Obtinuit 1680. Groningæ Cathedram Profeſſionis Theologicæ, & Linguæ Hebrææ, Univerſitati ſimul à ſacris concionibus. Ibi 1708. m. Dec. obiit.

Veſtitus Sacerdotum Hebræorum, ſive Commentarius ampliſſimus in Exodi XXVIII. ac XXIX. & Levit. XVI. aliaque Loca S. Scripturæ quamplurima. Libri II. Amſtelod. ap. Jansſonio-Waesbergios, Dan. Elſevirium, viduam J. à Someren & Henr. & Theod. Boom. 1680. 4.

BUDAS

Scripſit de LXX. *Hebdomadibus Danielis* & χρονογραφίαν perduxit usque ad Annum C. 202. Euſeb. VI. 7. Hieron. c. 52. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 1. inter Scriptores deperditos.

THOMAS BURNET

Theologus Anglus, Carthuſianæ Ædi præpoſitus. Obiit 7. Sept. 1715. ſenex.

Telluris Theoria ſacra, originem & mutationes generales orbis noſtri, quas aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectens. Accedunt Archæologiæ Philoſophicæ, ſive Doctrina antiqua de rerum originibus. Amſtelod. ap. Joh. Wolters. 1694. 4.

- - - *Quarta Editio* prodiit Londini 2. voll. in 8. cum triplici Mantiſſa Auctoris 1719.

Reſponſio ad objectiones Eraſmi Warren.

CASPARUS BUSSING

V. D. apud Hamburgenſes Min. Math. P.

De ſitu Telluris Paradiſiacæ & Chiliaſticæ Burnetiano ad Eclipticam recto, quem T. Burnetius in ſua Theoria Sacra Telluris propoſuit, Diſſertatio Mathematica, qua ſimul Obliquitas Eclipticæ à priori demonſtratur. Hamburg. 1695. 4. Typ. Zieglerianis.

JOHANNES BUTEO de BOTEON

Charpejenſis prope Valentiam Delphinatus, ubi in ordinem Monachorum S. Antonii Viennenſis receptus. Ex nobili Germanorum Stemmate natum Thuanus voluit. Delphinatu in Annis 1561. 1562. 1563. per Bella inteſtina vaſtato Romanſium confugit, ubi 1564. ætatis anno 75. ex mœrore obiiſſe dicitur: vel, ut *Chorierus* vult, 1560. in Cœnobio S. Antonii.

De Arca Noæ, cujus formæ capacitatisque fuerit. Inter opera ejus Geometrica. Lugd. 1554. 4.

ABRAHAMUS CALOVIUS

Theologus ex Lutheranis percelebris, natus 1612. 16. Apr. Morungæ in Pruſſia, Patre *Petro*. Studia inter varios Fortunæ jactus proſecutus Thorunii, Præceptoribus *Graſero*, *Meuſero*, *Schallero*, *Gerhardo*, Morungæ ſub *Paulo Riccio*, Regiomonti ſub *Mauritio*, *Cruſio*, *Hoppio*, aliis, ubi adoptatus à *Joachimo Heſſio*. Roſtochii A. 1637. ad dignitates Doctorales & Regiomonti ad Profeſſionem Theologiæ extraordinariam promotus, Dantiſci 1643. in Rectoratu Gymnaſii *Johanni Botſacco* ſuffectus, & cathedræ Eccleſiaſticæ ſimul admotus. A. 1645. colloquio interfuit Thorunienſi. A. 1650. vocatus Wittebergam Profeſſor Theologiæ, ubi Paſtor primarius & Superintendens generalis obiit 20. Februar. 1686. ætatis anno 74.

Diſcuſſio infallibilitatis novæ Chronologiæ Biblicæ Chr. Ravii Mantiſſæ loco Chronico Biblico ſubjuncta, cum & Auctario ſimilis argumenti de Epocha LXX. Hebdomadum Danielis publicata. Præmiſſa eſt Ejusdem προσφώνησις ad Sacrarum Literarum Cultores de variis Scaligeri & aliorum in Chronologia ſacra ab unico infallibili S. Scripturæ Canone divaricationibus, & in eundem ἁμαρτήμασι, ac Chronici ſacri emendatioris neceſſitate & utilitate, nec non Epiſtola Raviana ad Authorem data. Witteb. 1670. 4.

CANDIDUS

In *Hexaemeron* ſcripſit, teſte Euſebio V. 27. & Hiero-

Hieronymo c. 48. ac primus quidem, ſi Nicephoro credimus. Sed præter Philonem Judæum hoc jam fecerat Juſtinus Martyr. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 1. inter Scriptores deperditos.

JACOBUS CAPELLUS

Epocharum illuſtrium Θεματισμοὶ, cum explicatione ſelectiorum aliquot difficilium Scripturæ Locorum. Extant in Biblioth. Hiſt. Philolog. Faſcic. VIII. p. 377.

De Templo Hieroſolymitano.

JOH. SAMUEL CARL

M. D. Archiater Iſenburgenſis.

Diætetica ſacra, Die Zucht des Leibes, zur Heiligung der Seelen beförderlich: aus richtigen Naturgründen, jedoch aller Göttlichen Ordnung gantz gemäſs, vorgeſtellt - - Diætetica particularis 1. Diæt-Ordnung aus H. Schrifft. 2. der Heiligen. 3. der Philoſophen. 4. der Höfe. 5. der Armen. Inter Opuſcula Medicinæ moralis, quæ prodierunt Büdingæ bey Joh Fr. Regelein. 1726. 8.

JOH. BENEDICTUS CARPZOVIUS

Celebris Lutheranæ Eccleſiæ Theologus, Patre ὁμονύμῳ καὶ ὁμοψήφῳ natus Lipſiæ 24. Apr. 1639. ubi Præceptores habuit *Müllerum*, *Rivinum*, *Rappoltum*, *Frankenſteinium*, *Thomaſium*, Jenæ 1655. *Chriſtianum Chemnitium*, *Friſchmuthum*, *Boſium*, Argentorati *Bœclerum*, *Dannhauerum*, *Johannem* & *Sebaſtianum Schmidios*. In itinere per Germaniam innotuit Tubingæ *Wagnero*, Ulmæ *Zeilero*, Ratisbonæ *Urſino*, Norimbergæ *Dillherrio*, Altorffi *Hackſpanio*, Heidelbergæ *Hottingero*, Baſileæ *Buxtorffio*. Lipſiam redux ſtudia ſua Theologica perfecit ſub *Hülſemanno*, *Kromajero*, *Gejero*, *Scherzero*, A. 1662. 1668. 1671. concionator in D. Nicolai Templo, 1674. Archidiaconus, 1679. Paſtor Eccleſiæ D. Thomæ. Concredidit Academia 1665. Profeſſionem Moralium, 1668. Linguarum Orientalium, 1684. Profeſſionem Theologicam. Obiit 23. Apr. 1699.

Ad Nummos cornutum Moſen exhibentes ſchediaſma. Reſp. Paulo Starckio, Variſco. Lipſ. Typ. Joh. Bauer. 1659. 4.

CHRISTOPH. CELLARIUS.

Natus Smalcaldiæ 1638. Academiam Jenenſem, adiit 1656. ubi ſeptennii ſpatio ita profecit, ut in Gymnaſio Weiſſenfelſenſi ei fuerit oblata Profeſſio Linguæ Sanctæ & Moralium, vocatus hinc Rector Weimariam, hinc Zeizam, & Merſeburgum. Tandem ad Profeſſionem Hiſtoriæ & Eloquentiæ in Academia Hallenſi, ubi Director Collegii politiorum Literarum factus. Obiit 1707.

Diſſ. de Magis ex Oriente ſtella Duce Bethlehemum profectis. Reſp. Georgio Beiche Stasfortenſi Magdeb. Halæ Lit. Chriſtiani Henckel. 1704. 4.

OLAUS CELSIUS.

S. Th. D. Lingg. Or. P. Upſalienſis.

A. 1722. Exercitationes tres *de Palma* edere cœpit, quarum I. de illius præſtantia ac nobilitate agit. II. Locum Gen. X, 27. III. Gen. XIV, 7. explicat. Sequentur quatuordecim alia Capita, in quibus agetur de Palmis Elim. Exod. XV, 27. Tabernaculorum Lev. XXIII. & Terræ ſanctæ, Deboræ Jud. IV, 5. Baal Thamar Jud. XX, 33. Palmarum figuris in Templo, de locis Pſ. XCII, 13. Cant. VII, 7. Jer. X, 5. Cant. VII, 8. Apoc. VII, 9. de oppido Thamar. Ezech. XLVII, 19. de Palmis CHRISTO prælatis, deque iis Locis SS. ubi Interpretes Palmam verterunt, quanquam in Textu nullum ejus veſtigium appareat. Bibl. Brem. Cl. VI. p. 748.

Promittit

Diſſertationes *de Olea, Vite, Ficu, atque Moro, & Spinarum ſpeciebus*, quæ in Sacris Scripturis commemorantur. ibid.

ROBERT St. CLAIR.

The Abyſſinian Philoſophy confuted, or Telluris Theoria neither ſacred, nor agreeable to reaſon. Lond. 1697. 12.

GABRIEL CLAUDERUS

D. Medicus Ducalis Saxonicus.

Methodus balſamandi corpora Humana aliaque majora ſine eviſceratione & ſectione huc usque ſolita. Ubi non modò de condituris veterum Ægyptiorum, Arabum, Ebræorum, ac in ſpecie Corporis CHRISTI, ut & Modernorum diverſa proponuntur: ſed etiam modus ſubjungitur, quomodo Cadavera integra ſine exenteratione poſſint condiri. Adnexa item eſt Methodus parandi varias Eſſentias atque Spiritus chymicos extemporaneé, ſine igne aut deſtillatione. Jenæ ap. Joh. Bielke. 1679. 4.

DANIEL CLAUER, Dresdenſis.

Diſſ. Chronologica Prior de Forma Anni Hebræorum *Patriarchali*. Præſ. D. Henr. Klauſing Witemberg. Lit. Gerdeſianis 1716. 4.

- - - *poſterior de Forma Anni Hebræorum Moſaico-Prophetica.* Reſp. Joh. Godofr. Schlegelio. Ib. 1716. 4.

GEORG PHILIPPUS CLEMEN. Smalcalda Haſſus.

Diſſ. Inaug. Med. de Balſamo Evangelico Samaritano. Præſ. D. Joh. Frid. Depre P. Erfordiæ Typ. Groſchianis 1723. 4.

HERMANNUS GIDEON CLEMENS,
Groninganus.

De Mari Æneo Salomonis, ejusque Myſterio. ad Loca 1. Reg. VII, 23-26. & 1. Chron. IV, 2-6. Præſ. D. Lampe S. Th. D. Groning. 1723. 4.

JOHANNES CLERICUS

Diſſ. de Statua Salis, Commentariis in Geneſin adnexa.

ADAM CLOSTERBAUR, Auguſtanus.

Hydrographia cum commentatione Nautica, maximè ex Hebræis Græcisque ſacrarum Scripturarum Fontibus deducta. Præſ. D. Balthaſ. Scheidio S. Th. D. Gr. atque Or. LL. P. Argentorati Typ. Joſiæ Stædelii 1664. 4.

JOH. HENRICUS COCCEJUS.

Accuratior inquiſitio Templi Ezechielis. Amſt. 1692. 4.

BERNARDUS CONNOR.

Med. D. è Reg. ſoc. Lond. & Reg. Coll. Med.

Evangelium Medici, ſeu Medicina Myſtica, de ſuſpenſis Naturæ Legibus, ſive de Miraculis, reliquisque ἐν τοῖς βιβλίοις memoratis, quæ Medicæ indagini ſubjici poſſunt. Ubi perpenſis prius Corporis naturâ, ſano & morboſo Corporis humant ſtatu, nec non Motus Legibus, rerum ſtatus ſuper naturam, præcipuè qui Corpus humanum & Animam ſpectant, juxta Medicinæ principia explicantur. Amſtelod. ap. Joh. Wolters. 1699. 8.

HERMANNUS CONRINGIUS

Natus 1606. d. 9. Nov. Nordæ, Friſiorum urbe, Patre *Hermanno*, Eccleſiæ ibidem Antiſtite, avo *Johanne*, ob Religionem ex Tranſiſalania profugo: Matre *Galatea Copina*, cujus noſter fuit proles nona. Quinto ætatis anno Peſte correptus in malignam ſcabiem incidit, quæ ipſum ita vexavit, ut ante ſextum annum Ludum literarium adire haud potuerit. Anno 1620. Academiam Juliam ſalutavit, heic per biennium commoratus. A. 1625. Lugdunum, ubi & Theologiæ & Medicinæ operam dedit. A. 1632. publicam in Academia Julia Spartam obtinuit. A. 1636. Doctor Medicinæ renuntiatus, eodem anno *Johannis Stuckii* J. C. Filiam ſecundò genitam *Annam Mariam* matrimonio ſibi junxit, quo durante per 40. annos & 7. menſes 11. Liberorum pater factus, Libris, Liberis & opibus auctus. Permutavit Naturalis Philoſophiæ Profeſſionem cum Medica. In Patriam accerſitus A. 1649. ab Ill[ma] Principe Regente Archiatri & Conſiliarii intimi munere ornatus. A. 1650. à Chriſtina Regina in Sueciam ampliſſimis conditionibus evocatus iter eò ingreſſus eſt, & Holmiæ poſt trimeſtre opulentiſſimis donis & Conſiliarii ac Archiatri Regii dignitate affectus reverſus. Promiſerat ei Regina annuum 1600. Thalerorum ſalarium. Sed Sereniſſimi Duces

Brunſuic. & Luneb. ſalario aucto, & oblata civilis Prudentiæ Profeſſione eum retinuerunt. A. 1652. ad Ducatus Bremenſis Archivum inſpiciendum & ordinandum adhibitus, & in Friſiam de rebus ſummis vocatus. A. 1651. homagium à nonnullis Friſiis nomine Principis viduæ recepit. A Carolo Guſtavo Sueciæ Rege in Holſatiam accerſitus Conſiliarius & Archiater 1500. Joachimicorum annuo ſalario promiſſo creatus, ea conditione, ut ſi in Sueciam cum Familia ſe transferre vellet, alterum tantum quotañis enumeraretur. A. 1660. à Sereniſſimo Auguſto Duce Brunſuicenſi & Luneburgenſi in Conſiliariorum numerum adoptatus. A. 1664. à Ludovico Galliæ Rege annuum 1000. Librarum ſtipendium recepit, & ad initia belli cum Belgis ſuſcepti ſervavit. A. 1667. ad examinandas Controverſias inter Electorem Colonienſem & urbem Coloniam vocatus inde ampliſſimis muneribus rediit. A. 1669. Regis Daniæ Conſiliarius ſtatus factus. Obiit vir Juris Naturalis, Gentium, Publici, Philoſophiæ Theoreticæ & Practicæ peritiſſimus, Philologus, Orator, Poeta, Hiſtoricus, Medicus, Theologus, A. 1681. d. 12. Dec.

Paradoxa de Nummis Hebræorum. Extant in Crenii Differt. Hiſt. Crit. Philol. Faſcic. II. p. 41.

De Initio Anni Sabbathici & tempore Meſſis Ebræorum commentariolus. Ibid. p. 302.

DAVID CONSTANT.

Natus Lauſannæ 15. Mart. 1638. in Miniſtrorum ordinem receptus 1660. vocatus mox ad Eccleſiam Cappetanam à Barone de Dhona. Ad Rectoratum Scholæ Patriæ A. 1674. ad Profeſſionem Linguæ Græcæ & Ethicæ 1684. ad Profeſſionem Theologiæ 1702.

L'Arc en ciel, ou Sermon ſur les paroles de la Geneſe IX, 13. 1713. 8.

Tranſitus per Mare Rubrum. Genev. 1690. 4.

Diſſertationes de uxore Lothi, Rubo Moſis & Serpente æneo. 1693. 4.

Diſcours ſur le Figuier maudit. 1700. 8.

JOHANNES CRAIG.

Theologiæ Chriſtianæ Principia Mathematica. Lond. Typ. Joh. Darby. Imp. Timoth. Child. 1699. 4.

RICHARDUS CUMBERLAND

Epiſcopus Petroburgenſis, natus Londini 1632. Studiis in Schola Paulina & Cantabrigiæ abſolutis, Bridgmanni Capellanus factus. Poſt Paſtor Bramtonenſis, quam ſtationem commutavit cum Stamfordienſi in Provincia Lincolnenſi. Ex mœrore ob res ſub Jacobo II. turbatas in gravem incidit morbum, dignus, qui à Guilielmo ad Regium ſolium evecto admoveretur Epiſcopatui Petroburgenſi. Pro ſua Diœceſi adeò vigilans, ut anno ætatis 80. eam viſitaverit. Triennio poſt omni niſu addiſcendæ Linguæ Copticæ incubuit. Obiit Apoplecticus 1719. ætatis anno 87.

De Menſuris & ponderibus Ebræorum Liber.

Origines antiquiſſimæ MSC.

JOH. ANDREAS DANZIUS.

Diſſ. de curatione CHRISTI ſabbathica. Jen. 1699. 4.

ARNOLDUS BACHIMIUS DENSTONIUS, Coſmoſophus.

Panſophia enchiretica, ſeu Philoſophia univerſalis experimentalis, in Academia Moſis primum per VI. prima Capita Libri primi Geneſeos tradita, demum per Ignem examinata & probata 1682.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Orientalium Linguarum, inprimis Arabicæ, quam in Golii ædibus didicit, callentiſſimus. Natus Meurſæ 1612. Patre *Joh. Ottone Deuſingio* in Militia Belgica vexillifero. Accepto in Academia Lugdunenſi Doctoris Medicinæ titulo Groningæ 1638. Matheſeos Prof. fuit denominatus. Hinc 1639. Hardervicum ſeceſſit ad Profeſſionem Phyſicæ & Matheſeos, ac functionem Poliatri. A. 1647. iterum Groningæ Medicus Provincialis, ſimulque Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſor, tandemque 1652. Ill. Comitis Naſſoviæ, *Wilhelmi Friderici*, Friſiæ Gubernatoris, Medicus Aulicus conſtitutus. Obiit Groningæ 1666. ætatis 54.

Diſſ. de Mandragoræ Pomis pro Doudaim vulgò habitis. in Faſcic. Diſſ. ſelect. Groning. Typ. Joh. Colleni. 1660. 12.

HERMANNUS DEUSINGIUS.

Natus 1654. pridie idus Martii Patre *Antonio* Med. Prof. in Academia Groning - Omlandica, *Matre Magdalena Modeſta Scheidmann, Hermanni Scheidmanni* J. C. in ſuprema Imperii Romani Camera judiciali Aſſeſſoris filia, matrona pientiſſima. In infantia ex aquis, miraculo fere, à patre forte accurente extractus. Studiorum ſuorum fundamenta jecit ſub *Chriſtophoro Wittichio, Joachimo Borgeſio, Upmejero, Tobia Andrea.* In Jure Lauream Doctoralem anno ætatis 22. accepit brabeuta *Weſſelo Bertlingio.* A. 1677. Ab ordinibus Groningæ A. 1682. electus Profeſſor Juris & Græcæ Linguæ, quam Spartam, ſolis Prælectionibus jam ante conceſſis contentus, non acceptavit. Perluſtravit hinc Belgium & Germaniam. Groningam redux Philoſophiam Juris mirâ μεταμορφώσει convertit in *Demonſtrationem Allegoriæ Hiſtoricæ Veteris & Novi Teſtamenti*, & occaſione *trium Diſſertationum de Myſterio SS. Triados*, quam ut Allegoriæ Hiſtoriarum S. trigeminæ fontem conſiderabat, omnium odium idque acerbiſſimum in ſe contraxit, ut ſacris ei fuerit interdictum, quanquam ſine ulla aut erroris commonſtratione, aut demonſtratione veritatis. Poſtquam Aquisgranenſibus Aquis fuit uſus, ad perpetuam fere Cephalalgiam diſſipandam, ſeceſſit Drentiam tanquam in Pathmum, ubi Ill. Cœvordiæ & Drentiæ ſatrapa, Baro de Pallant, odium Theologicum deteſtatus, Deuſingium iterum ad ſacram σύναξιν. invitari ac recipi juſſit, præſente Synodo. Inde Groningam rediens à Miniſtris Eccleſiæ Gallicanæ fraternè receptus eſt. Obiit 3. Jan. 1722. *Bibl. Brem.* Cl. V. p. 925. Ex ipſis Deuſingii Literis haud longè à die emortuali exaratis excerpſit hæc Clariſſ. Collector, ſequens Judicium addens p. 936. *Si cui fortè videbitur in illo ſtudiorum genere* (Allegorico - Biblico) *modum tranſiiſſe, id tamen fatebuntur omnes, tantam in eo fuiſſe* ἐν ταῖς γραφαῖς δύναμιν, *quanta in ſui ordinis Viris nunquam, in Theologis inventa eſt rariſſimè.*

De numero Nominis Beſtiæ 666. Biblioth. Brem. Cl. 1. Faſcic. I. p. 155.

Exegeſis Pſalmi XIX. in Bibl. Brem. Cl. II. Faſc. V. p. 773.

Commentarius myſticus in Decalogum & explicatio Myſtica tum Hiſtoriæ de Muliere Hæmorrhoiſſa, & filia Jairi, tum Parabolæ de Epulone divite & Lazaro mendico. Leovardiæ 1700.

Myſterium ἑξαημέρε *Creationis.* MSC.

Commentarius Myſtico Propheticus in omnes CHRISTI *Parabolas, nec non in Parabolam Jothami, cum Allegoria Gideonis & Abimelechi.* II. Vol. MSC.

Commentarius Myſtico-Propheticus in omnia CHRISTI *miracula* MSC.

SALOMON DEYLING.

Paſtor & Superintendens Pegavienſis.

De Die JESU CHRISTI *emortuali.* In Miſcell. Lipſ. Tom. II. Lipſiæ ap. Hæred. Lanckiſianos. 1716. 8.

JOH. DAVID DIETERICUS.

S. Theol. Candid. ordin. Philoſophici in Academia Wittembergenſi Aſſeſſor.

Jobum non eſſe Scepticum adverſus Obſervatorem Halenſem. Reſp. Joh. Lud. Gauſe. Wittemb. Typ. viduæ Gerdeſiæ. 1726. 4.

DIT-

CATALOGUS AUCTORUM.

DITTON.

Diſcourſe concerning the Reſurrection of JESUS CHRIST. Lond. 1713.

JOHANNES DOPPERT. Rector Lycei Sneeberg.

De CHRISTO per Serpentem æneum præfigurato. In Miſc. Lipſ. T. I. apud Hæredes Lanckiſianos. 1716. 8.

ANTONIUS van DRIESSEN

Eccleſiaſtes Rheno-Trajectinus & Groninganus.

Reſponſiones ad viri Nob. & Eruditiſſimi D. Hermanni Deuſingii J. U. D. *dubium motum circa Chronotaxin Apocalypticam, nec non rationes aliquot Regnum millenarium &c. ſollicitantes.* Traj. ad Rhen. 1717. 4.

Over alle de wonderwerken van JESUS, welker Letterzin kortelyk word geopent, en t' bewys voor JESUS Godheyd *en Meſſias ſcap aangedrongen, zynde voornamentlyk de verborgene zin zedig nageſpoort volgends gewiſſe Uitleg-Regelen, en die aanleyding, die de Heyland zelve geeft, waartoe alle de omſtandigheden, en t' verband met de voorige of volgende geſchiedenis in aanmerking komen, en word ook tel kens aangewezen, dat diergelyke verhandelingen op zuivere Godorucht uitlopen. Waar agter bygevoegt zyn de Parabel-Reden der wyze en dwaaze maagden en de intreeds rede in de Academie-kerk von Groningen. &c.* Utrecht 1717. 4.

Bedenkingen over de Openbaaringe des Apoſtel Joannis, waarby gevoegt zyn de twyfelingen en tegenwerpingen door de Heeren Deuſing en Hartman vortgebragt, en de antwoorden op dezelve. Groning. 1718. 4.

Diſſ. 1. *de myſterio ſextidui & Sabbathi in Hiſtoria Creationis.* 3. *De Sabbatho primo.* 4. *De Juvencæ rufæ litera & myſterio &c.* in Faſciculo Exercitationum, qui prodiit Gron. 1720. 4.

Meditationes in Libri Geneſeos IX. *priora Capita & cap.* XI, v. 1-10. *Quibus ſenſus literalis aperitur, Hiſtoriæ Sacræ Divinitas adſeritur, & ſenſus Myſticos inveſtigatur.* Groningæ 1721. 8.

MELCHIOR DURINGER

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Chronologiæ Prof. Bernenſis, Literatis & piis & infelicibus annumerandus. Natus 1647. m. Apr. promotus ad Sacrum Miniſterium 1667. ad Profeſſiones memoratas 1701. Hypochondriacus, cœlebs, ſolitarius, beneficus, qui quod ex ſuſtentatione habuit reliquum diſtribuit pauperibus. Flagrante incendio ipſis Kal. Jan. 1723. ex tertia contignatione lapſus horâ poſt finiit vitam, poſtquam ſanguinis aliquid ex dextra Aure & ore effluxerat, ætatis Anno 76. Poſuit ei Amicus Epitaphium ſequens:

Mauſoleum hoc, quod aſpicis Viator
Non ex candido Marmore, ſed ex Candore
ipſo ſibi erexit
MELCHIOR DURINGER
V. D. M. & Ling. Sanct. nec non Hiſtor. Eccleſiaſt.
in Gymnaſio Bernenſi Prof. Extraord.
Si de moribus ejus quæris, quidquid candida Virtus
Mortalibus concedere poteſt,
habuit,
Morum probitate, Pietate, Caſtitate, ubique chariſſimus.
Si de Eruditione, quidquid difficile Artes
habent, quod abſconditum temporum
periodi,
quod arduum Orientis Linguæ continent,
Indefeſſo labore & pertinacia ſibi explanavit.
Infauſto tandem obitu, non ſine
maximo bonorum deſiderio,
Graviſſimo lapſu, violentiores flammas
tertio cœnaculo evitaturus,
concuſſus deceſſit Kal. Jan.
CIↃ DCC XXIII.
Poſtquam per Annos LXXVI. DEO
Patriæ, Muſasque amantioribus
Studioſis feliciter, ſibi autem
ſæpius infeliciter vixiſſet.

Chronologia, in qua recenſetur temporum ſeries inde à condito Mundo usque ad hæc noſtra tempora. Baſil. Typ. Jac. Werenfelſii. 1701. 4.

Reflexiones Hiſtorico-Chronologicæ in Loca S. Scripturæ 1. *Petr. I*, 10. 11. 12. *Joh. II*, 20. *Act. VII*, & *XIII.* Reſp. Joh. Jac. Erhardo. Bernæ, Typ. Nic. Em. Haller & Societat. 1711. 4.

DAVID EBERSBACH

De Miraculo ad Siloah. Joh. V, 1-9. Præſ. Joh. Oleario. Lipſ. 1714. 4.

JOH. GOTHOFREDUS ECKHARD

Uratislavienſis.

De קבורות חמור יהויקים *vulgo vom Eſelsbegräbniſs ad Jerem.* XXII, 19. *aliaque Loca illuſtranda.* Præſ. M. Mauritio Caſtens. Lipſ. Lit. Imman. Titii. 1716. 4.

CHRISTIANUS am ENDE

Lœsnitio-Schönburgicus.

Diſſ. Inaug. Med. de Medicina CHRISTI divina & miraculoſa. Præſ. D. Mich. Alberti Med. P. Halæ. Magdeb. Typ. Joh. Chriſtiani Hendel. 1725. 4.

S. EPIPHANIUS.

Palæſtinus Eleutheropolitanus, Linguarum Hebraicæ, Syriacæ, Ægyptiacæ, Græcæ, & ex parte Latinæ peritus, factus Epiſcopus Conſtantiæ (quæ antea Salamis) in Inſula Cypro ab A. C. 367. ubi tanta Sanctitatis laude vixit, ut ante A. C. 647. Epiphanii nomine Templum jam à Cypriis conſecratum fuiſſe conſtet ex Anaſtaſii Sinaitæ Quæſt. 94. Obiit in Itinere proximus vel etiam major centenario A. C. 403. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 11. p. 414.

Inter ejus opera extant

Περὶ μέτρων καὶ Σταθμῶν, Liber de ponderibus & Menſuris.

De duodecim Gemmis, quæ erant in Veſte Aaronis Liber Græcus & Latinus. Jola Hierotarantino Interprete cum Corollario Conradi Geſneri. Extat in Ejusdem *De omni rerum foſſilium genere.* Tiguri ap. Jac. Geſnerum 1568. 8. Extat quoque in *Matthiæ Hilleri Libro de duodecim Gemmis in Pectorali ſummi Pontificis.* Tubing. 1698. 4. & in Syntagmatis ejus Hermeneuticis 1711. 4.

MICHAEL ERNESTUS ETTMÜLLER.

Med. D. Anat. & Chirurg. Prof in Acad. Lipſ.

An Plantæ venenatæ ante Lapſum Protoplaſtorum extiterint? Acad. Nat. Cur. Ephem. Cent. VII. App. p. 209.

EUSEBIUS.

Pamphili Martyris non filius, vel ſororis filius, nec ſervus, ſed amicus, frater vel conſobrinus Euſebii Nicomedienſis, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus ab A. C. 315. ad 339. vel 340. quo diem obiit ſeptuagenario major. Vir Conſtantino Imp. charus, quem genere etiam longius contingebat, ſua ætate erudiſſimus, Baſilii de Spiritu S. c. 29. judicio *διὰ πολυπειρίας ἀξιόπιστος*, Nicephori Gregoræ L. XIX. Hiſt. p. 592. *τῶν τότε λογίων πρῶτος.* Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 4. p. 30.

Inter inedita extant apud Fabric. p. 104.

Fragmentum de Menſuris & Ponderibus. MSS. Iſaaci Voſſii n. 179.

De Morte Herodis. MS. in Bibl. Baſilienſi.

EUSTATHIUS.

Antiochenus dictus, ex Side Pamphyliæ, Confeſſor, & Fidei Catholicæ adverſus Arianos aſſertor egregius, Epiſcopus Berrhoenſis in Syria Synodo Nicenæ A. C. 325. interfuit, ab eadem Epiſcopus Antiochenus conſtitutus in locum Paulini. Poſtea variis per Arianos petitus calumniis in Synodo Antiochena ab Epiſcopatu depoſitus circa A. 328. in Exilio

 Traja-

Trajanopoli in Thracia diem obiit circa A. 360. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 21. p. 166.

Κατὰ Ὠριγένους διαγνωστικὸς (an *διαγωνιστικὸς*) *ἐις τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου θεώρημα*, de Engaſtrimytho 1. Sam. XXVIII. Diſputatio adverſus Origenem. Vertit & vulgavit Allatius Lugd. 1629. 4. Recuſa in criticis ſacris Anglic. Tomo VIII. & in Tomo XXVII. Bibl. Patr. Lugd. 1677.

EUSTATHIUS

Quidam; non Antiochenus.

Ὑπόμνημα, Commentarius in Hexaemeron, ſive Chronicus Liber potius, incipiens ab Hexaemeri expoſitione, & usque ad tempora Judicum producens Hiſtoriam Sacram. Labbeus in Biblioth. MSS. Librorum p. 77. extendit ad Alexandri M. tempora, ſed hoc Auctarium lucem non vidit, neque Latina verſio Joh. Marianæ. Editus Græcè & Latinè cum Verſione Leonis Allatii Lugd. 1629. 4. Latine in Bibl. Patrum. Lugd. 1677. v. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 21. p. 169.

CONRADUS FRIDERICUS FEUERLIN.

Noriberg.

Diſſ. Inaug. Philoſ. de Miraculis. Præſ. Joh. Henr. Müller Phyſ. & Math. P. Altorff. Typ. Jod. Guil. Kohles. 1714. 4.

SIGISMUNDUS ANDREAS FLACHS.

Tentamen Philologico - Theologicum de Caſu Stellarum in fine Mundi, ad Matth. XXIV, 29. *Marc.* XIII, 25. Præſ. D. Joh. Cypriano S. Th. D. & P. Lipſ. Lit. Schedianis 1718. 4.

WOLFGANGUS FRANZIUS

S. Theol. Prof. Wittenbergenſis, in Arce ibidem Præpoſitus. Natus Plauæ in Voigtlandia 1564. Studiorum ſtamina poſuit Francofurti ad Oderam. Wittenbergæ creatus Profeſſor Hiſtoriarum & Doctor Theologiæ 1598. Superintendens Kembergenſis 1601. Revocatus Wittenbergam ad Theologicam Profeſſionem & Præpoſituram 1605. Apoplexiâ correptus 1620. & iteratâ vice 1628. qua obiit.

Hiſtoria Animalium ſacra, in qua plerorumque Animalium præcipuæ proprietates ad uſum εἰκονολογικὸν breviter accommodantur, cum Commentariis ſeu Supplementis Obſervationum ex recentiori Hiſtoria Naturali Similitudinum, Emblematum, Hieroglyphicorum ad uſum Oratoriæ tum civilis tum Eccleſiaſticæ Operâ *Joh. Cypriani* S. Th. Doct. & Prof. publici ordinarii in Academia Lipſienſi. *Accedunt Indices omnium generum neceſſarii, & inter eos Hodegus Homileticus in gratiam Miniſtrorum verbi & Theol. Studioſorum.* Francof. & Lipſ. ap. Godofr. Leſchium 1712. Anteriores Editiones proſtant Witteb. 1624. 8. 1653. 4. Amſtelod. 1643. 12. ap. Joh. Janſſonium.

ALB. FRIDERICUS FREYER

Weiſſenb. Francus.

Diſſ. Philologico - Mathematica de Mari æneo Templi Salomonei; oder von dem ehernen Meer im Tempel Salomonis; *continens* XV. *Obſervationes.* Reſp. Joh. Paulo Haaſio, Wachſtena-Pappenhemio. Jenæ Lit. Wertherianis. 1715. 4.

- - - - II. *Siſtens Maris Ænei figuram & rationem Diametri ad Perimetrum.* Reſp. eodem 1715. 4.

YVO GAVKES. M. D.

De Diluvio Diſſ. Phyſico - Geometrico - Theologica. In Biblioth. Brem. Claſſ. IV. Faſc. V. p. 798.

Diſſertatio Phyſica de Herode à vermibus exeſo, more Mathematico elaborata ad Act. XII, 23. In Bibl. Brem. Cl. V. Faſc. VI. p. 959.

Diſſertatio Phyſica de Miraculis, more Mathematico elaborata, & Exemplis è Sacra Scriptura depromptis illucidata & confirmata. Biblioth. Brem. Cl. III. p. 581.

DANIEL GERDES.

De tempore Meſſis Hebræorum diſquiſitio, & modeſta ad Celeberrimi D. Joh. Meyeri, Harderovicenſis Academiæ Profeſſoris, animadverſiones Reſponſio Ultraj. 1720. 4.

JUSTUS MARTINUS GLAESENER.

De Euro Palæſtinæ nocivo Exercitatio. In Bibl. Brem. Cl. VII. p. 637.

De Dracone, inſigni Regum Ægyptiacorum ad illuſtrandum Ezech. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. capp. Diatribe. Ibid. p. 976.

ANDREAS GOLDMAYER.

Computus Creationis Aſtronomicus, d. i. Aſtronomiſcher Calculus und kurtze Beſchreibung der wahren Zeit der Erſchaffung Adams und Evä, benebſt deroſelben Leben, Wandel und Todes Fellen, mit angehengter Vergleichung des uralten Albaniſchen und Numaniſchen Calenders mit dem Julianiſchen. Nurnb. 1647. 4.

GEORG. LUDOVICUS GOLDNER,

Gerenſis Gymnaſii Rector.

De Agno Paſchali duas inter veſperas mactando. In Miſc. Lipſ. T. II. Lipſ. apud Hæred. Lanckiſianos 1716. 8.

CAESO GRAMMIUS. Ph. & M. D. P. Græc. Ling.

Aquæ ſupra cœleſtes à multis hactenus Doctoribus ſupra cœlum ſidereum locatæ legitimæ ſedi reſtitutæ. Reſp. Caſp. Schrodero, Bremenſi. Kiloni Typ. Joach. Reimann. 1666. 4.

Quæſtiones Phyſicæ metamorphoſin, qua uxor Lothi in ſtatuam Salinam eſt converſa, explicantes. Reſp. Corn. Janſenio, Tenninga - Holſato. Kil. Typ. Joach. Reimann 1669. 4. recuſæ.

Le GRAND,

Prieur de Neuville-les-Dames & de Preveſſin.

Diſſertationes nonnullas adjecit au Voyage Hiſtorique d'Abiſſinie du P. Jerome Lobo, de la Compagnie de Jeſus. Sexta p. 257. gerit: De la Mer Rouge, & de la Navigation des Flottes de Salomon. Opus integrum eſt impreſſum Pariſiis & Hagæ Comitum apud P. Goſſe & J. Neaulme 1728. 4.

Septimæ Diſſertationis p. 266. Titulus: *De la Reine de Saba.*

ZACHARIAS GRAPIUS.

Diſſ. quæ examinat placita quædam Scripti recentiſſimi ſub Titulo Geologiæ Quæſt. VIII. §. III. Roſtoch. 1700. 1709.

GREGORIUS NYSSENUS.

Baſilii M. Frater, minor ætate, at ingenio & doctrina propemodum par, unde ob Eruditionem *ἐλλογιμώτατος καὶ πάσης παιδείας ἀνάπλεως* Suidæ, ob ſtyli amœnitatem perſpicuitatemque *γλυκύτατος, λαμπρὸς καὶ ἡδονῆς ὠσὶν ἀποστάζων*, Caſaubono, ob auctoritatem, quam in Eccleſia meritis ſuis obtinuit *ὁ τῶν πατέρων πατὴρ, καὶ ὁ τῶν Νυσσαέων φωστὴρ, ἀνὴρ μετὰ τὸν ἀδελφὸν δεύτερος ἔντε λόγοις καὶ τρόποις* appellatur. Ex Lectore Rhetoris functus munere annos natus circiter 40. à Baſilio fratre ordinatus eſt Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus circa initium A. C. 372. Deinde Arianorum odium expertus ſede ſua motus, neque niſi Imp. Valente A. 378. mortuo reſtitutus eſt a Gratiano. Interfuit Concilio Oecumenico ſecundo Conſtantinopolitano A. 381. atque alteri ibidem celebrato 394. De obitu nihil certi conſtat. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 20. p. 143.

Ἀπολογητικὸς περὶ τῆς ἑξαημέρου. Explicatio Apologetica in Hexaemerum, ad Petrum, Sebaſtenum Epiſcopum fratrem. Interprete Laurentio Sifanio extat in Latina operum Nyſſeni Editione Baſ. 1562. fol. Petri Franciſci Zini Veronenſis verſio Venet. 1553. 1574. 8. ſervata in Græco - Latinis Editionibus.

Περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, de opificio Hominis Liber ad eundem Petrum fratrem. *τεῦχος θαυμάσιον* appellat Suidas. Verſio Dionyſii Exigui extat in Latina operum Editione Baſ. 1562. f. Prodiit & Coloniæ 1537. 1551. 1573. Pariſ. 1677. 8. in Analectis Joh. Mabillonii. Interprete Leunclavio Baſil. 1567. 8. ex off. Joh. Oporini.

In verba Gen. I, 26. *faciamus Hominem ad imaginem & ſimi-*

& ſimilitudinem noſtram, Homiliæ duæ. Interprete Petro Franciſco Zino; extant in Græco Latinis Editionibus Venet. 1553. & 1574. 8.

Ad Theodoſium Epiſcopum Epiſtola, *de Engaſtrymitho*, extat cum verſione Frontonis Ducæi. Ingolſtad. 1596. 8.

JACOBUS GRONOVIUS.

Daventriæ natus 1645. Patre *Johanne Friderico Gronovio*, quocum Lugdunum conceſſit, in Literis humanioribus & Jure eruditus, hinc in Angliam transfretavit, ubi perluſtratis Bibliothecis Oxonienſi & Cantabrigienſi innotuit *Pocockio*, *Pearſonio*, *Merico Caſaubono*, aliis. Viceſimo ætatis anno oblata ei Profeſſio Daventriæ, quam recuſavit, alias Terras viſitaturus. Sequenti anno cum Legato Fœderatorum Belgii Ordinum *Paats* in Hiſpaniam conceſſit & Italiam. Ubi interventu Cardinalis Medicei & Magliabechii Chimentello ſuffectus Profeſſor Piſanus Noriſii factus collega. Biennio poſt per Venetias, Patavium, in Germaniam profectus. A. 1679. ad Profeſſionem Lugduno-Batavam vocatus, cui acceſſit A. 1702. Geographi munus. Obiit 1716. ex mœrore ob præmaturum filiæ natu minimæ mortem. Filios reliquit binos, Doctores Medicinæ & Juris. Acres habuit controverſias cum *Fellero*, *Perizonio*, *Iſaaco Voſſio*, *Fabretto*, *Clerico*, *Küſtero*, aliis.

Exercitationes Academicæ de pernicie & caſu Judæ τȣ προδότȣ, habitæ Autumno A. 1682. Lugd. Bat. apud Dan. à Gaesbeck. 1683. 4.

STANISLAUS GRSEPSIUS.

De multiplici Siclo & Talento Hebraico, item de menſuris Hebraicis tam aridorum, quam liquidorum. Præmiſſa eſt Epitome de Ponderibus & Menſuris, quæ apud profanos leguntur Auctores, ex Budæo potiſſimum deſumpta. Extat in Crenii Diſſ. Hiſt. Crit. Philol. Faſcic. II. p. 302.

NICOLAUS GUIBERTUS.

Lotharingus Med. D.

Aſſertio de Murrhinis, ſeu de iis, quæ murrhino nomine exprimuntur, adverſus quosdam de iis minus rectè diſſerentes, opuſculum, in quo multa memorabilia de Myrrha, potionibus, unguentis, & vaſis myrrhinis, potione vini myrrhati, nec non & Aceti CHRISTO Salvatori noſtro porrecta, ac aliis non paucis reconditis adferuntur, plurium errores deteguntur, multa Scriptorum loca tum corrupta reſtituuntur, tum obſcura declarantur. Francof. 1597. 8.

GEORG. HENRICUS HAEBERLIN.

S. Th. D. P. & Superintendens.

Faſciculus Myrrhæ ex Cant. I, 13. *repræſentatus.* Reſp. Joh. Wilh. Baumann. Lendfidelio-Franco Tubing. Typ. Mart. Rommeji. 1690. 4.

BENEDICTUS HAHN.

Diſſ. de Spectro Endoreo. Præſ. Jo. Erneſto Gerhardo Jen. 1722.

JOHANNES ab HAMM.

Exercitationes Philologicæ ſacræ de Ara interiore ejusque Myſterio. Herbornæ Typ. Joh. Nic. Andreæ. 1715. 8.

JAC. ALBERTUS HANSELMANN.

Michelbaco-Hohenloicus è Francis.

De Magis ſtella duce Bethlehemum profectis. Præſ. Joh. Hermanno von Elswich Ord. Philoſ. Aſſ. Wittenb. Typ. Sam. Creuſig. 1716. 4.

HERMANNUS van der HARDT.

Philoſ. Prof. in Academia Helmſtadienſi, opuſcula ſua junctim publicæ exponere luci decreverat, titulo *Ænigmatum priſci Orbis.* Sed ob inſertum Tractatum *de Jona in Carcharia*, ab Aulis prohibitum 100. Imperialium mulctâ fuit punitus, & Exemplaria omnia fiſco tradita. Morem non tantum geſſit Author, ſed & collectaneorum ſuorum volumina VIII. in fol. igne abſumſit, & aliquid cineris cum VIII. Thecis ad Aulam miſit. *Bibl. Brem.* Cl. VII. 74.

De Monumento uxoris Lothi in Ephem. Philolog. Diſc. IV.

JOH. CHRIST. HARENBERG.

Miraculum duplex ad Siloah. Joh. V, 1-9. in Biblioth. Brem. Cl. VII. p. 82.

Schediasma pro indaganda Aquæ ex Siloam hauſtæ antiquitate, ex illuſtrato Loco Eſ. XXX, 29. ibid. p. 105.

De vento in Meridie noxio ad illuſtrandum Pſ. XCI, 6. *obſervatio.* ibid. p. 630.

De modo eruendi Aurum atque Argentum in Arabia & Æthiopia, deſcriptio Jobi XXVIII, 1 - 11. Extat in Bibl. Brem. Claſſ. VIII. p. 93.

De vocibus ארדכון ,דרכמון ,דרכון *ad illuſtranda Loca* 1. Paral. XXIX, 7. Esdr. II, 69. Neh. VII, 70. 71. 72. *Obſervatio.* Extat ibid. p. 623.

Ros Hermonis deſcendens in montes Sionis ex Pſalm. CXXXIII, 3. Extat ibid. p. 970.

JACOBUS HASAEUS

Juris utriusque D. Philoſophiæ moralis in Gymnaſio Bremenſi Prof. obiit Anno vitæ 32. d. 17. Jun. 1721. annuntiante præcocem hanc mortem optimo Fratre in Bibl. Brem. Claſſ. V. p. 386.

De computatione Menſium Paulini Itineris, quod Hieroſolymis Romam ſuſcepit: Ad illuſtrationem Act. XXVII. & XXVIII. *Diſſertatio.* In Biblioth. Brem. Cl. I. Faſc. 1. p. 17.

De תוכיים *quas Claſſis Salomonis & Hirami attuliſſe legitur* 1. Reg. X, 22. & 2. Chron. IX, 21. Diſſert. in Bibl. Brem. Cl. II. Faſc. III. p. 468.

De צלצל רנפים & צלצל קנים *ad illuſtrationem* Job. XL, 31. & Eſ. XVIII, 1. *Diſſ.* in Bibl. Brem. Cl. V. Faſc. IV. p. 563.

De Judaicæ Terræ Depopulationibus per Gazam, Arbe, Jelek & Chaſil. ad Vaticinii Joelis I, 4. II, 25. illuſtrationem, Græcæque Alexandrinorum Interpretum verſionis patrocinium Diſſertatio. In Bibl. Brem. Cl. VII. p. 773.

THEODORUS HASAEUS

De Leviathan Jobi & Ceto Jonæ Diſquiſitio. Bremæ ſumt. Joh. Andreæ Grimm. Typ. Herm. Brauer. 1723. 8.

GOTTHARDUS HEIDEGGER.

Natus Tiguri 1666. 4. Aug. in Alumneto educatus, inde ab A. 1681. S. Miniſterio admotus, 1687. Paſtor fuit S. Margarethæ in Valle Rheguſcæ electus d. 22. Aug. Rorbacenſis 1697. poſt Inſpector Alumnorum, in quo officio demortuus, poſt Hæmorrhoidum fluxum, tandem Hydropicus, A. 1711. vir ob Ingenii ſingularem ſagacitatem & profundam Eruditionem meliori fato, & longiori vita dignus.

Recreationes ſacræ. Tiguri 1711. 8. in quarum Parte Poſteriore comparent *Oratio Publica de Naziræis* V. T. *Prælectiones publicæ* V. *de Raptu & Scolope Pauli. Prælectiones IV. de Creatura Gemente.* Imp. Joh. Finsleri.

JOHANNES HENRICUS HEIDEGGERUS

Theologus Tigurinus, ex Reformatis Celeberrimus, omni meâ ſuſceptori ex Sacro Baptiſmatis fonte debitâ laude major. Natus 1. Jul. 1633. Patre *Hartmanno Heideggero*, Eccleſiæ Urſivillanæ Paſtore, Matre *Magdalena Wagnera*, orbatus illo 1643. hac 1647. Ad exteros communi Eccleſiæ Præſidum conſilio miſſus adiit A. 1654. Marpurgum, hoſpitio, menſa, & inſtitutione *Johannis Crocii* uſus. Heidelbergam pertractus à *Joh. Henrico Hottingero*, Theol. & Lingg. Orientalium Prof. Celeberrimo, amicitiam nunquam intermortuam contraxit cum *Ludovico Fabricio*, Prof. extraordinarius Linguæ Hebraicæ factus, in conſuetudinem *Johannis Freinsheimii* admiſſus, Hottingero in Collegio Sapientiæ regendo adjunctus, A. 1659. Steinfurtum ad Profeſſionem Theologicam & Hiſt. Eccleſ. vocatus, propterea Gradu Doctorali, Brabeuta Hottingero, ornatus. A. 1660. in Patriam reverſus nuptias celebrat cum *Eliſabetha de Duno.* A. 1661. curſorio Itinere in Belgium ſuſcepto innotuit

Perizonio, Gronovio, Grævio, Coccejo, Comenio. A. 1665. diſſipatæ ob Bellum Scholæ Steinfurtenſi valedicit, in Patriam redux Profeſſionem Ethicæ Chriſtianæ ſuſcipit. A. 1667. Hottingero in Profeſſione Theologica Tigurina ſuffectus A. 1676. Lugdunum Batavorum in locum *Joh. Cocceji* ad Profeſſionem Theologicam vocatus, Patriæ Scholæ, intercedente Ampl. Magiſtratu ſervire maluit. A. 1671. jacturam filiæ *Magdalenæ* quartum annum agentis patitur. A. 1681. Groningam Friſiorum ad Profeſſionem Theologicam vocatur. A. 1693. graviſſimo luctu ob improviſam filiæ unicæ *Eliſabethæ* mortem penè oppreſſus. Animam tandem Creatori ſuo & ſervatori reddidit 18. Jan. 1698. varia Fortunæ adverſæ ludibria paſſus. Binos reliquit Filios, *Johannem Jacobum* & - - - *Philippum* Med. D. qui Lutetiæ Pariſiorum A. 1730. obiit.

רָאשֵׁי אָבוֹת *ſive de Hiſtoria Sacra Patriarcharum Exercitationes ſelectæ.* Tomi II. Amſtelod. 1657. 1671. Ultraj. 1683. Tiguri. 1729. ubi ordine XIV. agit *de Longævitate Patriarcharum.* XVII. *de Arca Noæ.*

In Tomo I. *Diſſ. ſelectarum* agit IV. *de Paſchate emortuali* CHRISTI X. *de Pſeudo-Samuele à Pythoniſſa in Endor evocato.*

In Tomo III. Diſſ. VII. de *vitulo Aharonis.* VIII. *de Pœna Moſcholatriæ & reconciliatione Populi.* XV. *de Ficu à CHRISTO maledicta.*

In Tomo IV. Diſſ. IV. *de Miraculis in genere*; VI. *de Miraculis Eccleſiæ Evangelicæ Prior & Poſterior.*

PH. HEINSIUS.

In Gymnaſio Reformatorum Halæ Saxonum P.

De cauſa adductorum Adamo Animantium. De Ara Moſis exteriori. De Ænei diametro maris. De Azazelis appellatione. Extant, præter alia, quæ extra inſtitutum ſunt noſtrum, in Collectione variorum ſcriptorum hujusque tribus Faſciculis. Halæ Magdeb. ex off. Rengerina. 1717. 8.

CHRISTOPHORUS HELVIG

Med. D. Prof. Gryphiswaldenſis.

- - - *Specimen Pharmacologiæ ſacræ de Antimonio, Cicuta & Piſce Magno Tobiæ ſeu Siluro, ex tribus Naturæ Regnis deſumtum.* Reſp. Erich Gottlieb von Seelen, Kedingenſi. Gryphiswald. Typ. Dan. Benj. Starckii. 1708. 4.

- - - Promiſit *Mineralogiam*
Phytologiam } *ſacram*
Zoologiam

ANDREAS HELVIGIUS.

Prodromus Chronologicus, ſeu duæ Diſſertationes 1. *de vulgaris Æræ Chriſtianæ veritate.* 2. *de Feſto Joh.* V. *fueritne Paſcha, & quot numeranda ſint Miniſterii* CHRISTI *Paſchata.* Roſtoch. 1634. 4.

HERBERT, Epiſcopus Herefordienſis.

Some Animadverſions upon a Book intituled, the Theory of the Earth. 1685. 8.

JOHANNES HERBINIUS, Bicina Sileſius.

Diſſertationes de admirandis Mundi Cataractis ſupra- & ſubterraneis, earumque Principio, Elementorum circulatione, ubi eadem occaſione Æſtus Maris reflui vera ac genuina cauſa aſſeritur, nec non terreſtri ac primigenio Paradiſo locus ſitusque verus in Palæſtina reſtituitur, in Tabula Chorographica oſtenditur, & contra Vtopios, Indianos, Meſopotamios aliosque aſſeritur. Amſtelod. ap. Janſſonio-Waesbergios 1678. 4.

CHRIST. AUG. HEUMANN.

Diſſ. de Fato Uxoris Lothi. 1706.

MATTHÆUS HILLER

Wirtemberg. Ducis Conſiliarius & Abbas Regiofontanus.

Hierophyticon ſive Commentarius in Loca Scripturæ Sacræ, quæ Plantarum faciunt mentionem, diſtinctus in duas Partes, quarum Prior de Arboribus, Poſterior de Herbis dicta complectitur. Accedit Præfatio Salomonis Pfiſteri, Profeſſoris Bebenhuſani, continens B. Auctoris Vitam, merita & Libros tam editos, quam MSStos. Trajecti ad Rhenum Typ. Jac. Brœdelet. 1725. 4.

Tractatus de Gemmis in Pectorali ſummi Sacerdotis Hebræorum.

Quæſtionum Hebraicarum de Plantis in Scriptura S. memoratis Decas I. & II. 1716.

JOH. WILHELM HILLIGER.

Bileamus, ejusque Aſina loquens, Ex Num. XXII, 21-33. Reſp. Joh. Krücken, Hamburg. Wittemb. Typ. Chriſtiani Schröter 1702. 4.

PAULUS CHRIST. HILSCHER.

SS. Theol. Baccal. & Paſtor Palæo Dresdenſis.

De τριγώνῳ, τετραγώνῳ, πενταγώνῳ, & ἑξαγώνῳ myſtico in Articulo de SS. Trinitate & CHRISTO. In Miſc. Lipſ. Tom. II. Lipſ. ap. Hæred. Lanckiſianos 1716. 8.

S. HIPPOLYTUS

Doctor Eccleſiæ γλυκύτατος καὶ εὐνούστατος, dulciſſimus ac perſpicuus maximè Chryſoſt. Homil. de Pſeudoprophet. T. VI. p. 401. diſcipulus S. Irenæi. Portus Romani, celebris in Arabia Emporii, Epiſcopatum geſſiſſe Stephani le Moyne conjectura eſt, qui Arabem natione fuiſſe contendit, & ultra Alexandri Severi tempus ad Philippi Arabis usque, qui A. C. 244. regnare cœpit, Imperium ætatem produxiſſe. Martyrium Aquis, ut ajunt, merſi celebrant Martyrologia 22. Aug.

Ἐις τὴν ἐγγαστρίμυθον. *De Saule & Pythoniſſa.* Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 1. p. 203. 209. Inter Scripta deperdita.

Ἐις τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον. Euſeb. VI. 22. Inter deperdita.

JOH. ESAIAS HOECHSTETTER

Weiſſenburgo-Noricus.

Diſp. Inaug. qua Aquas ſupra cœleſtes Gen. I, 6. 7. nihil aliud quam Aquas Planetarum eſſe demonſtratur. Præſ. Geörgio Paulo Rötenbeccio Log. ac Polit. P. Altdorff. Lit. Henr. Meyer. 1707. 4.

SAMUEL CHRISTOPH. HOLLMANN

Ordin. Philoſ. Aſſeſſ. & Prof.

Diſſ. Philoſoph. Prior de obligatione Aſtronomi Chriſtiani erga Scripturam S. Reſp. Joh. Phil. Groſs Thurma Miſn. 1725. 4. Vitenberg. Lit. vid. Gerdeſiæ.

Commentatio Philoſoph. de Miraculis & genuinis eorundem Criteriis, aliorumque quorundam de iisdem ſententiis. 1728.

HOOPER.

Bathonienſium & Wallenſium Epiſcopus.

An enquiry into the ſtate of the antient Meaſures, the Attik, the Roman, and eſpecially the Ihewish. with an Appendix concerning our old Engliſch Money and Menſures of content. Lond. 1721. 8.

JOANNES HOPKINSON, Anglus.

Synopſis Paradiſi, ſive Paradiſi deſcriptio, ex variis diverſarum tum Linguarum tum Ætatum Scriptoribus deſumpta, cum Chorographica ejusdem Tabula. Extat in Crenii Diſſ. Hiſt. Crit. Philol. Faſcic. II. p. 1.

SAMUEL HORTINUS

Bernenſis. Samuelis Hortini Paſtoris Oberwilani Filius.

Diſſ. Philoſ. Theol. de Miraculis. Præſ. D. Samuele Scheurer. S. Th. Prof. Bern. Typ. Ill. Reip. 1728.

HOSIUS

Cordubenſis ultra 60. Annos Epiſcopus, cum pluribus Synodis Catholicis interfuiſſet, Nicænæ verò A. 323. & Sardicenſi A. 347. etiam præfuiſſet, poſtea prævalentibus ſub Conſtantio Arianis ad horam ceſſit. Diſceſſit è vita major centenario A. C. 361.

De interpretatione Veſtium ſacerdotalium, quæ ſunt in Veteri Teſtamento, opus egregio ſenſu & ingenio elaboratum. Iſidorus Hiſp. de Scriptoribus Eccleſ. c. 1. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 24. p. 399.

JOHAN-

CATALOGUS AUCTORUM.

JOHANNES JACOBUS HOTTINGERUS.

Natus 1652. ineunte Decembri, Parentibus *Johanne Henrico Hottingero*, Lingg. Orient. Hiſt. Eccleſiaſt. & Logicæ Prof. Publico in Lyceo Tigurino, Matre *Anna Huldrich*, *Henrici Huldrici*, Diaconi ad Spiritum S. Filia unica. Primitias ſtudiorum poſuit Heidelbergæ, quo optimus Pater 1655. ab Electore *Carolo Ludovico* ad Profeſſionem Theologicam & Inſpectoratum Collegii Sapientiæ fuit vocatus. Redeunte Patre Tigurum, declarato Profeſſore Theologiæ 1661. Filius heic quoque ſtudiorum ſuorum curſum fuit proſecutus, 1670. menſe Auguſto, comite *Antonio Klinglero*, inviſit Baſileam, 1671. Cantones Catholico-Romanos, Baſileæ inde à menſe Auguſto 1672. ad 5. Dec. 1673. hoſpitio Antiſtitis *Lucæ Gernleri* uſus & informatione *Rodolphi Wetſtenii* & *Job. Zuingeri*; 1673. propoſuerat ſibi adire Academiam Marpurgenſem, ſed ob bellicos tumultus Germaniæ tunc fatales conſilium mutare & Baſileam iterum adire conſultius duxit. Hinc 1675. menſe Febr. ſocio *Godofredo Urſino*, Dantiſcano (qui Lutetiam profecturus Genevam inter & Lugdunum aquis fuerat ſuffocatus) Genevam tendit, ubi innotuit *Philippo Meſtrezatio*, *Ludovico Tronchino*, *Franc. Turretino*, *Franc. Burlamachio*, *Benedicto Calandrino*, *Reinharto Vitriario*. Inde Tigurum redux 12. Jan. 1676. rationem reddidit ſtudiorum, Martio ſequente in Ordinem V. D. Miniſtrorum receptus. 1677. ad Stallikonenſem Eccleſiam vocatus, matrimonium iniit cum *Eliſabetha Lavatera*, *Johannis Lavateri*, Prof. Philoſ. & *Eliſabethæ Oeriæ* filia: hæc ipſi peperit aliquot proles, ex quibus ſuperſunt *Johannes Jacobus*, Eccleſiæ Cathedralis Diaconus, *Anna Eliſabetha*, *Joh. Jacobi Gesneri*, Examinatoris & Prætoris Conjux, & *Joh. Henricus*, Mercatorii Ordinis & Capitaneus. A. 1686. 1. Jun. promotus Stallikonenſis Paſtor ad plebanatum Eccleſiæ Cathedralis Tigurinæ, 1698. ad Profeſſionem Theologicam; d. 1. Mart. 1721. orbatus chariſſima conſorte, & 20. Maji 1701. Filio *Johanne*, d. 14. Aug. 1729. ſiniſtri Oculi affectu paralytico tactus, inde tamen adeo feliciter, quæ DEI eſt gratia, liberatus, ut ineunte A. 1730. Lectionibus Diſputationibusque publicis & ſtudiis privatis vacare potuerit. *Johanni Henrico Heideggero*, Profeſſori Theologiæ, ſuffectus, quâ ſtatione adhuc per DEI gratiam ſumma cum laude defungitur.

Exercit. Theol. de Miraculis JESU CHRISTI Reſp. Henr. Murero, Jac. Dæniker, Jac. Cellario, Caſp. Grimm, Jona Kunzlin Vitod. Petro Glaron & Leonh. Luchſinger. Tig. Typ. Dav. Geſsner. 1713. 4.

Exercitationis Theol. de Miraculis JESU CHRISTI *Pars poſterior, ſeu Sectio* IV. *quæ porismatica eſt, Miraculorum* CHRISTI *veritatem, Antichriſtianorum falſitatem & vanitatem aſtruens.* Reſp. Jac. Hagenbuchio, Henr. Wirzio, Petro Collero, Lud. Breitingero, Joh. Meiſtero, Joſepho Gygero, Caſp. Sulzbergero. Ib. 1716. 4.

Πέντας *Diſſertationum Biblico-Chronologicarum, qua tum ex Indicibus temporis adventui Meſſiæ adſignati, præcipue in LXX. Hebdomadibus Danielis, tum ex SS. Evangeliſtarum de Johanne, CHRISTO & Paulo Hiſtoria, JESUM & in plenitudine temporis natum, & CHRISTUM eſſe adverſus Judæos demonſtratur, & Sacri etiam Codicis ſinceritas paſſim defenditur. Accedit Appendix triplex: 1. de Samaritanis primis, eorumque in Syriam deportatione, 2. de novis ex Aſſyria miſſis Samariæ incolis, 3. de XII. Tribuum diſperſione*, Traj. ad Rhen. 1723. 8. *Præfationem de Chronologia Sacra ejusque Scriptoribus* præmiſit Frid. Adolphus Lampe, SS. Th. D. & Acad. Trajectinæ Prof.

SOLOMON HOTTINGERUS

Magni *Johannis Henrici Filius*, in Schola Tigurina Phyſices Profeſſor, & capituli Thuricenſis Canonicus, vir multis nominibus, Pietate, Eruditione, Experientiâ mihi, diſcipulo, colendiſſimus. Med. D. renuntiatus d. 19. Mart. 1672. Baſileæ, Diribitore *Johanne Rodolfo Burcardo*. Obiit 1713.

Βροντολογία *Phyſico-Sacra, ſeu Diſſertatio de Fulmine, hujus Naturam in genere ſecundum ſuas cauſas & affectiones proponens.* Reſp. quatuor Philoſ. candidatis. Tigur. 1698. 4. Typ. Bodomer.

- - - *ſpecialis, potiora Fulminis Adjuncta, Fulgur, Tonitru & Ictum fulmineum* ἰδικῶς *ſiſtens.* Reſpp. ſeptem Philoſ. Candidatis, ibid. 1700. 4.

Specimen Phyſiologiæ Sacræ. Reſpp. Huldr. Weker & Henr. Kölliker. Tig. Typ. Bodmer. 1704. 4.

Phyſica Generalis & ſpecialis juxta Creationis Hiſtoriam ex Gen. cap. I. κατ' ἐπιτομὴν *propoſita.* Reſp. Joh. Jac. Grobio. Tig. Typ. Geſsner. 1706. 4.

- - - *Biographia Phyſico-Sacra, ſeu Diſſ. de vita, hujus natura, eſſentia, intervallis ſeu ætatibus, cumprimis etiam de incommodis Senii, juxta illuſtrem Locum Eccleſ.* XII, 3-8. *tandem de oppoſita vitæ Morte.* Reſpp. Felice Wyſſio, Joh. Rod. Eberhardo, Joh. Caſp. Rinngglino, Dieth. Meyero, Joh. Jac. à Birch, Caſp. Fueslino, Huldr. Wyſſio, Caſp. Schinzio, Joh. Rod. Secholzer. Tig. Typ. Geſsner. 1706. 4.

Liber Naturæ ex Pſalmo XIX, 1-7. *propoſitus.* Reſpp. Joh. Caſp. Sprynglin, Joh. Henr. Dentzler. ib. Typ. Dav. Geſsner. 1711. 4.

JOHANNES CONRADUS HOTTINGERUS.

Johannis Conradi, Pharmacopœi expertiſſimi, Filius, Magni *Joh. Henrici* Nepos V. D. M. Höngganus, in qua ſtatione obiit.

ברכת בית אשרא *ſeu Diſſertatio Philolog. de Piſcina Bethesda, ad Locum Joh.* V, 2. 3. 4. Præſ. D. Joh. Bapt. Ottio, Paſt. Zolliconenſi & Linguæ S. Prof. Tigur. Typ. Geſsner. 1705. 4.

PETRUS DANIEL HUETIUS.

Commentatio de Navigationibus Salomonis.

Tractatus de ſitu Paradiſi. Paris. 1691.

HENRICUS HULSIUS.

Natus Cronenburgi in Ducatu Montano, Patre *Antonio*, Hilda-Montano, Eccleſiæ Cronenburganæ per annos XI. Elverfeldanæ per annos XXIX. Miniſtro, Matre *Margaretha Steinberg*, *Petri Steinbergii*, Paſtoris Medmanniani, filia, 10. Oct. 1654. Prima ſtudiorum fundamenta poſuit in Ludo literario Elverfeldano. A. 1667. Duisburgum miſſus, heic inprimis profecit ad mentem Carteſii & Cocceji, informatione uſus *Jo. Herm. Hugenpothii*. A. 1673. conceſſit Marpurgum. Hinc abiit Lugdunum Batavorum, Harderovicum, ubi Laureâ Doctorali decoratus d. 6. Jul. 1679. Promotore *Samuele à Dieſt*, S. Th. D. A. 1681. vel 1682. commiſſa ei fuit Cathedra Theologica in Academia Teutoburgenſi ad Rhenum. Cælebs vixit ad diem 10. Aug. 1705. quo nuptus *Annæ Mariæ Webrd*, *Caſpari Webrd*, cauponis Amſtelodamenſis, filiæ, quæ Xantippes perſonam egiſſe dicitur. Ea liberatus d. 12. Sept. 1720. adſcivit ſibi d. 24. Aug. 1721. pro Thori ſocia *Gertruden van Eiken* annorum 16. adoleſcentulam, quam, famulam ſuam prius, omnium bonorum ex aſſe heredem conſtituit. Obiit IV. Kal. Apr. 1723. æt. 69. *Biblioth. Brem. Claſſ.* VII. p. 897.

Commentarius in Iſraelis priſci prærogativas ac bona ſub V. T. Diſſert. XV. incluſus, quem ad illuſtrandum ſequuntur materiæ affines XVII. ſectionibus res V. T. *nobiliores complexæ.* Lugd. Bat. 1713. 4. Inter alias Diſſ. invenias ſequentes; *de Hirco Azazel: de Coma Simſonis; de Immolatione Iſaaci: de Femore Jacobi percuſſo & claudicante: de LXX. ſeptimanis Danielis: de purgatione Lepræ, menſtrui & impuri ex mortuo.*

JOACHIMUS CHRISTIANUS JEHRING.

Diſſ. de Regione Tarſchiſch. Extat in Biblioth. Brem. Cl. VIII. p. 78.

CATALOGUS AUCTORUM.

CHRISTOPHORUS IMMIG.

Berechnungs vergleichung zweyer in H. Göttlicher Schrifft, nemlich Gen. XLVI, 27. *und Act.* VII, 14. *ſtreitig anſcheinender Oerter, da die, in dem erſten, ehemals mit dem Ertzvatter Jacob nach Ægypten gekommene und ordentlich gezehlte 70. Seelen in dem andern mit 5. perſonen überſtiegen werden, worüber ſich unterſchiedliche Theologi, Philoſophi und Critici von Zeit zu Zeiten zwar bemühet, deſſen reinen Calculum aber keiner, wie jetzo beſchehen, getroffen und herausgebracht haben.* Dresd. 1722. 4.

JOHANNES

Alexandrinus, Chriſtianus à multitudine Scriptorum, miraque contentione laboris PHILOPONUS dictus, GRAMMATICUS etiam, quoniam fortaſſe Grammaticam Alexandriæ publicè docuit. Auctor SectæTritheitarum, inConcilioConſtantinopolitano A. 681. condemnatus. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 37. p. 358.

Τῶν ἐις τὴν Μωϋσέως κοσμογονίαν ἐξηγητικῶν λόγοι ζ'. Commentariorum in Moſaicam Mundi creationem Libri VII. ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Prodierunt Græcè & Latinè cum Verſione Balthaſ. Corderii, Viennæ 1630. 4.

Diſputatio de Paſchate, ὅτι τῇ τρεισκαιδεκάτῃ τῆς Σελήνης πρὸ μιᾶς τȣ̃ νομικȣ̃ πάσχα τὸ μυςικὸν τȣ̃ κυρίȣ γέγονε δεῖπνον, καὶ ὡς ȣ̓ τὸν ἀμνὸν τότε μετὰ τῶν μαθητῶν ἔφαγεν ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ, *decima tertia Lunæ, pridie Legalis Paſchæ, myſticam Domini cœnam contigiſſe, neque* CHRISTUM *tunc cum diſcipulis Agnum comediſſe.* Libris in Hexaemeron Græcè & Latinè à Corderio ſubjectum legitur. Sub titulo Joannis Damaſceni de Azymis extat in Cod. MS. Biblioth. Coislinianæ, teſte Montfaucono.

JOHANNES LEMOVICENSIS.

Morale ſomnium Pharaonis. Ex MSC. eruit Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius, & Hydraspidi ſuæ adnexuit. Altorff. Imp. Joh. Hofmanni. Lit. Henrici Meyeri. 1690. 4.

CHRISTIANUS JOHRENIUS.

De Morbis Biblicis Novi Teſtamenti. Francof. ad Viadrum. 1704. 4.

JOLA. Hiero-Tarantinus v. Epiphanius.

HIERONYMUS JORDANUS,

Brunſuicenſis, Medicus & Phyſicus Gœttingenſis.

Περὶ τȣ̃ Θείȣ, *ſive de eo, quod Divinum eſt, aut ſupernaturale in Morbis humani corporis ejusque curatione.* Francof. 1651. 4.

JULIUS POLLUX

Chriſtianus Scriptor, diverſus à Julio Polluce, Naucratite Ægyptio, Onomaſtici Authore. Fabric. Bibl. Græc. L. IV. c. 33. p. 491.

Hiſtoria Phyſica in Hexaemeron.

ULRICUS JUNIUS.

Errores Aſtrologorum circa Thema CHRISTI genethliacum. Lipſ. 1701. 4.

S. JUSTINUS MARTYR

Samaritanus, Neapoli Syriæ Palæſtinæ, ſive Sichemo oriundus, Priſci Filius, Bacchi nepos, natus videtur A. C. 89. In omni diſciplina Philoſophorum verſatus, Stoicum primò, mox Peripateticum, deinde Pythagoricum, ac denique Platonicum audivit. Hinc per Senis cujusdam (Polycarpi forte) ſermones accenſus cupiditate CHRISTI doctrinæ pernoſcendæ totum ſe illi dedit, & Chriſtiana Dogmata ore & ſcripto adverſus Judæos Ethnicosque defendit, tandem à Creſcente, Philoſopho Cynico, delatus ſanguine ſuo confirmavit, Martyrium paſſus, Præfecto Urbis Junio Ruſtico, Anno ætatis 74. CHRISTI 163. tertio M. Aurelii Antonini & L. Veri. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 1. p. 51.

Inter deperdita ejus extant

Ὑπομνήματα ἐις ἑξαήμερον. E quibus Loca ſervavit Anaſtaſius L. VII. in Hexaem.

BERNHARDUS PETRUS KARLIUS,
Paſtor Eſenſis.

Conſideratio Reſponſionum Clar. Drieſſenii, Theologi Groningani, ad dubia circa Chronotaxin Apocalypticam & Regnum Chriſti millenarium (Apoc. XX.) *quaſi adhucdum expectandum, ipſi à Nob. doctiſſimoque Viro Hermanno Deuſingio, U. J. D. Clar. & Theologiæ Propheticæ cultore pereximio, nuper mota.* In Bibl. Brem. Claſſ. II. Faſcic. VI. p. 961.

Diatribe de Miraculo Solis vel Umbræ decem lineis per gradus, quos jam deſcenderat in Sciaterico Ahaſi, retrogreſſi, quo Ezechiæ lethaliter decumbenti promiſſa ſanitatis reſtitutio, vitæque in annos XV. prorogatio confirmata legitur, 2. Reg. XX. 2. Paralip. XXXII. & Eſai. XXXVIII. *cum Mantiſſa de Miraculo Solis & Lunæ à Joſua conſiſtere juſſorum,* Joſ. X. In Bibl. Brem. Cl. IV. Faſc. IV. p. 635.

Nova de Hirco ἀποπομπαίῳ, emiſſario, conjectura ad Levit. XVI. coll. Hebr. XIII, 13. In Bibl. Brem. Cl. VI. Faſc. II. p. 225.

JOH. KEILL A. M. Col. Ball. Ox.

An Examination of Dr. Burnets Theory of the Earth, together with ſome Remarks on Mr. Whiſtons new Theory of the Earth. Oxford at the Theater. 1698. 8.

FRID. ERNESTUS KETTNER,

S. Th. D. Diœceſeos Quedlinburgenſis Superintendens, conſiſtorii Aſſeſſor, ad Ædem D. Benedicti Paſtor primarius & Gymnaſii Inſpector.

De Horis Paſſionis JESU. In Miſc. Lipſ. T. IV. Lipſ. ap. Hæredes Lanckiſianos. 1717. 8.

CHRISTFR. KIRCH.

Brevis Diſquiſitio de Eclipſi Solis, quæ à Sinenſibus Anno 7. Quangunti notata eſt. In Miſc. Berolin. contin. I. p. 133.

ATHANASIUS KIRCHER

Soc. Jeſ. Fuldenſis patriâ. Docebat Würzburgi in Franconia, non magni æſtimatus tum propter modicam ſtaturam, tum propter oculorum debilitatem. A. 1631. occaſione irruptionis Suecicæ in Galliam tranſiit, commoratus aliquandiu in Collegio Jeſuitarum Avenionenſi. Hinc Romam tendit, magnamque ſibi ſcriptis ſuis & experimentis laudem comparavit.

Arca Noæ in tres Libros digeſta: quorum 1. de rebus, quæ ante Diluvium, 2. de iis, quæ ipſo Diluvio ejusque duratione, 3. de iis, quæ poſt Diluvium à Noemo geſta ſunt. Quæ omnia nova methodo, nec non ſumma argumentorum varietate explicantur & demonſtrantur. Amſtel. 1675. f.

Turris Babel ſive Archontologia, qua 1. priſcorum poſt Diluvium hominum vitæ, mores, rerumque geſtarum magnitudo, 2. Turris Fabrica, Civitatumque extructio, confuſio Linguarum & inde Gentium transmigrationes cum principalium inde enatorum Idiomatum Hiſtoria multiplici eruditione deſcribuntur & explicantur. Amſt. 1679. f.

GEORGIUS CASPARUS KIRCHMAIER.

Eloquentiæ Prof. Wittenbergenſis, natus 1635. Uffenheimii in Ducatu Anſpachenſi Franconiæ, Patre *Georgio Abele*, Prætore urbis Ducalis. Wittenbergam miſſus 1655. audivit ibi *Joh. Sperlingium* & *Auguſtum Buchnerum*, factus ibi Oratoriæ Prof. 1661. *Phosphori* nomine claruit Phosphori inventor, in Academia Naturæ Curioſorum. Magnæ laudis vir vel ex commercio familiari cum *Bullialdo*, *Hevelio*, *Bœclero*, *Conringio*, *Magliabechio*, præcipuis ſuæ ætatis viris. Brevi ante mortem ſuſcepto in Belgium itinere innotuit *Gronovio*, *Grævio*, *Witſio*. Obiit autem A. 1700.

De Baſiliſco, Unicornu, Phœnice, Behemoth, Leviathan, Dracone, Araneo, Tarantula, & Ave Paradiſi Diſſertationes aliquot. Editio altera locupletior. Witteb. imp. Hæredum Joh. Berger. Typ. Mich. Meyer. 1669. 8. Anterior Editio adnexa eſt Sperlingii Zoologiæ, Lipſ. Imp. Joh. Bergeri 1661. 8.

SIGIS-

SIGISMUNDUS KISSLING. Oetinga-Suevus.

Labor Solis laborante Sole Juſtitiæ. Præſ. M. Joh. Andrea Schmidt Fac. Philoſ. Adj. Jen. Lit. Joh. Jac. Bauhofer. 1683. 4.

KNIBBE.

De Wonderwerken van Moſes verklaart en beweert tegens het hedendags ongelove 1718. 4.

HIERONYMUS KROMAYER.

Spicilegia Math. ſacr.

De Miraculis tam veris quàm falſis, ſeu Divinis & Diabolicis probè dijudicandis, Lipſ. 1610. 4.

ELIAS KUCHLER.

Diſſertatio de Problemate, Verene an Autumno Mundus ſit conditus? Gorlicii 1613. 4. ap. Joh. Rhamba.

JOH. GEORGIUS KUENZLIN, Vitoduranus.

Κοσμοφθορία ſive Diſſertatio brevis Philoſophica de Mundi interitu. Præſ. D. Joh. Lavatero Philoſ. P. Tig. Typ. Dav. Geſsner. 1674. 4.

FRIDER. ADOLPHUS LAMPE

S. Th. D. & in Acad. Ultrajectina Prof.

Theologiæ Hieroglyphicæ ſpecimen primum de Cedro. Reſp. Joh. Jac. Wolphio, Tigurino, Traj. ad Rhen. ap. Guil. van de Water. 1724. 4.

Spicilegium ad Pſalmum XIX. In Biblioth. Brem. Cl. II. Faſc. V. p. 827.

PETRUS LANCASTER

Paſtor Bowdonenſis in Cheſter.

A Chronological Eſſay on the ninth Chapter of the Book of Daniel &c. London. ap. Will. & Joh. Innis. 1725. 4.

JOH. MICHAEL LANGIUS.

Diſſ. Botanico-Theolog. de Herba Borith, cujus Jeremias cap. II, 22. & Malachias cap. III, 2. mentionem faciunt. Altdorf. 1705. 4.

JACOBUS LANSBERG. Med. D.

Apologia pro Commentationibus Philippi Lansbergii in Motum Terræ diurnum & annuum, adverſus Libertum Fromondum, Theologum Lovanienſem, & Joh. Baptiſtam Marinum, Doct. Med. & Pariſiis Math. P. Regium. Middelburgi ap. Zach. Romanum 1633. 4.

PHILIPPUS LANSBERG.

Chronologiæ Sacræ Libri III. In quibus Annorum Mundi ſeries ab orbe condito ad everſa per Romanos Hieroſolyma, novâ methodo atque infallibili ἀποδείξει oſtenditur. Middelburgi ap. viduam & Hæredes Simonis Moulertii 1625. 4.

JOH. HENRICUS LAVATERUS

Tigurinus Med. D. Henrici Filius, obiit 1696.

Κοσμοποιία ſive Diſſertatio de origine Mundi. Præſ. D. Joh. Lavatero, Philoſ. P. Tig. Typ. Dav. Geſsneri 1674. 4.

JOHANNES JACOBUS LAVATER

Helvetio-Tigurinus. Natus d. 30. Oct. 1657. Parentibus *Johanne Lavatero*, Philoſophiæ Profeſſore Celeberrimo, Capituli Thuricenſis Canonico, & *Eliſabetha Deria*, abnepos *Ludovici Lavateri*, Eccleſiæ Tigurinæ Paſtoris primarii. A. 1677. d. 30. Maji ad S. Miniſterium ordinatus, 1684. deſignatur Profeſſor Catecheſeos in Collegio Humanitatis, 1695. additur ei Profeſſio Ethices in Collegio Carolino. Biennio poſt 1697. utramque illam Profeſſionem commutavit cum Profeſſione Artium Logico-Rhetoricarum in Collegio Humanitatis, quod munus 13. continuò annos ſuſtinuit, 1710. d. 8. Sept. Profeſſor Theologiæ in Collegio Carolino creatus, clariſſimi Viri *Joh. Caſp. Wolffii* ſucceſſor, 1725. d. 24. Maji, viribus jam ab aliquo tempore paulatim imminutis, placidâ morte obiit. Conjugem inde ab A. 1687. habuit *Annam, Johannis Schaufelbergeri*, Tribuni Plebis, ac bis Ædilis, filiam, ex qua novem Liberos ſuperſtites reliquit.

Diſp. Theolog. de contemplatione operum Naturæ ſecundum S. Scripturæ manuductionem. Reſp. Andrea Zimmermanno. Aſſum. Joh. Jac. Lavatero. Tig. Typ. Dav. Geſsneri. 1713. 4.

Diſp. de Providentia DEI operativa in Creaturis intelligentibus, ante & poſt illarum à Deo deſertionem, ſine ſibi ipſa in Creatione propoſito nunquam excidente. Ib. 1714. 4.

JOHANNES JACOBUS LAVATERUS.

Johanne Jacobo, Theologo præfato, Patre natus 1694. Miniſtrorum V. D. ordini adſcriptus 2. Oct. 1714. Poſt, Annis 1718. 1719. 1720. 1723. Profeſſoris Extraordinarii munere in Schola Patria functus per Ferias æſtivas *Prælectionibus* publicis memorabiliores *Hiſtorias* in Sacro Codice reperiundas præcipuè *de Regibus rebusve Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Syro-Macedonum, tandemque de Romanis in Syria Præſidibus, Judæaque Procuratoribus*, collatis profanorum Scriptorum de iisdem rebus teſtimoniis partim illuſtravit, partim confirmavit, compluribus Prophetarum vaticiniis huc pertinentibus eadem opera ſubinde enarratis. 1724. Profeſſio vicaria Linguæ Hebrææ in Collegio Humanitatis, eademque ordinaria 1725. d. 24. Maji ipſi decernitur, quam auſpicatus eſt Oratione ſolenni *de Principiis Religionis & Theologiæ Judaicæ.*

LEVINUS LEMNIUS.

Natus in Zirickzee Seelandiæ 1505. Laurea Doctorali in Medicina ornatus, mortuâ uxore, vitam elegit Eccleſiaſticam, obiitque A. 1568. Canonicus. Filius *Wilhelmus* Erici XIV. Sueciæ Regis Archiater, dejecto hoc è ſolio Regio, & bonorum & vitæ fecit jacturam.

Herbarum atque Arborum, quæ in Bibliis paſſim obviæ ſunt, & ex quibus ſacri Vates ſimilitudines deſumunt, ac collationes rebus accommodant, dilucida explicatio: in qua narratione ſingula loca explanantur, quibus Prophetæ obſervata ſtirpium natura conciones ſuas illuſtrant, divinaque oracula fulciunt. Antuerpiæ apud Guil. Simonem 1566. 8.

Similitudinum ac Parabolarum, quæ in Bibliis ex Herbis atque Arboribus deſumuntur, dilucida Explicatio. Antuerp. 1569. 8. ap. Guil. Simonem. Erford. 1581. 8. ap. Eſai. Mechler. 1584. ap. eund.

Similitudinum ac Parabolarum - - Accedunt Franc. Ruei de Gemmis aliquot, iis præſertim, quarum Johannes in Apocalypſi meminit; de aliis quoque, quarum uſus hoc ævo apud omnes percrebuit, Libri II. Levini Lemnii de Aſtrologia Liber I. Francof. 1591. 12. ap. Joh. Wechelum & Petrum Viſcherum.

JOHN LENG

D. D. Rector of Bedington and chapelain in ordinary to his Majeſty.

The natural obligations to believe the principales of Religion and divine Revelation in XVI. Sermons, preached in the Church of S. Mary le Brouw London in the Years 1717. and 1718. at the Lecture founded by the honourable Robert Boyle Eſquire. London. 1719.

JACOBUS JEHUDA LEO, vel LEONITIUS.

Genere Hiſpanus, tranſtulit ſe poſt Middelburgum in Seelandia, vir plurimarum Linguarum peritus, qui aliquot annorum ſpatio inſudavit Templo Hieroſolymitano in Typo minori ex vetuſtiſſimis Monumentis extruendo.

De Templo Hieroſolymitano, tam priori, quod ædificavit Salomo Rex, quàm poſteriori, quod devaſtavit Veſpaſianus, Libri IV. Juſſu & auſpiciis Ser. Principis Dn. Auguſti, Ducis Brunſuicenſium ac Lunæburgenſium ex Ebræo Latinè recenſiti à Joh. Sauberto. Acceſſerunt Editioni huic variæ figuræ ex Ebræorum monumentis deſumtæ, Ærique accuratiſſimè inciſæ. Helmæſtadii ap. Jac. Müller 1665. 4. Elaboravit Author hunc Librum primum Hiſpanicè, & Hebræâ Linguâ edidit Amſtelod. 1650. apud Levi Marcum. Hanc Editionem præceſſit Gallica Amſtelod. ap. Joh. Frider. Stam. 1643. ſeq. titulo:

Portrait du Temple de Salomon, dans lequel ſe deſcrit brievement la conſtitution de la fabrique du Temple, & de tous les vaſes & utenſils d'iceluy: dont le modele ſe trouve apres le meſme Autheur comme chacun peut voir. Composé par Jacob Juda Leon Hebreu, habitant de Middelbourg en la Province de Zelande, l'An de la creation du Monde 5403.

JOHANNES LIGHTFOOT,

In Cantabrigienſi Academia D. Theologiæ, & Aulæ Catharinianæ præfectus, vir Linguarum orientalium peritiſſimus. Natus Stockæ ad Drentam Fluvium in Comitatu Staffordienſi 1602. Miſſus 1617. in Collegium CHRISTI, quod Cantabrigiæ eſt. In Comitatu Darbienſi juventuti informandæ admotus. Prima Rabbinicæ Literaturæ fundamenta jecit apud Equitem Rowlandum. Ab itineribus in exteras Terras avocaverat eum vocatio ad Paſtoratum Stonenſem in Comitatu Staffordiæ. Tandem Miniſtris Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis admotus. Et ſub finem Anni 1643. ad Paſtoratum Mundonenſem in Comitatu Hertfordienſi vocatus. In qua ſtatione obiit 1675. Canonicus Elienſis. Laurea Doctorali in Theologia decoratus fuit 1652. Vicecancellarius Univerſitatis Cantabrigienſis. 1655. Commercium fovit cum Celeberrimis ſuæ ætatis viris *Buxtorfio*, *Briano Waltono*, *Caſtello*, *Pocockio*, *Samuele Petito*, *Polo*, aliis.

De Templo Salomonis poſt captivitatem, inprimis quo ſe habuerit modo in diebus Servatoris noſtri, nec non de ſervitio Templi, ejus vaſis, utenſilibus, aliisque eadem h.e. CHRISTI tempeſtate. Anglicè Lond. 1650.

MARTINUS LIPENIUS

Gymnaſii Hallenſis Conrector.

Navigatio Solomonis Ophiritica illuſtrata. Witteb. imp. Andr. Hartmanni. 1660. 12.

MICHAEL FRIDERICUS LOCHNER de Hummelſtein,

Norimbergenſis Sacræ Cæſ. Maj. Archiater, ejusque Perſonæ Imperialis Medicus, S. R. I. Nobilis, Comes Palatinus, Acad. Leop. Carol. Nat. Curioſ. Director, Collegii Medici Norimbergenſis Senior, Amicus, dum viveret, mihi conjunctiſſimus. Natus Furthi in Agro Noricorum, vel Norico, pridie Kal. Mart. A. 1662. Patre *Carolo Friderico*, Loci Paſtore vigilantiſſimo, matre *Sabina Majera*, *Joh. Jacobi Majeri*, natione Helvetii, Mercatoris Norimbergenſis Filia. Puer ſexennis Norimbergam miſſus, materno amore à vidua *Pühleria* educatus, in Egidiano Gymnaſio inſtructus, adeò ſub *Johanne Seinsheimero* profecit, ut duodecennis terſam ſcriberet orationem Latinam, & verſus funderet Latinos atque Græcos. Hinc curæ traditus *Jacobi Hieronymi Lochneri*, Patrui, qui Viſmarii Conſiſtorii Regii Aſſeſſor, in Templo Nicolai præco, dein in Ducatibus Bremenſi ac Verdenſi Conſiſtorii, quod Stadæ eſt, Aſſeſſor, Bremæ Antiſtes fuit. Viſmarii Præceptores habuit *Urbanum Lehmannum* & *Michaelem Freundium*; Roſtochii *Auguſtum Varenium*, ubi ſuadente *Jacobo Stockmanno* Medicinæ nomen dedit, quam ſtudio Theologiæ junxit. Hafniam hinc tendens innotuit *Olao Borrichio*, *Caſparo Bartholino*, *Oligero Jacobæo*; Kilonii *Morhofio*, *Chriſtiano Kortholdo*, *Joh. Danieli Majori*, *Joh. Nicolao Pechlino*. A. 1679. Iter ad Belgas ſuſcepit, 1680. Domum redux Altorffium adiit, Præceptoribus uſus *Mauritio Hoffmanno*, *Jacobo Pancratio Brunone*, *Johanne Mauritio Hoffmanno*, *Joh. Chriſtoph. Sturmio*. Hinc per Helvetiam Galliam petiit. Lutetiæ amicitiâ junctus *Joanni Zellero* Tubingenſi poſtea Profeſſori, frequens cum *du Verneyo*, *Buſſierio*, *Petito*, *Baudotio*. A. 1683. per Aurelianum, Bleſam, Turonium, Salmurium conceſſit Richelium Linguæ Gallicæ cauſa, Salmurii amicitiam contraxit cum *Joh. Caſp. Eiſenſchmidio*, Matheſeos poſtea in Academia Argentoratenſi Profeſſore. In Brittanniam transfretaturus per tres quatuorve hebdomadas in mari jactatus tandem appulit, ſed mox iter relegit in Belgium. Lugduni innotuit *Theodoro à Craanen*, *Paulo Hermanno*, *Lucæ Schachtio*, *Nuckio*: Amſtelodami *Ruyſchio*. A. 1684. Trajectum, Coloniam Agrippinæ, alias urbes pertranſiens domum remigrabat, & Altorffii pro Gradu diſputavit. Hinc Comite *Joh. Georgio Volcamero* Italiam petiit, Patavii quidem innotuit *Carolo Patino*, *Dominico de Marchettis*, *Antonio Molinetto*, *Felici Abbati Viali*. 1685. Altorffii Laurea ornatus brabeuta *Joh. Maur. Hoffmanno*. Norimbergam hinc rediens Praxin Medicam feliciſſimo exercuit ſucceſſu, ab egenis benefici Doctoris nomen promeritus, 1712. Collegii Medici Senior Noſodochii curam in ſe ſuſcepit, quam A. 1719. Genero ſuo tradidit. Ephemeridum Naturæ curioſorum Director conſtitutus id inprimis egit, ut nonniſi exaſciata comparerent; ut ſuæ quæque lucubrationes lucernam olebant. Matrimonium contraxit cum *Anna Maria Joannis Vierzigmanni* civis Noribergenſis filia 1686. Ex quo nati *Joannes Fridericus*, *Urſula Dorothea*, *Sabina Felicitas*, *Anna Maria*, *Johannes Henricus*, & *Catharina Dorothea*. E quibus tres in infantia Spiritum DEO reddiderunt. *Johannes Henricus* ad Parentum Spem & bonorum ſolatium lætè ſurgens anno ætatis 19. 1715. è vivis exemptus. Quo anno *Anna Maria* nupta *Chriſtophoro Ludovico Gœkelio*, Medico Badenſi, Wolfſteinenſi & Noribergenſi. *Sabinam Felicitatem* idem morbus, qui Variolarum titulo venit, & fratrem abſtulit, conſumſit. Obiit noſter febri inflammatoria acutiſſima die 15. Oct. 1720. anno ætatis 58. Vitam viri χαριεςάτε fuſiùs expoſuit *Erhardus Reuſch*, inſertam *Ephem. Germ. Cent.* IX. & X. *App.* p. 571.

Nerium ſive Rhododaphne Veterum & Recentiorum, qua Nerei & Nereidum Mythologia, Amyci Laurus, Saccharum Al-haſchar, & Ventus ac Planta Badſamur aliaque explicantur, ac diverſis Sacræ Scripturæ locis Lux affunditur. Accedit Dafne Conſtantiniana. Norimbergæ ap. hæredes Joh. Hoffmanni 1716. 4.

CASPARUS LOESCHER.

De Behemoth. Lipſ. 1664. 4.

JOH. JUSTUS LOSIUS, Hildeſienſis.

Philoſophia Jobi Arabica. Præſ. D. Joh. Henrico Majo, Theol. P. Gieſſ. 1707.

JOHANNES LUNDIUS

V. D. M Tunderanus in Ducatu Sleswicenſi.

Die alten Jüdiſchen Heiligthümer, Gottesdienſte und Gewohnheiten, für Augen geſtellet in einer ausführlichen Beſchreibung des gantzen Levitiſchen Priſterthums, und fünff unterſchiedenen Büchern. Es handelt deren

I. Von der Stiffts-Hütten, dero Verfertigung, Geräthen, Verſetzung, ſo wohl in der Wüſten, als im Lande Canaan: und wo ſie endlich geblieben.

II. Von dem Tempel, ſo wohl dem erſten, als dem andern, von deſſen Erbauung, Geſtalt, Pracht, Geräthen, ꝛc. und zweymaliger Verſtörung.

III. Von den Hohen- und andern Prieſtern, deren Kleidern, Salbung, Amte, und allen Verrichtungen bey der Stiffts-Hütte und Tempel.

IV. Von den Leviten, deren Urſprung und Aemtern, zur Zeit der Stiffts-Hütte und des Tempels, auch was ſie mit den Prieſtern im Amte gemein gehabt; wie auch von beyder Einkünfften und Verpflegung.

V. Von dem täglichen Gottesdienſt der alten Hebräer in und auſſer der Stiffts-Hütte und Tempel: Dero Wochen- Monat- und Jahr-Feſten. Samt einem Vorbericht Henrici Muhlii SS. Th. D. und PP. Hoch-Fürſtl. Hollſtein-Gottorffiſchen General-Superintendenten, Ober-Hof-Predigern, Kirchen-Rath und Probſten. Hamburg bey Gottfried Liberinckel. Rudolſtatt bey Heinrich Urban 1704. fol.

THOMAS LYDIAT

Natus Okertoni in Provincia Oxonienſi patre Chri-

Chriſtophoro Mercatore Londinenſi 1572. Studia ſua abſolvit in Gymnaſio Wincheſtrienſi & Academia Oxonienſi. Factus principis Henrici Coſmographus, mortuo hoc innotuit Archiepiſcopo Uſſerio, quo cum in Hiberniam profectus per biennium vixit in Collegio Dublinenſi. Inde redux Paſtoratui Okertonenſi admotus; aliquando in carcerem conjectus pro cognato obſes, & ſolvendo impar, ſed inde auxilio Laudi, Uſſerii, aliorum, Johanne Seldeno excepto, qui quidpiam conferre recuſaverat, liberatus. Durante bello inteſtino Regi fidelis multa corpore bonisque paſſus in extremam paupertatem conjectus obiit Okertoni 3. Apr. 1646. Vir in chronologicis, judice Uſſerio, ſupra Joſephum Scaligerum doctus.

Prælectio Aſtronomica de Natura Cœli & conditionibus Elementorum, tum autem de cauſis præcipuorum motuum cœli & ſtellarum. Item diſquiſitio Phyſiologica de origine Fontium perennium frigidorum & calidorum, eaque occaſione de ortu & cauſis plerorumque omnium ſubterraneorum, atque etiam Æſtus & ſalſedinis Maris, nec non Diluvii univerſalis. Quibus duabus commentatiunculis adumbratur conſtitutio Univerſi, ita ut receptæ à multis hodie Philoſophorum Peripateticorum opiniones de quinta Cœli eſſentia immutabili, & de Elementorum proportionibus ſituque refutentur, naturalis autem Hiſtoria Sacrarum Literarum de Aqua ſupercœleſti atque Igne ſubterraneo juxta genuinam antiquitus receptam earum ſententiam confirmetur. Lond. Typ. Joh. Bill. 1605. 8.

HIERONYMUS MAGIUS, Angiarienſis J. C.

De Gigantibus. Extat in Biblioth. Hiſt. Philolog. Faſcic. VIII. p. 457.

MAILLET. Canonicus Trecenſis.

De Architectura Templi Solomonæi.

Rabbi MOSES MAIMONIDES vel R. MOSCHE BEN MAIMON.

Judæus ex doctiſſimis, vixit ſub initium Seculi XIII. Cordubæ in Hiſpania natus. Ob maturos & felices in Studiis ſub informatione paterna vel R. *Joſeph* progreſſus contraxit ſibi æmulorum invidiam, quam effugiturus in Ægyptum trajecit, inde quoque *Moſes Ægyptiacus* dictus. Docuit Alexandriæ, Damaſci, magni habitus à Soldano Ægypti, quem ille à gravi liberaverat morbo. Vir Linguarum, Hebraicæ, Arabicæ, Chaldaicæ, Turcicæ, Medicæ, Græcæ peritiſſimus, Medicinæ quoque, Philoſophiæ & Matheſeos callentiſſimus, in Theologia & Jurisprudentia Judaica verſatiſſimus, à Talmudicis Fabulis alienus. Philoſophiæ principia hauſerat ex Arabum & Ariſtotelis Scriptis, ſuſpectus propterea Judæis. Occaſione Libri *More Nevochim* à Rabbinorum Triga, *Solomone* Monspelienſi, *Jona* & *Davide*, Hæreticorum numero fuit adſcriptus, qui ipſi tamen ab aliis Rabbinis ἀποσυνάγωγοι facti. Ex Ægypto migraſſe dicitur in Palæſtinam, & heic obiiſſe ſeptuagenarius, in Galilæa ſuperiori ſepultus.

Tractatus de Domo electa, ſeu de figura & forma Ædificii Templi, Interprete Ludovico de Compiegne de Veil. Extat in Biblioth. Hiſt. Philolog. Faſcic. VI. p. 1.

De Apparatu Templi, Inſtrumentis atque miniſtris ejus. Ibid. p. 84.

De ratione adeundi Templi. Ibid. p. 161.

De rebus Altari interdictis. Ibid. p. 228.

De ratione ſacrificiorum faciendorum. Ibid. p. 282.

De ſacrificiis jugibus & extraordinariis. Ib. p. 425.

De ſacris temeratis. Ead. Faſcic. VII. p. 503.

De ratione faciendi rem divinam die ſolenni Expiationum. Ib. p. 651.

De ſacrorum abuſu. Ib. p. 696.

De Jejunio. Interprete Lud. de Compiegne. Ibid. p. 759.

De ſolennitate Expiationum. Ib. p. 819.

De ſolennitate Paſchatis. Ib. p. 837.

JOHANNES DANIEL MAJOR

Uratislaviæ natus 6. Aug. 1634. Patre *Elia Majore*, Gymnaſii Patrii Eliſabethani Rectore, qui à Ferdinando III. Imp. Nobilitatis Inſignibus inveſtitus deceſſit octogenario major, Matre *Maria, Danielis Stroſii*, civis Uratislavienſis, Filia. A. 1654. ad Academiam Wittebergenſem miſſus profecit ſub *Joh. Sperlingio, Victore Schneidero, Marco Banzero.* Exacto triennio Magiſterii Gradum adeptus, Decano *Andrea Sennerto.* Lipſiam ſe contulit A. 1658. uſus heic inprimis informatione *Joh. Michaelis.* Hinc peragratâ Germania Italiam petiit 1659. Patavii Antiquitatem inprimis & bonas Literas excoluit ſub *Carolo Offredi*, Medicinam ſub *Franciſco Bonardo, Proſpero Todeſchio, Hieron. Frigimelica, Petro de Marchettis*, Gradu Doctorali decoratus ibi A. 1660. Promotore *Ermingildo Pera.* Hinc luſtratis locis celebrioribus per Auſtriam rediit in Patriam, & d. 21. Maji 1661. nuptias Wittebergæ celebravit cum *Margaretha Dorothea, Andreæ Sennerti* filia, quæ partu difficili filiolæ *Johannæ Dorotheæ* d. 16. Oct. 1662. obiit. Vocatus Serveſtam ad munus Phyſici civitatis, ut & Medici Caſtrenſis Spartam in Exercitu Ser. Electoris Saxonici, recuſavit hæc omnia, & eligere maluit Provinciam Medici in curanda Peſte ordinarii, quam Hamburgenſes offerebant. Apud Moſcos aditus ei ad Fortunam lautiorem patuit oblata apud Czarum Archiatri dignitate, quam declinare ſatius duxit. A. 1665. acceptavit Profeſſionem Medicinæ Theoreticæ in Academia Kilonienſi. Ad vota ſecunda tranſiens nupſit *Margarethæ Eliſabethæ, Hermanni Pincieri* J. C. & Epiſcopalis Capituli Lubecenſis Canonici ſenioris Filiæ, ex qua duæ filiæ cum filio Patri ſupervixere. A. 1667. à Ser. Principe *Auguſto Friderico*, electo Epiſcopo Lubecenſi, in Archiatrum electus. A. 1671. à Ser. Vidua Serveſtæ Anhaltinorum deſideratus pro Archiatro munus hocce recuſavit, ut & aliud ſplendidum Hafniæ oblatum. A. 1683. *Cimbrici operis* gratia iter ſuſcepit in Daniam & Sueciam, totâ fere Cimbrica Cherſoneſo luſtratâ, Hafniæ à Danorum Monarcha, & Holmiæ à Carolo XI. Sueciæ Rege, multis beneficiis affectus. Heic d. 23. Jul. Febre acuta correptus, ſuperveniente Ictero, & pertinaciſſima alvi conſtipatione ita fuit debilitatus, ut d. 23. Aug. obierit, paulò ante mortem Aſſeſſor Tribunalium Pomeraniæ à Rege declaratus.

Summaria Medicinæ Biblicæ, duobus Voluminibus tradendæ, Tabula. Kilon. ap. Joach. Reumann. 1672. f.

De optima temperie, vivacitatis Patriarcharum ante Diluvium cauſa.

JOHANNES HENRICUS MAJUS.

Natus 1653. d. 5. Febr. Pforzhemii in Marchionatu Bada-Durlacenſi, Patre *Johanne Georgio* V. D. M. in urbe Patria, Matre *Margaretha Dorothea Uzinia.* Anno ætatis undecimo Durlacum miſſus cum fratre natu majore *Jo. Burchardo*, poſtea Gymnaſii Durlacenſis Profeſſore, & Hiſt. ac Eloq. Doctore Kilonienſi. Præceptoribus uſus *Joh. Fechtio, Flekhamero, Jo. Gerhardo Arnoldo.* A. 1671. Wittebergam profectus pendebat ab ore *Schurtzfleiſchii, Stolbergii, Abr. Calovii, Jo. Georgii Grenii, Jo. Meisneri.* In Sueciam tendens Hamburgi incidit in *Eſdram Edzardum*, & Hafniæ Miniſtri cujusdam aulici liberos erudiendos ſuſcepit. Hamburgum redux ædibus exceptus Edzardianis trium filiorum ſtudia per biennium eſt moderatus. Lipſiæ poſtea Linguas docuit Orientales, & Wittebergæ Calovii unicum filium in Litteratura Orientali perpolivit. Argentoratum profectus audivit *Seb. Schmidium* & *Balth. Bebelium.* Heic à concionibus aulicis fuit Ser. Principi Palatino-Veldentiano *Leopoldo Ludovico*, anno autem exacto à Ser. Marchione Bada-Durlacenſi Præco Sacrorum ad S. Stephani Templum, & Linguæ Sanctæ Prof.

Durlaci eſt conſtitutus. Matrimonium contraxit cum *Sabina Helena*, Ill. *Michaelis Praunii* J. C. & Conſiliarii Aulici filia, cum qua liberos 4. genuit, è quibus ſupervixere Patri *Maria Helena*, *Wilhelmo Balthaſari Wagnero* V. D. M. Crumſtadenſi nupta, & *Jo. Henricus Majus*, Prof. Antiq. Literaturæ Græcæ & Lingg. Orient. in Ludoviciana. Vocatus eſt Gieſſam A. 1689. ad Profeſſionem Academicam in Sanctioribus Linguis, fuitque ei demandata ſupremi Aulicorum ſacrorum Antiſtitis dignitas. Muneribus hiſce ſic acquievit, ut Generalis Superintendentis in Friſia Orientali ſpartam, conſiliarii item Eccleſiaſtici & Præpoſiti Berolinenſis, nec non Theologi primarii & Procancellarii Academiæ Kilonienſis dignitates oblatas recuſaverit. Mortua prima conjuge A. 1702. duxit *Annam Claram Hoffmanniam*, *Antonii Raumburgeri* J. U. Lic. & Grammatei Francofurtenſis viduam, ex qua liberos 4. ſuſcepit, qui cum matre A. 1716. extincta omnes ipſum morte præceſſerunt. A. 1717. tertiam conjugem elegit *Sophiam Margaretham*, *Joh. Chriſtophori Holzhauſii*, Eccleſiaſtæ Francofurtenſis, filiam. Prægreſſa Inflammatione Renum, ruptaque vomicâ obiit Dom. XIII. poſt Trinitatis 1719. anno ætatis 66½. *Bibl. Brem.* Cl. V. p. 298.

Animalium in Sacro cumprimis Codice memoratorum Hiſtoria. Durlaci 1685. 8.

JOHANNES MARCK.

Diſpp. tres de Diluvii univerſalis modo. Lugd. Bat.

Exercit. de ceſſatura contentione Spiritus DEI, & de 120. Annis Hominis ante Diluvium ſtatutis à DEO.

BENJAMIN MARSHALL,
M. A. Rector Nauntonenſis in Comitatu Glroceſtrienſi.

A chronological Treatiſe upon the ſeventy weeks of Daniel. with Chronological Tables ſuited to the whole. Lond. by S. and S. Knapton. 1728.

Three Letters in farther vindication of the late Biſhop Lloyds Hypotheſis of Daniel's Prophecy of the ſeventy weeks. One to the Rev. M. Lancaſter, vicar of Bowdon in Cheshire. In Anſwer to his Remarks on the ſaid Hypotheſis. Another to Mr. Whiſton, occaſioned by his latter Hypotheſis of the ſaid weeks. The third to the Author of the Scheme of literal Prophecy conſider'd. Wherein are examined and refuted the ſaid Author's preferences for referring this Prophecy of the weeks to the perſon and times of Antiochus Epiphanes: And it is proved, that theſaid Prophecy in its literal ſenſe is applicable wholy and only to the Meſſias of the Chriſtians, and the times of their Meſſias. Ibid.

JOH. BALTHASAR MATHESIUS.
Siebenlehnenſis Miſnicus.

Diſp. Phyſica, qua in tranſitu Iſraelitarum per Mare Erythræum non fuiſſe Fluxum & refluxum Maris demonſtratur. Reſp. Erh. Lindner, Rochlic. Miſn. Lipſ. Lit. Joh. Godofr. Richter. 1688. 4.

JOH. FRIDERICUS MAYER
Theol. D. & P. Alumnorum Elect. Ephorus, Templi omnium Sanctorum Præpoſitus ſubſtitutus.

Diſſ. de Peccatis & Pœnis Brutorum ad Gen. IX, 5. Reſp. M. Chriſtiano Andrea Sibero. Witteb. 1686. recuſa ibidem Lit. Joh. Godofr. Meyeri 1717. 4.

CONRAD MEL,
SS. Theol. D. Inſpector Hersfeldenſis.

Der Tabernakel, oder gründliche Beſchreibung der Stiffts-Hütte, ſampt allen ihren Theilen, und heiligem Geräthe, als Bundes-Lade, Güldenen Altar, Leuchter, Tiſch der Schaubrod, kupfernem Waſch-Faſs, und Brandopfers-Altar. Wie auch Schrifftmäſſige Unterſuchung der hohen Geheimniſſe und herrlichen Fürbilder, wie darinnen CHRISTUS und die Kirche des Neuen Teſtaments ſeye abgebildet worden. Und alſo eine Erklärung über Exod. XXV. XXVI. XXVII. XXX. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. *und* XL. *und viele dunkele Schrifft-Oerter, ausgefertiget mit Kupfern.* Franckfurt und Leipzig bey Joh. Bertram Kramer. 1711. 4.

Diſſertatio de Mari Æneo. Reſp. Joh. Gordon, Regiom. 1702. recuſa in Antiquario ſacro, Hersfeldæ 1718. 4.

De Lapide Puch ad Es. LIV, 11. Schediaſma. Extat in Bibl. Bremenſ. Claſſ. VIII. p. 791.

JOHANNES de MEY, Eccleſiaſtes
Medioburgenſis.

Sacra Phyſiologia ſive Expoſitio Locorum Sacræ Scripturæ, in quibus agitur de Rebus naturalibus. Editio tertia auctior. Medioburgi Zeland. ap. Jac. Fierens. 1661. 4.

JOHANNES MEYER, Harderwic. P.

Oratio de origine hujus Univerſi, habita Harderwici ad d. XII. Jun. *cum Faſces Academicos deponeret.* Harderw. 1720. 4.

GOTTLOB ANDREAS MEYER.

De Sycomoro, quam Zachæus, Publicanorum Magiſter aſcenderat. Ex Luc. XIX, 1-4. Lipſ. 1694. 4.

JOH. FRIDERICUS MICKELIUS,
Rector Darmſtad.

Diſſ. Inaug. De Manna triplici ex Scripturæ & Naturæ Libro, occaſione Apoc. II, 17. Præſ. D. Joh. Henr. Majo Th. P. Gieſſ. 1706.

GOTHOFREDUS MIECKISCH,
Sagano-Sileſius.

Diſſ. Inaug. Med. ſiſtens Exercitationem circa Medicinam in S. Scriptura fundatam. Præſ. D. Hieron. Ludolff, P. Erford. 1726. 4.

ADAM ERDMANN MIRUS, Gymn.
Zittav. Conrector.

Kurtze Fragen aus der *Arithmetica Sacra*, worinnen denen Liebhabern derer Bibliſchen Hiſtorien durch gründliche Erklärung des *Calculi Sacri* und allerhand merckwürdiger *Antiquitæten* ein ſonderliches Licht gegeben wird. Görlitz bey Jac. Rohrlachen. 1709. 12.

JOH. LUDOVICUS MOEGLING.

Palingeneſia ſeu Reſurrectio Plantarum, ejusque ad Reſurrectionem corporum noſtrorum applicatio. Tubing. 1683. 4.

DANIEL GUILIELMUS MOLLERUS

Natus Presburgi in Hungaria d. 26. Maji 1642. Patre *Ottone*, Brunſuicenſi Aurifabro, Matre *Rebecca Berghammerin*, Linzenſi Auſtria. Peſte in Patria graſſante tranſtulit ſe Trenchinum in Bohemia, & Nagiamagyaram in Hungaria Linguas addiſcendi ergo: poſtea rudimenta bonarum Artium & Philoſophiæ jecit in Gymnaſio Poſonienſi. A. 1661. per Auſtriam, Moraviam, Bohemiam, & Saxoniam perrexit Lipſiam, mox Wittebergam, *Quenſtedii* per aliquot menſes convictor. Inde cum Legatione Saxonica venit Hafniam; Wittebergam redux Studia abſolvit, Præceptoribus *Kirchmajero*, *Backio*, *Walthero*, aliis. Hinc profectus in Belgium & Angliam, poſt per Sileſiam, Poloniam, Pruſſiam A. 1666. venit Argentoratum, ubi Præceptores audivit *Schmidium*, *Bebelium*, *Brechtium*, *Scheidium*, ipſe etiam Collegia habuit Logica, Metaphyſica, Oratoria, Poetica, & Chiromantica. Aliquandiu Colmariæ in Alſatia Ephorus fuit trium filiorum *Moggii*, Prætoris & Protoſcholarchæ. Alchymiæ quoque ſtuduit ſub manuductione *Petri du Pont* per tres menſes. Hinc Helvetiâ totâ fere peragrata rediit Argentoratum, poſtea per Galliam, Sabaudiam, Italiam appulit Romam, ubi 1667. interfuit coronationi *Clementis* IX. Româ profectus Neapolim. Romam redux ad Pontificem ipſum interventu Erneſti Cardinalis & Landgravii Haſſiæ admiſſus. Inde per Venetias, Tridentum, Auguſtam, Ulmam, Monacum, Ingolſtadium, Ratisbonam rediit Poſonium m. Nov. 1670. Peragratâ Hungariâ promotus ad Subconrectoratum in Gymnaſio patrio. Ingruente perſecutione à civitate

tate Poſonienſi ad Aulam Imperatoris deputatus. Viennâ per Moraviam, Bohemiam, Palatinatum ſuperiorem venit Norimbergam. Francofurtum *Speneri* gratiâ exſpatiatus, ejusque commendatione ad concionatoris aulici Birkenfeldenſis munus vocatus, quam ſtationem recuſavit, quia caſtra ſimul ſequi debuiſſet. Norimbergam reduci A. 1674. m. Nov. demandata ipſi Profeſſio Hiſtoriarum & Metaphyſices, quam prætulit vocationi alii ad Conrectoratum Brigenſem in Sileſia, & ſpei ſuccedendi ad Rectoratum. A. 1675. in matrimonium duxit *Annam Sibyllam Brauniam*, quæ obiit 15. Aug. 1691. & m. Oct. 1692. vota ſecunda celebravit cum erudita *Helena Sibylla*, Magni *Joh. Chriſtophori Wagenſeilii* filia. Nuptiali Feſto ipſe interſui. Vir fuit multivariæ Eruditionis, copioſiſſimæ lecturæ, & vivum & Pietatis & Ingenuitatis Exemplum. Ultima fata accerſivit doloroſa valde Stranguria, quam ſecuta humorum colliquatio, æſtus interni, Tabes, poſt Tabem Mors. d. 25. Febr. 1712.

Hiſtoria Magorum CHRISTUM adorantium. Reſp. Joh. Chriſtoph. Mayr. Noriberg. Altorff. Typ. Henr. Meyer. 1688. 4.

Diſſ. de Moſe Philoſopho. Reſp. Georgio Jacobo Schwindel Noribergenſi. Altorff. 1707. 4.

Oratio de confuſione Linguarum Babylonica, habita Wittebergæ.

FRANCISCUS MONCÆJUS. Fridevallianus.

Apparitionum divinarum duarum, Ejus quæ de Rubo, & proximæ, quæ in Ægyptum revertenti in diverſorio Moſi facta, Hiſtoria accuratiſſimè conſiderata & explicata. Operis majoris dudum in lucem enitentis, brevique (1699.) *erupturi ſpecimen, quod de Apparitionibus divinis Inſcriptione & argumento eſt futurum.* Extat in Biblioth. Hiſt. Philolog. Faſcic. IX. p. 257.

STEPHANUS MORINUS

Præco verbi Divini & Prof. Amſtelodamenſis, natus Cadomi in Normandia 1615. ibidem & Sedani ſtudiorum jecit fundamenta. A concionibus fuit Cadomo, & Bocharti vicarius. Propter Religionem exul in Belgium profectus 1685. Amſtelodami Gallicæ Eccleſiæ Paſtor & Orientalium Lingg. Profeſſor factus, obiit 5. Maji 1700.

Diſſ. de Horis ſalvificæ Paſſionis JESU CHRISTI DOMINI *noſtri.* Lugd. Bat. 1686. 4.

Deſcriptio Paradiſi ad mentem Bocharti.

HADRIANUS MORLANDUS.

De Paradiſo. In Parte I. Diſſert. Miſc. Traj. ad Rhen. 1706.

HENRICUS MÜLLERUS

Natus Lubecæ 1631. Roſtochii fundamenta jecit in Orientali Literatura & Philoſophia. Hinc Gryphiswaldiam adiit 1647. heic per triennium commoratus. Lipſiæ *Carpzovii*, *Hülſemanni* & *Gejeri* informatione uſus, Wittenbergæ *Calovii* & *Meisneri*. Roſtochium 1653. redux Archidiaconus ad S. Mariam factus, & ſexennio poſt Græcæ Linguæ Profeſſor. 1660. Helmſtadii Laureâ Doctorali ornatus, vocatus 1662. ad Superintendentis & Paſtoratus S. Mariæ Hamburgi dignitatem, & mox ad Theologiæ Profeſſionem. Recuſatis diverſis aliis vocationibus acceptavit tandem 1671. Superintendentis Lubecenſis dignitatem, ubi quadriennio poſt vitam finiit.

Hiſtoria Paſſionis, crucifixionis & Sepulturæ Domini noſtri JESU CHRISTI, *Notis Theologico-Hiſtorico-Criticis illuſtrata.*

ANDREAS MÜLLERUS

Cognomento Greiffenhagius, celebris Philologus, ubi 1630. natus. Anno ætatis 16. carmina ſcripſit Hebraica, Græca & Latina. Studiis Roſtochii, Gryphiswaldiæ & Wittenbergæ peractis, vocatus ad Rectoratum Regiomontanum: poſt ad Paſtoratum Treptovienſem. Quo derelicto, ſuaſu *Waltoni* & *Caſtelli*, Londinum profectus, ubi viros hoſce in opere Biblico & Lexico Pentaglotto per decennium adjuvit. Applicationis prorſus ſingularis ad labores hoc fuit ſpecimen, quod ſolennem Caroli II. introitum ne adſpexerit quidem ex ſua feneſtra. In Germaniam redux Paſtoratum obtinuit Bernovienſem in Marchia media, tandem Præpoſituram Berolinenſem. A. 1667. Huic ipſi Stationi ſponte reſignans 1685. d. 11. Febr. Stetinum profectus, ut totum quantum ſe Linguis Orientalibus, Sinenſi cumprimis, dicaret. In morbum valde dolorificum conjectus delirans potiſſima ſua MSS. quæ inter forte fuit *Clavis Sinica* Vulcano conſecravit. Obiit 1694. 26. Oct. & Typographiam ſuam Sinenſem Bibliothecæ Berolinenſi in gratam beneficiorum memoriam donavit.

De Eclipſi Paſſionali Diſquiſitio.

JOHANNES MÜLLER, Noribergenſis.

Eliſæus ad Muſices ſonum Propheta 2. Reg. III, 15. Præſ. D. Joh. Andrea Schmidio Abbate Mariævallenſi S. Theol. D. P. Helmſtad. Typ. Georg. Wolfg. Hammii. 1715. 4.

NICOLAUS MÜLLER, Med. ac Math. P.

Judæorum Annus Lunæ ſolaris & Turc-Arabum Annus merè Lunaris. Recens uterque è ſuis fontibus deductus, & cum Anno Romano facili methodo connexus. Groning. Typ. Joh. Saſſii. 1630. f.

ANDREAS HERMANN MÜNTER,
Oſterroda Hannoveranus.

Diſp. de Tranſitu Iſraelitarum per Jordanem. Præſ. D. Joh. Georg. Abicht. P. Lipſ. Lit. Brandenburger. 1712. 4.

JOHANNES MUSAEUS.

De Stupore Dentium ex guſtu Omphacis alieno.

JOH. GEORGIUS NEBELIUS,
Paſtor Palæobuſecanus.

Sciagraphia Philoſophiæ Abrami. Præſ. D. Joh. Henr. Majo Theol. Gieſſenſi. Gieſſ. 1707.

CASPARUS NEVMANN.

Biga difficultatum Phyſico-ſacrarum de Gemmis Urim & Thummim dictis, & de cibo Samariæ obſeſſæ. Uratisl. 1707.

NICEPHORUS GREGORAS,

Byzantinus, Palamitarum ſtrenuus Adverſarius, in Synodo Conſtantinopolitana A. 1351. à Calliſto Patriarcha cum cæteris Acyndini ſectatoribus damnatus, in Monaſterio conſenuit, obiitque poſt A. C. 1359. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 5. p. 300. Inter ejus Scripta extant

De Menſura Arcæ Noæ. Ex Origene. In Cod. Barrocc. 48. 19.

Ad Logothetam de Magno Piſce, & aliis Animantibus. Poſſevin. in Apparatu ſacro.

PAULUS HENRICUS NICOLAI.

De Symmetria Maris Ænei Salomonis ad vindicandum ab ἀγεωμετρίᾳ Locum 1. *Reg.* VII, 23. Reſp. Joh. Henr. Stüntzel. Wittemberg. 1717. 4.

BERNHARDUS NIEUWENTYT,

M. D. Conſul urbis Parmeredenſis in Hollandia Boreali.

Het recht gebruyk der Wereld beſchouwingen, ter overtuyginge van ongoddiſten en Ongeloovigen. Amſt. 1717. 4.

A. NORRELIUS. Suecus.

Schediaſma de Avibus Sacris Arbeh, Chagab, Solam & Chargol, Levit. XI, 21. 22. In Biblioth. Brem. Claſſ. III. p. 36.

JOHANNES OLDERMANN.

Diſſert. de Ophir & Tarſis. Helmſtad. 1714. 4.

CONRADUS OLDIUS.

Diſſ. de domicilio, victu & amictu Johannis. Extat in Crenii Faſcic. V. Exercit. Philolog. Hiſtoric.

CATALOGUS AUCTORUM.

ORIGENES

Alexandrinus, Philoſophiæ atque humanioris omnis Literaturæ callentiſſimus. Natus circa A. C. 185. Commodi 6. Patre Leonida, qui Martyrium ſubiit A. C. 202. Cum à duodevigeſimo ætatis anno ſæculares & ſacras Literas in Patria expoſuiſſet, Grammaticæ diſciplinæ Profeſſione ſe abdicavit, atque Clementi Alexandrino Præceptori ſuo in munere Catechetæ, ſive miniſtri κατηχήσεων publici ſucceſſit, donec circa A. C. 231. ætatis 46. per invidiam Epiſcopi Demetrii Alexandria expulſus, aliquo tempore deinde verſatus eſt Cæſareæ, ubi circa A. C. 228. ordinatus Presbyter ab illius Regionis Epiſcopis Alexandro & Theoctiſto fuerat. Antiochiam circa A. C. 218. vocavit eum Julia Mammæa, Alexandri Severi mater, ab eo edoceri cupiens, à quo tempore Philippo etiam Arabi ejusque conjugi Severæ per litteras innotuit. Interim ſub Maximino & maxime ſub Decio urgente perſecutione multis modis vexatus, inque varia loca profugere coactus denique obiit Tyri A. C. 253. ætatis 70. paulò ante Galli & Voluſiani obitum. Vir, Athanaſio judice apud Socrat. VI. 13. Hiſt. Θαυμαςὸς κ̀ φιλοπονώτατος, unde & *Adamantius*, *Philoponus*, *Chalcenterus*, συντάκτης, συντακτήριον, cluet. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. I. p. 213.

Inter Origenis opera extant

Homilia in 1. Reg. XXVIII. *de Engaſtrimytho.* Prodiit cum Verſione Leonis Allatii ad calcem Euſtathii in Hexaemeron Lugd. 1629. 4. Recuſa in Criticis ſacris Lond 1660. f. Tomo VIII.

Hebraicorum Nominum S. Scripturæ & Menſurarum interpretatio. Hanc cum Hieronymi & propria ſua Verſione primus Græcè vulgavit Joh. Martianæus T. II. Oper. Hieronymi, Pariſ. 1699. f. vid. Fabric. p. 223.

JOHANNES BAPTISTA OTTIUS.

V. D. M. Archidiaconus Tigurinus, quâ ſtatione adhuc ſummâ laude defungitur.

Epiſtola de Numis quibusdam Samaritanis ad Exc. virum *Adrianum* Relandum, cum hujus Reſponſo: adnexa reperitur Relandi Diſſertationi de Inſcriptione Nummorum quorundam Samaritanorum. Amſtel. ap. Franc. Halma. 1702. 8.

OTTO FRIDERICUS OTTO,
Tennſtad. Thuring.

Examen & refutatio ſententiæ cujusdam Anonymi Angli de Sede Inferni in Sole quærenda. Præſ. D. Joh. Caſp. Haferung S. Th. D. P. Vitemberg. Lit. Gerdeſian. 1716. 4.

GERARDUS OUTHOVIUS,

V. D. M. in Eccleſia Embdana.

Diſſertatio in Locum Marc. IV, 39. *coll. Matth. VIII,* 27. *& Luc. VIII,* 24. *in qua Divinitas ſeu potentia* CHRISTI *Soſpitatoris noſtri divina ac mirabilis ex miraculoſa ejus Maris & Ventorum ſedatione demonſtratur.* In Biblioth. Brem. Cl. I. Faſcic. II. p. 60.

JOHANNES D'OUTREIN

V. D. M. in Eccleſia Amſtelodamenſi

De Tabernnakel van Moſes in ſynen oorſpronk, bouwkunde, Vaten, Cieraad, Voorbeelden, gebruyckt, en in geeſtelycke beduideniſſen beſchout. Amſt. 1715. 8.

Clariſſimi hujus viri opera omnia recenſentur in Biblioth. Brem. Claſſ. I. Faſc. II. p. 181.

Diſſ. Hiſtorico-Theol. de Piſcina Betheſdæa. Joh. V, 1-4. In Biblioth. Brem. Cl. I. Faſc. V. p. 597.

PHILIPPUS OUZEEL.

Med. & Theol. D. hujusque Profeſſor Francofurtanus propter Oderam. Natus Dantiſci 1671. 7. Oct. Patre *Michaele Ouſeel*, Matre *Eſthera van Huyſteen.* Volutatus à præcoci Patris, Patruique obitu per varias manus Bremam conceſſit, opera uſus *Alerſii*, *Schwelingii*, *Haſæi*, hinc 1691. Groningam, Franequeram, Leidam, ubique viris eruditis familiariter uſus. A. 1697. in Angliam transfretavit, 1698. domum reverſus, 1706. denuò Belgium petiit, d. 18. Jul. 1709. Doctor Medicinæ creatus, 1711. Germanorum Eccleſiæ Leidenſi præfectus Paſtor, 1717. Francofurtum vocatus ad Profeſſoris Theologiæ & Paſtoris Reformati Provinciam. Matrimonium inivit 1719. cum *Anna Chriſtina Ringia.* Obiit absque prole poſt ſudores diutinos Aſthmaticus, Hecticus, mictu quoque cruento vexatus 16. Apr. 1724. Bibl. Brem. Cl. VIII. p. 900.

Diſſ. Inaug. de Lepra Cutis Hebræorum. Franeq. 1709.

JOH. PASCHIUS. Raceburgo-Saxo.

Diſſ. Aſtronomica de Eclipſi, quæ die Paſſionis Dominicæ accidit. Reſp. Joh. Herm. Hoffmeiſter Hannovera-Saxone Wittebergæ. Typ. Joh. Borckardi. 1683. 4.

CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI.

De Morbo Jobi difficillimo. Helmſtad. 1685. 4. Extat & in Theſ. Diſſ. Biblic. Amſtelod. T. I.

PELLETIER.

Diſſert. ſur l'Arche de Noe. Rouen 1700. 12. chez J. B. Beſongne.

JOHANNES PELSÖCZI, Hungarus.

Diſſ. Hiſtorico-Philologico-Theologicæ tremendum vindictæ Divinæ monumentum in perennem memoriam Ananiæ & Saphiræ, Act. V, 1-12. *miraculoſe erectum exhibentis Pars I.* Præſ. D. Petro van Maſtricht. Traj. ad Rhen. 1699. 4. *Pars* II. Præſ. D. Melch. Leydecker, Ibid.

GEORG PEMSEL, Henffenfelda-Noricus.

Oleum exhilarans faciem, è Pſalmo CIV, 15. Præſ. Joh. Guiliel. Bajer Philoſ. Nat. & Math. P. Altorff. Typ. Henr. Meyer. 1706. 4.

JACOBUS PERIZONIUS

Proprio & vernaculo Idiomate *Voorbroek*, quæ familia Schutorffii in Comitatu Bentheimenſi natales ſuos habet. Avi frater *Johannes* primus *Perizonii* nomen aſſumſit. Ipſe noſter natus in oppido Damm Groninganæ Provinciæ 26. Oct. 1651. Patre *Antonio*, Rectore primùm Dammenſi, poſt. Theol. Prof. Daventrienſi. Humanioribus literis ſeſe inprimis dicavit Lugduni Batavorum ſub *Rykio*, Daventriæ prius informatione *Giſberti Cuperi*, & Trajecti *Jo. Georgii Grævii* informatione uſus. Delphis, ubi privatim docebat, 1680. Franequeram ad Profeſſionem Eloquentiæ & Hiſtoriæ vocatus, inde 1693. Lugdunum Batavorum ad Profeſſionem Hiſtoriæ, Eloquentiæ & Linguæ Græcæ, ubi obiit 6. Apr. 1715. Per teſtamentum Academiæ legavit ſummam 20000. florenorum, Manuſcriptos item ſuos Codices & Libros.

Diſſertatio de Morte Judæ ex verbo ἀπάγχεσθαι, in qua explicantur & conciliantur Loca Matth. XXVII, 5. *& Lucæ Act. I,* 18. *ac vindicantur, quæ ad Æliani Var. Hiſt. V.* 8. *erant notata.* Lugd. Bat. ap. Joh. du Vivie & Iſaacum Severinum. 1702. 8.

TOBIAS PFANNER.

De chariſmatibus ſive donis miraculoſis antiquæ Eccleſiæ. Francof. 1680. 12.

PHILO

Judæus, Patria Alexandrinus, ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος Joſeph. Antiq. XVIII. 10. è nobili ac ſacerdotali Familia, Alexandri Lyſimachi Alabarchæ Alexandrini, h. e. Scripturæ ac Vectigalium Magiſtri, frater. Ætate provectus circa A. C. 40. caput Legationis fuit popularium ſuorum nomine ad Cajum Imp. Cum ſecunda vice veniſſet ad Claudium Imp. Romæ locutum fuiſſe cum Petro Apoſtolo ejusque habuiſſe amicitias ſcribit poſt Euſebium Hieron. in Catalogo c. II. Sed Petrum ante Claudii fata Romam veniſſe incredibile videtur Basnagio. Annal. T. I. p. 499. Fabric. Biblioth. Græc. L. IV. c. 4. p. 104.

Περὶ

CATALOGUS AUCTORUM.

Περὶ τῆς Μωϋσέως κοσμοποιίας. *De Mundi opificio, ſive in Hexaemeron* p. 1. Edit. Pariſ. 1552. f.

Περὶ Γιγάντων. *De Gigantibus. ad Gen.* VI, 1. p. 284.

Περὶ γεωργίας Νῶε. *De Agricultura Noe.* Liber I. ad Gen. IX, 20. p. 187.

Περὶ Φυτȣργίας Νῶε ſive περὶ γεωργίας *Liber* 2. *De Plantatione vineæ à Noë facta.* p. 214.

Περὶ συγχύσεως διαλέκτων. *De confuſione Linguarum ad Gen.* XI, 1. p. 319.

Περὶ τῆς σκηνῆς. *De Tabernaculo.* Intercidit.

Περὶ ζώων τῶν ἐις θυσίας, καὶ τίνα τῶν θυσιῶν τὰ ἔιδη. *De Animalibus idoneis ſacrificio, deque victimarum generibus.* p. 835.

HENRICUS PIPPING.

De Saulo per Muſicam curato.

De potu puniendis ante mortis ſupplicium, & patienti CHRISTO *ante crucifixionem porrecto*; Reſp. Imman. Tögel. Lipſ. 1688.

GEORGIUS PISIDES.

Piſides à Patria dictus, Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, Chartophylax atque Referendarius, quem nonnulli malè confundunt cum Georgio, qui ſub ſeculi noni extremum ex Chartophylace Conſtantinopolitano factus eſt Archiepiſcopus Nicomedienſis. Piſides circa A. C. 630. floruit.

Ἑξαήμερον ἢ κοσμȣργία. *De Mundi opificio Carmen Jambicum verſibus* 1880. Hoc opus ſub falſo Cyrilli Alexandrini nomine editum Græcè Romæ 1590. 8. hoc titulo: τȣ̃ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κυρίλλȣ πατριάρχȣ Ἀλεξανδρείας περὶ ζώων ἰδιότητος καὶ φυτῶν διὰ ςίχων ἰαμβικῶν. Sed vero Georgii Piſidæ nomine jam ante edidit Federicus Morellus Pariſ. 1585. 4. quæ Editio recuſa Heidelbergæ apud Commelinum 1596. 8. Extat etiam in corpore Poetarum Græcorum Genevæ 1614. f. & in Appendice Biblioth. Patrum Bigneana Pariſ. 1624. f. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 16. p. 691.

HIERONYMUS PRADUS

Baeza-Hiſpanus, Societati Jeſu adſcriptus 1572. obiit Romæ 1592. In Patria & Cordubæ Theologiam docuit. Explanationes autem ſuas in Ezechielem abſolvit *Joh. Baptiſta Villalpandus* S. J.

In Ezechielem Explanationes & Apparatus Urbis ac Templi, commentariis & Imaginibus illuſtratus. Opus tribus Tomis diſtinctum.

Tom. I. Romæ Typ. Aloyſii Zannetti. 1596. f.

Tom. II. *de Poſtrema Ezechielis Viſione Joannis Baptiſtæ Villalpandi, in qua Templi ejusque vaſorum forma tum Commentariis, tum æneis quamplurimis deſcriptionibus exprimitur.* Romæ Typis Illefonſi Ciacconii excudit Carolus Vullietus. 1604. f.

Tom. III. *Apparatus Urbis ac Templi Hieroſolymitani* Pars I. & II. Ibid. apud eosd. 1604. f.

OTTO PHILIPPUS PRAUN,

Campidonenſis Rever. Principis & Urbis Archiater.

Phyſico-Anatomica Analyſis Capitis XII. Eccleſiaſtis, quo viva Senii Mortisque imago delineatur, & inventis novis Anatomicis illuſtratur. MSC. communicatum ab Exc. Authore. Quo pro Phyſica Sacra adornanda ſum uſus.

ABRAHAMUS PUNGELER,

Marcoduro-Juliacenſis, Theologus Herbornenſis. Natus 31. Maji 1679. S. Miniſterio admiſſus 31. Mart. 1700. S. Theologiæ D. renuntiatus 31. Maji 1701. vocatus ad Profeſſionem Philoſophicam in Academia Herbornenſi 27. Febr. 1703. ad Extraordinariam Theologiæ Profeſſionem 1705. ad Ordinariam 28. Apr. 1706. ad primariam, quam Cauſſenianam dicunt, ut & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 1709. *Bibl. Brem.* Cl. V. p. 165.

Diſſertationes tres in Hiſtoriam Creationis. Franeq. 1701. 4.

CASPARUS QUESTEL,

J. C. Ser. Ducis Holſatiæ Aulæ & Conſiſtorii Plœnenſis Conſiliarius.

Hiſtoriſche Anzeig von dem hohen Alter, &c. Plœn. 1703.

JOHANN NICOLAUS QUISTORP.

Programma, quo ad pias de ſalutari in DOMINUM noſtrum & Regem unicum JESUM CHRISTUM, grumos ſanguinis ſudantem, aſpectu meditationes ſuos cives Academicos excitat.

PAULUS RABE,

Græc. Ling. P. in Acad. Regiomont.

Exercit. Philol. de Amictu Johannis Baptiſtæ ad Matth. III, 4. *Marc.* I, 6. Reſp. Chriſtoph. Conr. Falk. Regiomonti, Typ. Reusner. 4. 1693.

Exercit. Philol. de victu Johannis Baptiſtæ ex Matth. III, 4. *Marc.* I, 6. Reſp. Dan. Dressler. Fiſch. Pruſs. Typ. iisd. 1694. 4.

JO. CHRISTIANUS RABE,

Ph. & Med. D.

De πνεύματι ἀσθενείας, ſeu Anima Morborum. Qua ſcholas ſuas Medicas ac Philoſophicas indicat.

JOHANNES RAJUS

Ex præſtantiſſimis, qui in præterito vixere ſeculo, Hiſtoriæ Naturalis, Regni ſpeciatim Vegetabilis & Animalis, Scriptoribus. Natione Anglus. Cantabrigiæ ſtudia ſua perfecit, & Gradus Academicos aſſumſit, Characterem quoque Miniſterii, ſed quod non conformaret ſeſe ritibus Eccleſiæ Epiſcopalis, ab officiis ſacris excluſus. Comitibus *Franciſco Willoughbyo* & *Philippo Skippon* in Italiam aliasque Regiones Europæ profectus, ubique Hiſtoriæ Naturalis obſervantiſſimus, obiit 1705. vel 1706.

Three Phyſico-Theological Diſcourſes concerning. 1. *The primitive chaos the Creation of the world.* 2. *The general Deluge its cauſes and effects.* 3. *The diſſolution of the world, and future conflagration.* Lond. 1693. 8. 1697. 8. 1713. 8. auctior Germ. Hamburg. 1698. 8.

L'exiſtence & la Sageſſe de DIEU, manifeſtées dans les oeuvres de la Creation. Utraj. 1714. 8. ex Anglico.

De S. RAMBERT.

Nouveaux Eſſays Explication Phyſique du premier Chapitre de la Geneſe. Utrecht. chez Guill. Brœdelet. 1713. 8.

CHRISTIANUS RAVIUS.

Excuſſio ineptæ diſcuſſionis Abr. Calovii ſuper veriſſima temporum canonica ratione, h. e. infallibilitate Chronologias Biblicæ ſuperiori anno Chilonii editæ nunc Berlini vindicatæ. Colon. Brandenb. 1671. f. ap. Geo. Schultz.

De adventuali plenitudine temporis J. C. in carnem à priori deducta ex Hiſtoria Anni Diluvialis. Francof. ad Oder. 1673. 4.

ADAMUS RECHENBERG.

Exercit. de Adagio CHRISTI Matth. XXIV. 28. Lipſ. 1696. 4.

HADRIANUS RELANDUS.

Natus 1676. 7. Jul. Ripæ in Hollandia ſeptentrionali, Patre *Johanne* ibidem Paſtore, eum Alcmariam & Amſtelodamum ſecutus, heic ſub *Francio*, *de Bie*, *Surenhuſio*, ita profecit, ut anno ætatis 14. adierit Academiam Trajectinam, ubi, jactis prius Hebraicis & Rabbinicis fundamentis, ſub *Henrico Sykio* Arabicam didicit Linguam. Lugdunum conceſſit 1696. Lingam inde vocatus ad Profeſſionem Philoſophiæ & Linguarum Orientalium, quam recuſavit. A Comite Portlandiæ pro Ephoro filii aſſumptus. Philoſophiæ Profeſſor Harderwici declaratus 1699. & mox Linguarum Orientalium Profeſſor in Academia Trajectina, promovente Rege Angliæ, ubi recuſatis Vocationibus Franequerana & Lugduno-Batavâ obiit 1718. 5. Febr. variolis, filium poſt ſe relinquens, & binas filias.

Palæſtina ex Monumentis Veteribus illuſtrata Tomi II.

TrajectiBatav. ap. Guil. Brœdelet. 1714. 4. Norimb. 1716.

Palæſtina opgeheldert of de Gelegenheyd van het Joodſche Land uyt de Gedenkſchrifften der Ouden getroken en op vaſter gronden alsvvorheen aengetoont en beweſen door den Heer Adr. Reland &c. Utrecht. 1719. 8.

Diſſertationes quatuor de Nummis quibusdam veterum Hebræorum, qui ab inſcriptarum Literarum forma Samaritani appellantur, cum Tabulis Æri inſcriptis. Traj. ad Rhen. ap. Guil. Brœdelet. 1706. 8.

Diſſertationum Miſcellanearum Pars prima. 1. *De ſitu Paradiſi terreſtris.* 2. *De Mari Rubro.* 3. *De Monte Garizim.* 4. *De Ophir.* 5. *De Diis Cabiris.* 6. *De veteri Lingua Jndica.* Ibid. 1706. 8.

SAMUEL REYHER,

Anteceſſor primarius, Codicis ac Math. Prof. in Academia Kilonienſi, Conſiliarius Saxo-Gothanus, natus 19. Apr. 1635. Schleuſingæ in Comitatu Hennebergico, Patre *Andrea*, Rectore Scholarum, Schleuſingenſis, Luneburgenſis & Gothanæ. Lipſiæ 1654. audivit *Jacobum Thomaſium*, *Philippum Müllerum*, *Amadeum Eckholtum.* Studiorum patronus fuit *Andreas Winckler*, Senator & Mercator, qui eum Itineris Belgici fecit ſocium. Lugduni Batavorum audivit *Jacobum Golium*, *Nicolaum Goldmannum*, *Franc. de Schooten.* Redux Gotham informando Principi admotus lubidine iterum tactus proficiſcendi in Belgium, Rintelæ manſit, prohibente ulteriores paſſus Peſte. Inde Kilonium vocatus ad Profeſſionem Matheſeos 1665. ad Profeſſionem Juris extraordinariam 1673. ad Inſtitutionum ordinariam 1683. ad Codicis Profeſſionem 1692. obiit 22. Nov. 1714.

Matheſis Moſaica, ſive Loca Pentateuchi Mathematica Mathematicè explicata, cum Appendice aliorum S. Scripturæ locorum Mathematicorum. Kiliæ Lit. Joach. Reumanni. 1679. 4.

Diſſ. Juridico-Hiſtorica de Crucifixi Jeſu titulis, puniendorum ſuperdictionibus, nec non exaltationis Hora. Lipſ. ap. Joh. Sebaſt. Richel. 1697. 4.

Matheſis Biblica I. Moſaica. II. Hagiographico-Prophetica. III. Evangelico-Apoſtolica. Oder: Bibliſche Weiſsheit, welche aus den fünff Büchern Moſis, denen übrigen H. und Prophetiſchen Büchern Altes Teſtaments, und denen Evangeliſchen und Apoſtoliſchen Schrifften Neues Teſtaments geſammlet, darinnen vieler in Heil. Schrifft dunckeler Oerter deutliche, und durch Mathematiſche Wiſſenſchafften bewährte Erklärung, nebſt etlicher im Alten Teſtament befindlicher Vorbilder Auslegung, und durch ſelbige des Neuen Teſtaments Befeſtigung, vorgeſtellet wird. Lüneburg bey Joh. Georg. Lipper. 1712. fol. Opus affectum, non effectum.

FRANCISCUS de RIBERA

Soc. Jeſu Hiſpanus, in Academia Salmanticenſi edoctus & Doctor. In ordinem receptus 1570. anno ætatis 33. Obiit in memorata modo Univerſitate 1591. æt. 54.

De Templo Hieroſolymitano, Antuerp. 1602. Quem nihili æſtimat Saubertus Præf. ad Jac. Jehudæ Leonis Tractatum.

AUGUSTUS QUIRINUS RIVINUS

Med. D. Therapeut. & Botan. Prof. Lipſienſis, Collegii Maj. Principum collegiatus & Senior, Vir de Univerſa Re Medica, inprimis Botanica meritiſſimus. Natus Lipſiæ 9. Dec. 1652. Patre *Andrea*, Poeſeos, poſtea Phyſiologiæ Prof. Academiæ Decemviro, Matre *Catharina Eliſabetha*, *Tilemanni Olearii*, Halæ ad D. Ulrici Archidiaconi, filia. Avus paternus fuit *Andreas Bachmann*, Senator Halenſis, in juventute contra Turcam & Hiſpanum in Hungaria atque Belgio Miles fortiſſimus, cujus nomen Pater noſtri pro Seculi more cum *Rivini* nomine commutavit. Avia paterna *Dorothea Krebſia*, *Jeremiæ de Compaſcuis* vidua. Patre erepto d. 4. Apr. 1656. Rivinus noſter ſtudiorum fundamenta jecit ſub *Jac. Thomaſio*, *Chriſt. Frid. Franckenſtein*, *Joach. Feller*, *Valentino Alberti*, *Adamo Rechenberg*, aliis, Philoſophiæ Magiſter Decano *Johanne Ittigio* declaratus 1671. 15. Jan. In Studio Medico dehinc Præceptoribus uſus *Mich. Ettmüllero*, *Gothofredo Welſchio*, *Johanne Bohnio.* In Academia Julia, ſuaſu *Hermanni Conringii* Lauream Doctoralem accepit 1676. 15. Oct. Hinc in Academiam Patriam reverſus 1677. Jura & locum Doctoris Medicinæ Lipſienſis ſibi vindicavit, 1688. d. 9. Jul. in Facultatem Medicam receptus, 1691. d. 31. Mart. Phyſiologiæ docendæ munus publicum, & d. 20. Apr. Inſpectio Horti Medici ipſi fuit demandata, 1701. d. 12. Febr. Pathologiæ Prof. & Senior Facultatis Medicæ conſtitutus. Acceſſit 13. Febr. tum collegiati in Collegio Princ. maj. tum Academiæ Decemviri die 23. Apr. dignitas, & 1719. d. 13. Dec. Therapeutices munus publicum & Ordinis Decanatus. Quadruplex iniit matrimonium, 1. 1677. 22. Oct. cum *Catharina Sophia Langia*, quæ 14. Dec. 1678. mater facta eſt *Johannæ Catharinæ*, quatriduo poſt mortem Matris, quæ in diem 20. Dec. incidebat, iterum denatæ. 2. 1681. 6. Sept. cum *Anna Sophia Pinkeria*, ex qua A. 1682. 12. Maji vidit filiam, *Chriſtinam Sophiam*, præmaturo partu natam, vix triduum ſuperantem, quam d. 11. Jun. puerpura inſecuta eſt. 3. 1685. 15. Sept. cum *Johanna Margaretha Kuhlewein*, quæ d. 19. Jun. 1686. peperit *Johannam Eliſabetham*, ſed vix elapſo anno viduum ipſum reliquit d. 14. Sept. filiola etiam brevi poſt d. 1. Jan. 1687. extincta. 4. 1690. 25. Febr. cum *Catharina Eliſabetha Winkler*, ex qua d. 11. Nov. ſuſcepit *Johannam Catharinam*, 1710. 19. Jul. *Rudolpho Ludovico Langguth*, Ser. Regis Poloniæ & Elect. Sax. Commiſſario Aulico nuptam, ex qua nepotes vidit tres, neptim unam, ſed patre & matre orbos. Poſt Filiam peperit Winkleria duos Filios, *Johannem Auguſtum* 1691. d. 18. Dec. *Auguſtum* 1693. d. 27. Jan. ſed 19. Mart. denatum. Mœſtus poſt tot infauſtos caſus, & viribus attritus, in provecta ſua ætate calculo veſicæ & Renum vexatus, accedente Pleuritide exquiſita, vivere deſiit 1723. 30. Dec. ætatis 72. d. 3. Jan. 1724. ſine pompa funebri, uti mandaverat, Cœmeterio Paulino illatus, ab Academia tamen Programmate publico cohoneſtatus. Secutus eum non diu poſt paternarum virtutum ex aſſe hæres filius ſuperſtes *Johannes Auguſtus* M. D. quippe 1725. d. 10. Maji defunctus, ut non vivat *Auguſtus Quirinus*, niſi in Nepotibus & Ingenii fœtibus.

Vom wahren Alter ſo wohl der Welt, als auch unſers Heylandes, wie ſolches aus genauer übereinſtimmung der Sternkunſt mit der ſo wol geiſt- als weltlichen Hiſtorie deutlich erwieſen. Leipzig bey Philipp Wilhelm Stock. 1721. 4.

DIONYSIUS ANDREAS ROELL,

Franequera-Friſius, in Schola Daventrienſi Prof.

Diſſ. Theolog. Inaug. de Imagine DEI *in Homine*, 1717. 4.

ROESER.

De morte Judæ proditoris.

MICHAEL ROTHARDUS.

Samuel redivivus. In Tract. Biblicor. ſive Criticorum Sacrorum T. VI. p. 310. Edit. Francof.

OLAUS RUDBECK,

Upſalienſis, *Olai* filius, *Johannis*, Diœceſeos Aroſienſis Epiſcopi, Nepos.

Ichthyologiæ Biblicæ Pars I. de Ave Selau, cujus mentio fit Num. XI, 31. *in qua contra Bochartum & Ludolfum, non Avem aliquam plumatam, nec Locuſtam fuiſſe, ſed potius quoddam Piſcis genus, manifeſtis demonſtratur argumentis, addita brevi Hebræam inter & antiquam Gothicam Linguam Analogia.* Upſal. 1705. 4.

Ichthyo-

CATALOGUS AUCTORUM.

Ichthyologiæ Biblicæ Pars altera de Borith Fullonum, quod non herbam aliquam, multo minus ſmegma vel ſaponem fuiſſe, ſed Purpuram ex Jer. II, 22. & Mal. III, 2. perplurimis iisque non levibus evincitur argumentis & rationibus. Upſal. 1722. 4.

JOH. GEORG. RUDIGER
Pædagogii Giſſenſis Præceptor.

Specimen Philoſophiæ Moſaicæ theſibus quibusdam ſubitariis comprehenſum. Præf. D. Joh. Henr. Majo Theol. P. Giſſ. 1707.

FRANCISCUS RUEUS, Medicus Inſulanus.

De Gemmis aliquot, iis præſertim, quarum D. Joannes in Apocalypſi meminit, & aliis, quarum uſus hodie apud omnes percrebruit, Libri duo: Theologis non minus utiles quam Philoſophis. Extant in Conradi Geſsneri libro de omni Foſſilium genere. Tiguri ap. Jac. Geſsnerum 1568. 8.

CLAUDIUS SALMASIUS,
Philologus & Criticus ex celebratiſſimis 1588. in Burgundia natus, Patre *Benigno*, Domino de Saumaiſe le Duc, qui pagus eſt in Alexienſi Tractu, Conſiliario Parlamenti Diviodunenſis, Matre Reformatâ. Ingenium præcox, quod anno ætatis 10. carmina fudit Latina & Græca. Studiis Lutetiæ & Heidelbergæ perfectis Lugdunum Batavorum vocatus, ut *Scaligero* Profeſſor honorarius ſuccederet. In Galliam profecto obtulerat Cardinalis *Richelius* penſionem, ſi quidem in Regno maneret, & ejus vitam ſcriberet. Vocatus & ad Reginam Sueciæ Holmiæ manſit per integram æſtatem. Redux in Belgium Aquis Spadanis uſurus, obiit ibi biduo poſt adventum 3. Sept. 1652. Odium eruditi orbis in ſe contraxerat, quod neminem fere paſſus fuerit ſe ſuperiorem, & maximis in Re Literaria viris, *Lipſio, Scaligero, Heinſio, Sirmondo, Spanhemio, Grotio, Blondello, Amiraldo, Bocharto* haud pepercerit.

De Cruce CHRISTI &c. v. Bartholinus.

JOH. CASPARUS SANTOROCCIUS,
Acad. Marburg. Prof.

Cogitata quædam de ſtupendo Linguarum miraculo, quod Act. II. mirabilem in modum accidit, ubi ſub forma Diſſertationis Academicæ accuratius disquiritur, an & quomodo ſoli Apoſtoli ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς dona diverſarum Linguarum acceperint? Marb. Cattor. 1718. 8.

JOHANNES SAUBERTUS, Helmſtad. Prof.

Gründlicher Bericht über die neulichſt zu Hannover ausgegangene Deutſche Dollmetſchung des Tractats Jacobi Jehudæ Leonis von dem Tempel Salomonis, wie auch wider die in ermeldter Translation begangene Unwahrheiten. Helmſtadt. bey Jacob Müllern 1665. 8. v. Leo.

HENRICUS SCHARBAU,
Eccleſiaſt. Lubecenſis ad Templum Arcis.

De Plantis ab voce πνοῆς comprehenſis, & reſpirantibus. Ad illuſtrationem loci. Act. XVII, 25. In Miſc. Lipſ. T. V. Lipſ. apud Hæredes Lanckiſianos 1717. 8.

SAMUEL SCHELGUIG.

De Miraculo ad Siloah. Joh. V, 1-9. Diſſ. II. Gedani 1681. 4.

Exercit. Philol. Theolog. de Statua Salaria ex Gen. XIX. Reſp. Joh. Laur. Fiſcher. Gedan. 1680.

JOH. GEORGIUS SCHELHORN,
Memmingenſis.

De צלצל דגים Job. XL, 26. *obſervatio.* In Bibl. Brem. Claſſ. IV. Faſcic. III. p. 572.

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER
Phyſicæ hujus Sacræ Author, natus IV. Non. Aug. 1672. Patre *Johanne Jacobo*, qui ſecundo ultra quadrageſimum ætatis ſuæ anno oneri Archiatratus ſuccumbens Febre petechiali è vivis ereptus maximum ſui deſiderium apud bonos quosvis, præſertim viduam Matrem, filios filiasque, poſt ſe reliquit, matre *Barbara Fæſia*, quæ per DEI Gratiam adhuc ſuperſtes annum agit ſeptuageſimum ſeptimum, *Johannis Fæſii* V. D. M. & Scholæ Carolinæ Moderatoris filia. Studiorum fundamenta jeci ſub Præceptoribus optimis *Rodolpho Hoſpitalero, Henrico Nözlino, Rodolpho Hoſpiniano, Jacobo Huldrico*, & Avo materno. Profeſſoribus *Rodolpho Hofmeiſtero* ſeniore, *Jacobo Lavatero, Henrico Hottingero, Henrico Friſio* in Collegio, quod vocamus, Humanitatis; in ſuperiori verò *Johanne Henrico Heideggero, Johanne Caſparo Wolphio, Johanne Lavatero, Joh. Henrico Suicero, Rodolpho Ottio, Henrico Lavatero, Johanne Herrlibergero*, &, quem præ aliis nominare opportuiſſet, *Salomone Hottingero*; quibus addo me ipſum, qui pleraque mea ſtudia αὐτοδίδακτος tractavi. D. 9. Apr. 1692. ad exteros diſceſſurus, comitibus *Jacobo Cramero* poſt Linguarum Orient. & S. Theol. Prof. in Lyceo Hebornenſi, & *Jacobo Reutlingero*, nunc Capituli Thuricenſis Canonico, Altorffium adii, uſus heic Præceptoribus & Fautoribus *Wagenſeilio, Mauritio Hoffmanno* Patre & Filio, *Pancratio Brunone, Jo. Chriſtophoro Sturmio*, Julio menſe 1693. Altorffinæ Academiæ valedicens in Belgium profectus in Ultrajectina Academia informatione uſus *Jacobi Vallan* & *Johannis Munnicks*, Laureâ Doctorali ibi decoratus d. 26. Jan. 1694. Promotore *Vallanio*. Belgio perluſtrato per Friſiam, Hamburgum, Terras Brandenburgicas, Saxoniam ſuperiorem & inferiorem, Bohemiam, Bavariam, Franconiam in Patriam redii, eodemque hoc Anno primum Iter Alpinum Helveticum perfeci. A. 1695. denuò Norimbergam & Altorffium petii, in ſtudiis Mathematicis majores facturus progreſſus ſub *Sturmio* & *Eimmarto*. Inde in Patriam redux, inter Poliatros receptus cum ſpe ſucceſſionis ad Profeſſionem Matheſeos ab Ampliſſimo Magiſtratu facta. Matrimonio autem mihi d. 9. Nov. 1697. junxi conjugem dilectiſſimam *Suſannam Vogel, Caſpari Vogelii*, Ducentumviri, & *Margarethæ Ottiæ* filiam, ex qua ſuperſunt tres filii, *Johannes Jacobus*, ſub Fœderati Belgii ordinibus ſtipendia militaria merens, *Johannes*, V. D. M. Suamendingenſis, & *David*, qui Chalcographicæ Arti nomen dedit. Filii quarti *Johannis Caſpari*, qui A. 1729. Londini obiit, in ædibus Ill. Baronetti *Hans Sloane*, Mecænatis optimi, & quem ipſa Reſp. Literaria luget, non ſine doloris ſenſu recordor. Plura de me ipſo, ne in proprias ire laudes videar, non addo, ea duntaxat recenſurus ſpecimina laborum, quæ ad rem ſpectant præſentem.

Jobi Phyſica ſacra, oder Hiobs Naturwiſſenſchafft, verglichen mit der heutigen. Zürich. 1721. 4.

Herbarium Diluvianum. Editio ſecunda duplo auctior priori. Lugd. Batav. ſumtibus Petri van der Aa. 1723. fol. Prior autem propriis meis ſumtibus prodiit Tiguri. 1709. Typis Geſſner.

Piſcium Querelæ & vindiciæ. Tig. Typ. Geſſner. 1708. 4.

Oratio de Matheſeos uſu in Theologia. Tig. imp. Joh. Finsleri, Typis Hardmejerianis. 1711. 4.

Muſeum Diluvianum. Typ. Bodmer. Tiguri. 1716. 8.

Oratio de Miraculis Paſſionis CHRISTI. MSC.

Phyſicæ ſacræ ſpecimen de Locuſtis. Reſpp. Joh. Henrico Maagio & Joh. Jac. Cellario. Tig. Typ. Heidegg. & Rahn. 1724. 4.

Homo Diluvii teſtis & θεόσκοπος Reſpp. 13. Philoſophiæ Canditatis. Tig. Typ. Henr. Byrgklini. 1726. 4.

Specimen Operis Biblico-Phyſici ad Exod. XX, 1-7. Reſpp. Franc. Kauffmann, & Joh. Caſp. Heſſio. Typ. iisd. 1727. 4.

CATALOGUS AUCTORUM.

PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSER,
Weilburgo-Naſſovius.

Exercit. Philolog. de Serpente Seductore non naturali ſed ſolo Diabolo. ad Gen. III, 1 - 15. Præſ. M. Joh. Reinhardo Rus. Fac. Philoſ. Adj. Jenæ Typ. Pauli Ehrich. 1712. 4.

JOH. ANDREAS SCHMIDT. P.

Sciatericum Achas, & in eo Miraculum. Reſp. Joſepho Heiſſio, Memmingenſi.

Collapſi Hierichuntis Muri. Reſp. Joh. Chriſtoph. Oleario. Extant in variorum Philoſophicorum Decade. Jenæ ſumt. Tobiæ Ohrling. 1691. 4.

Thema CHRISTI natalitium à nonnullis impiè & abſurdè erectum. Jen. 1683. 4.

Diſſ. de curatione Morborum per oleum ſanctum. Jen. 1695.

JOH. HENRICUS SCHULINUS,
Brixenſtadio-Onoldinus, Phil. M.

Diſſ. Philol. de Elia Corvorum Alumno. Reſp. Joh. Frid. Schmidt Linda-Onoldino. Altorffi Noric. Typ. Jod. Guil. Kohleſii. 1718. 4.

CHRIST. GOTTLIEB SCHWARTZ,
Prof. Altorff. Mor. Orator. & Poeſ. Comes Palatin.

Diſp. II. de Morte Abitophelis. ex 2. Sam. XVII, 23. Reſp. Wolf. Caſp. Gerhardo, Rauſſa Sileſio. Wittenb. 1704. 4.

JOH. GEORG. SEIDEL.

Diſſ. de Saulo illuminato per triduum oculorum lumine deſtituto, ex Act. IX. Jen. 1702.

JOH. JACOBUS SEIFERHELD.

Vindiciæ Philologicæ Loci Judic. XV, 15. *de Maxilla Aſini, in quibus iniqua obſervatoris Hallenſis ψευδερμηνέια refutatur & B. Lutheri Verſio defenditur.* Tubing. Lit. Jobi Franckii 1716. 4.

JOH. PHILIPPUS SESEMANN. Numburg.

Diſſert. de Cultris Saxeis in circumciſione à Joſua denuo inſtituta uſurpatis. Joſ. V, 2. Præſ. D. Joh. Georg. Abicht. P. Lipſ. Lit. Brandenburger. 1712. 4.

SEVERIANUS

Gabalorum in Syria Epiſcopus, Johannis Chryſoſtomi amicus primùm, mox æmulus & inimicus. Obiit Theodoſii junioris, quem ſacro Baptismo tinxerat, temporibus, poſt A. C. 408. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 34. p. 267.

Ex Homiliis XIV. in Geneſin VI. Græcè edidit *ἐς κοσμοποιΐαν de Mundi Creatione*, Henricus Savilius inter S. Chryſoſtomi Scripta T. VII. p. 587. Græcè & Latinè Franc. Combefis in Auctario Bibl. Patrum T. I. p. 211. Pariſ. 1672. f.

JOHANNES SIMON
Fac. Philoſ. Adj. Scholæ Rector.

Diverſicolor Ovium Fœtus operâ Jacobi Patriarchæ productus in cauſis ſuis naturalibus conſideratus. Reſp. Joh. Erneſto Weber, Dresda-Misnico. Witteb. Lit. Matth. Henckel. 1675. 4.

CHRISTIANUS FRIDERICUS SINNER
Lipſienſis, Paſtor Weisbacenſis.

De Nuditate primorum Parentum, ad Gen. II, 25. Extat in Miſc. Lipſ. T. I. Lipſ. ap. Hæred. Lanckiſ. 1716. 8.

JUSTUS SOEFFING.

Hiſtoria de Creatione Mundi cum Notis Chronol-Theolog. Rudolſt. 1667. 4.

CHRISTOPH SONNTAG
S.Th. D. & Prof. in Acad. Altorffina.

Natus Weidæ in Voigtlandia 1654. Jenæ declaratus Magiſter 1674. Ephorus eodem anno præfectus filiis Comitis de Ronou & Biberſtein: biennio poſt Paſtor Oppurgenſis, 1685. Superintendens Schleüſingenſis, 1690. Profeſſor Theologiæ & Antiſtes in Academia Altorffina, Jenæ prius Doctoris titulo decoratus. Græcè inprimis doctiſſimus, quam Linguam Altorffii quoque docuerat, Græcè quoque perorantem audivi. Obiit 1717,

Diſſ. de Lignis Sittim.

GODOFREDUS SPROTTA.

Diſſ. de Patriarcharum Longævitate. Lipſ. 1668.

JOHANNES STENGEL, Ulma-Suevus.

De Junipero Biblica ad illuſtranda tria Scripturæ Loca. 1. Reg. XIX, 4. 5. Job. XXX, 4. Pſ. CXX, 4. Obſerv. in Bibl. Brem. Cl. VII. p. 856.

CHRISTIANUS von STÖCKEN
Epiſcopi Lubecenſis Eccleſiaſticus aulicus & Superintendens.

Diſp. Inaug. de Virga Aharonis florida. Præſ. Chriſtiano Kortholt. S. Th. D. & P. Witeberg. 1685.

JOH. MAURITIUS STOHR.

Poma Sodomitica ad illuſtr. Sap. X, 7. Lipſ. 1695. 4.

ÆGIDIUS STRAUCHIUS,

SS. Theol. Lic. Math. P. Theologus & Mathematicus, natus Wittenbergæ 21. Febr. 1632. Patre *Johanne*, J. C. quo vix ſeptennis fuit orbatus. Lipſiæ humanioribus, Linguis Orientalibus & Philoſophiæ operam dedit, etiam Theologiæ. Sub finem 1650. Wittebergam redux Artium Magiſter creatus, 28. Apr. 1651. biennio poſt Philoſophicæ Facultatis Adjunctus, & per 16. annos Aſſeſſor, 1656. Prof. Hiſt. extraordinarius, 1657. Theologiæ Licentiatus, 1659. Prof. Mathematum inferiorum, 1662. 13. Oct. Doctor Theologiæ renuntiatus, 1664. Prof. Hiſtoriarum, 1666. Theologicæ Facultatis Aſſeſſor. Vocatus Stetinum ad Rectoratum, Eperias ad Profeſſoratum ſuperiorem. Dantiſcum 1669. ad Rectoratum, Theologiæ Profeſſionem, & Paſtoratum, cui vocationi 1670. votum dedit. Sed moverunt difficultates lites, quas acriter fovebat cum Catholicis & Reformatis, ut Hamburgenſem vocationem ſeligere maluerit, poſtea oblatam Theologicam Profeſſionem in Academia Gryphiswaldenſi; quam dum aggredi in animo habuerat, in itinere ab Electore Brandenburgico arreſtatus Cüſtrini, inde verò liberatus intercedentibus Regibus Sueciæ, Poloniæ, & Hamburgenſibus Dantiſcum petiit, ubi remiſſius egit circa Controverſias, & vitam finiit. 1682.

De Computo ſacro LXX. Hebdomadum Danielis Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica. Reſp. Petro Gödtkens, Hamburgenſi. Witteb. 1660. Extat in Diſſ. Hiſt. Crit. Philolog. Faſciculo I. p. 393.

De Natali Mundi. Witteb. 1652. 4.

De Tempore Diluvii. Witteb. 1653. 4.

De Anno Nativitatis Abrahami, vocationis ejusdem, & CCCCXXX. *Annis manſionis Iſraelitarum in Ægypto, ex Exod.* XII, 40. Witteb. 1653. 4.

De Πάσχαλος σταυρωσίμου *&, quod eidem immediatè ſucceſſit, Paſſionis ac Mortis CHRISTI tempore.* Witteb. 1653. 4.

De Natali Immanuelis. 1654. 4.

De ætate Mundi. Witteb. 1662. 4.

LEONH. CHRISTOPH. STURM,
Johannis Chriſtophori Filius.

Sciagraphia Templi Hieroſolymitani ex ipſis SS. Literarum Fontibus, præſertim ex viſione Ezechielis ultima, Architectonice quidem, ita tamen concinnata, ut eam Architecturæ ignari quoque legere poſſint, hinc inde etiam modicis in Villalpandum animadverſionibus & figuris æri inciſis illuſtrata. Lipſ. Typ. Joh. Wilh. Krüger 1694. 4. Huic Scripto opponitur

Epicriſis Epiſtolica ad Amicum in Argentoratenſium Academia degentem Tubingâ tranſmiſſa de Sciagraphia Templi Hieroſolymitani paucis ante hebdomadis Architectonice ex ipſis SS. Literarum præſertim ex Viſione Ezechielis ultima delineata. Argentorati 4.

Matheſis ad Sacræ Scripturæ Interpretationem applicatæ Specimen, quo Mare Æneum, ſive Fons ſaliens Salomonis Coloſſeus, ope Arithmeticæ, Geometriæ, Stereometriæ, Architecturæ civilis, Mechanicæ, Geographiæ, Artiumque Hydrau-

Hydraulicæ, Sculptoriæ & Fuſoriæ ita explicatur, ut non ſolum in opus denuo perfectè deduci poſſet, verùm etiam

1. *Dubia vexatiſſima de eo mota demonſtratione genuina enerventur.*

2. *Alia hactenus ſilentio ſuppreſſa proſtituantur, ſolideque ſolvantur.*

3. *Variæ Auctorum ſententiæ methodo electiva & modeſta Epicriſi partim concilientur, partim removeantur.*

4. *Judaicæ Antiquitatis rudera, alia in luce collocentur, alia detegantur.*

5. *Cum Philologia tum Matheſis novis obſervationibus augeantur.*

6. *Prærogativæ Salomonicæ præ omni aliorum Regum magnificentia aſſeratur.*

7. *Denique Typica Maris Ænei ſignificatio certius determinetur.*

Omnia verò figuris Ære affabre inciſis illuſtrentur. Norimb. ſumptib. Auctoris ap. Joh. Leonh. Buggel. 1710. 8.

THEODORUS

Mopſveſtenus, parentibus illuſtribus & opulentis natus Antiochiæ, frater Polychronii, Apameenſis Epiſcopi, Johannis Chryſoſtomi amicus familiaris, hujus exemplo Monaſticam vitam amplexus admodum juvenis circa A. 369. in Epiſcopatu Mopſveſtiæ civitatis in Cilicia ſucceſſit Olympio circa A. 394. defunctus A. 429.

In Hexaemeron ſive ἑρμηνείαν τῆς κτίσεως commentarium ſeptem τόμοις diſtributum memorat Photius Cod. 38. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 33. p. 153. 159.

THYMUS.

Diſſertatio de Labro Æneo.

MICHAEL CHRISTIANUS TIEROFF.

Diſp. de Statua Salis. Jen. 1657. 4.

SALOMON van TILL,

Natus 1644. Weſopi, quod oppidum duabus leucis ab Amſtelodamo diſtat. Studiorum fundamenta jecit Alcmariæ & Trajecti, ſub *Burmanno*, *Voëtio*, aliis; Lugduni Batavorum ſub *Heydano* & *Coccejo*. Anno ætatis 21. vocatus ad Paſtoratum Oppidi in Belgio ſeptentrionali, Ripæ poſtea, Medemblici, & Dordraci Paſtor, & heic Profeſſor Hiſtoriarum & Philologiæ Sacræ, 1702. creatus Prof. Theologiæ in Academia Lugduno-Batava, ubi obiit 31. Octob. an. 1713.

Diſſ. de Situ Paradiſi, Malachiæ illuſtrato ſubjuncta. Lugd. Bat. 1701.

Commentarius de Tabernaculo Moſis. - - *Zoologia ſacra.*

M. AUGUSTUS TITTELIUS.

De Camelo per foramen acus tranſeunte, in Matth. XIX, 24. In Miſc. Lipſ. T. V. Lipſiæ ap. Hæredes Lanckiſianos. 1717. 8.

JOHANNES TOLANDUS,

Filius naturalis Sacerdotis Romano-Catholici, infelici ſidere natus 1671. in Hybernia, & in Catholica Religione educatus. Anno ætatis 15. legit Authores Græcos & Latinos, Livium inprimis. An. æt. 16. tranſiit ad Non-Conformiſtas. Studiorum fundamenta jecit in Gymnaſio Red-Caſtlenſi prope Londondery, inde 1687. adiit Academiam Glaſcovienſem, poſtea Edinburgenſem, ubi Magiſterii titulum 1690. adſumſit. Hinc tranſiit in Angliam & Belgium, informatione *Friderici Spanhemii* uſus. A. 1695. in Angliam redux Chriſtianæ Religionis fundamenta ſuffodere tentavit, & in publica converſatione, & comeſſationibus, quibus addictus erat, ludibrio habere, ſectæ Tolandiſticæ, publicis Parlamentorum Edictis proſcriptæ, Author. Rebus circa Religionem ſiniſtrè euntibus, in Republicanorum caſtra tranſiit, & Miltoni Scripta edidit, poſtea etiam Harringtoni. 1702. Hannoveram tranſiit, Berolinum, & in Belgium. Obiit 21. Mart. 1722.

Hodegus, una ex quatuor Diſſertationibus Tetradymi, qua probare vult, columnam Nubis & Ignis fuiſſe ignem portatilem, nihil miraculoſi. Lond. 1720. contra quem prodiit

Hodegus confuted in a plain demonſtration, that the Pillar of a Cloud and Fire was not a Fire of human preparation, but the moſt miraculous preſence of God. Lond. 1721. 8.

Titulus Anglicus Tolandianæ Diſſertationis eſt: *Hodegus, or the Pillar of Cloud and Fire, that guided the Iſraelits in the Wildneſs, not miracolous, but as faithfutly related in Exodus athin equally practyed by other Nations, and in thoſe places not bnely uſefull, but neceſſary.*

LUCAS TOZZI.

Quæſtiones Phyſicæ ex Sacris Literis deprompta.

ABDIAS TREW,

Phyſices & Math. Prof. Altorffinus. Natus Onolsbaci 1597. Magiſterii Gradum aſſumſit Wittebergæ 1621. poſt Diaconus Merckelbacenſis, Rector Scholæ Onolsbacenſis, qua ſtatione ob numeroſam prolem 21. liberorum pater derelictâ, obtinuit 1636. Profeſſionem Matheſeos in Academia Altorffina, 1650. Phyſicæ. Obiit 1669.

Examen Theologico-Philoſophicum Hyperſophiæ Anti-Biblicæ eorum, qui 1. *negant Aquas ſupercœleſtes Moſaicas ut, ante hodiernos quosdam Philoſophos, fecit, & propugnare ſtuduit* Matthias Flacius. 2. *Diluvium Univerſale particulare faciunt, ut facit* Iſaacus Voſſius. 3. *Motum Solis & reliquorum Siderum Terræ tribuunt, ut poſt* Nic. Copernicum *plerique faciunt hodiernorum Aſtronomorum.* Norib. 1667. 4. ap. Joh. Phil. Miltenberger.

ADAMUS TRIBBECHOVIUS

Lubecæ natus 11. Aug. 1641. Patre *Juſto*, Collega Gymnaſii Lubecenſis, Matre *Anna*, *Adami Helmſii*, Miniſterii Lubecenſis Senioris, filia. Academiam Roſtochienſem adiit 1659. Hinc Wittenbergenſem, Lipſienſem, Helmſtadienſem, ubi profecit ſub *Calixto, Balth. Cellario, Conringio, Schradero.* Vocationes recuſavit ad Conrectoratum Lubecenſem, Rectoratum Wormatienſem, A. 1662. comite *Davidis Gloximi* Conſulis Lubecenſis filio unico Giſſam profectus, ubi obtinuit largum ſtipendium Schabbelianum. 1664. Kilonium vocatus ad Profeſſionem extraordinariam Moralium, & eodem anno ad ordinariam Hiſtoriarum, 1672. ad Conſiliarii Eccleſiaſtici Gothani, & 1677. ad Generalis Superintendentis ibidem dignitatem. Malo Hypochondriaco per plures annos vexatus obiit 17. Aug. 1687. Matrimonio junctus 1675. cum *Sophia Eliſabetha*, *Thomæ de Auſſen*, Inſpectoris Ducalis filia, ex qua aliquot liberorum pater factus.

Veritas Creationis Mundi, prout à Moſe deſcripta eſt, oſtenſa in Traditionibus Gentium ac vetuſtiſſimis Antiquitatis profanæ monimentis ad convincendos Atheos. Reſp. Bartholdo Johanne Brammero. Kilon. 1668. Extat in Diſſ. Hiſt. Crit. Philolog. Faſcic. I. p. 227.

LAUR. BENEDICTUS TRIBEL, Gothanus.

Diſp. Philol. de Magis poſt Jeſum in Templo repræſentatum advenientibus. Reſp. Georgio Frid. Schmidt, Gothano. Jenæ Typ. Pauli Ehrich. 1715. 4.

CHRISTIAN GOTTLIEB TROPPANEGER.

Diſſ. de Diætetica Sacræ Scripturæ Medicina. Præſ. D. Frid. Hoffmanno. Halæ 1718.

JOHANNES TSEETSI, Hungarus.

Aphoriſmi in quibus Antiquitates Veterum Hebræorum breviſſimè exhibentur, in uſum Scholaſticæ Juventutis editi. Bernæ Typ. Ill. Reip. 1726. 8.

EDUARDUS TYSON M. D.

De Pygmæis, Satyris, Cynocephalis & Sphingibus, commentatio ad illuſtranda loca Jeſ. XII, 21. XXXIV, 14. Verſionem Latinam adornavit *Auguſtus Tittelius*, Hannoveranus.

JOHANNES FOI VAILLANT. Pater.

Diſſertation ſur l'Année de JESUS CHRIST decou-

verte par les Medailles antiques. Memoires de Litterature de l'Acad. Roy. des Inſcriptions. Tom. IV. p. 181.

LUCILIUS, aliàs JULIUS CAESAR VANINI, Taurozeno Neapolitanus, famoſus Atheus.

Apologia pro Moſaica & Chriſtiana Lege adverſus Phyſicos, Aſtronomos & Politicos. Citatur in ejusdem *Amphitheatro.* p. 38.

GEORG. VECHNER,

Natus Freyſtadii in Sileſia 1590. Patre *Georgio*, Loci Eccleſiaſte. Francofurti 1618. Laureâ Doctorali in Theologia ornatus, obtinuit Profeſſionem in Gymnaſio Beuthenſi Sileſiæ inferioris. 1646. Paſtor Eccleſiæ Brigenſis, ut & Superintendens vicinarum, atque Director Gymnaſii. Obiit ſub finem Anni 1647.

Tractatus de Palo Pauli. 1678.

PAULUS VERMEHREN, Lubecenſis.

Diſp. Theolog. De Lapide ſeptem oculorum pro expiandis peccatis ad Zach. III, 9. Præſ. D. Joh. Schmidio S. Th. D. & P. Lipſ. Typ. Imman. Titii. 1716. 4.

PETRUS VERNANTES. V. D. M. Anglus.

Unvorgreiffliche Erweiſung, daſs des Copernici Lehrſätze der Heiligen Schrifft nicht zuwider ſeyn; verteutſchet von J. B. S. Franckfurt. 1684. 4.

RICHARDUS de S. VICTORE.

Vixit circa A. 1140.

De Templo Salomonis.

JOH. BAPTISTA VILLALPANDUS,

Soc. Jeſu, Cordubenſis Hiſpanus, conſcripſit 1596. Commentarium in 22. poſtrema Ezechielis Capita, Pradi, quem vide, in opere magnifico Collega & Succeſſor. Obiit 1608. ætatis anno 56. v. *Pradus.*

CAMPEGIUS VITRINGA Pater.

Natus 16. Maji 1659. Leovardiæ Friſiorum, Patre *Horatio*, Curiæ Friſiorum ſupremæ Secretario ſeu ſecundo Graphiario, poſtea Fratris Martini ſucceſſore in Scabinatu Leovardienſi, Matre *Albertina de Haen.* Juvenis Annorum 16. Textum utriusque Teſtamenti Originalem ad aperturam interpretatus 1675. ad Academiam Franequeranam miſſus, profecit ibi ſub *Joh. Terentio*, *Nic. Blancardo*, *Joh. Marckio*, *Witſio*, Lugduni ſub *Frid. Spanhemio* Filio, *Chriſtoph. Wittichio*, *Stephano le Moyne*, *Ant. Hulſio*, ubi Gradu Doctoratus in Theologia decoratus, Promotore *Hulſio* 9. Jul. 1679. Domi inter S. Miniſterii Candidatos adſcriptus 1680. Ad Profeſſionem Linguarum Orientalium. 19. Auguſti 1680. In matrimonium adſcivit Autumno 1681. *Wilhelminam van Hell*, *Simonis Hellii*, Eccleſiaſtæ Harlemenſis, Filiam, quæ 5. liberorum, *Simonis*, duorum *Horatiorum*, *Campegii*, *Joannæ Margarethæ* Mater extitit, ex quibus Filius *Campegius*, SS. Theol. D. vivo Patri in Profeſſione Theologica adjunctus. Ad Groninganam Cathedram Pater d. 18. Jul. 1682. vocatus, ad Hiſtoriæ Sacræ Profeſſionem 6. Maji 1693. 22. Aug. 1698. *Witſii* conſtitutus ſucceſſor, d. 31. Martii 1722. Apoplexia forti correptus obiit anno ætatis 63. *Bibl. Brem.* Cl. VI. p. 735.

De Lucta Jacobi cum Angelo ad Gen. XXXII, 24-32. *Diſſ. Theologica prima* in Bibl. Brem. Cl. I. Faſc. VI. p. 773.

- - - *Diſſ.* II. in Bibl. Brem. Cl. II. Faſ. I. p. 5.

Diſſ. de Serpente veteratore. Franeq.

Introductio ad verum ſenſum Templi Ezechielis. Belg. Franeq. 1687. 8.

Vera interpretatio Templi Ezechielis contra J. H. Coccejum defenſa. Harlem. 1693. 8.

Hypotypoſis Hiſtoriæ & Chronologiæ ſacræ à Mundo condito ad Seculum à nato CHRISTO. *Accedit Typus Doctrinæ Propheticæ.* Franeq. 1708. 8.

JOH. DANIEL UNSELT, Gedanenſis.

Diſp. Philologico-Phyſica ad Illuſtrem Locum Gen. I, 2. *de Chao Mundi.* Præſ. M. Chriſtiano Bernhardo Bücher, Fac. Philoſ. Adj. Vitemberg. Typ. viduæ Gerdeſianæ.

JOHANNES VORSTIUS.

Exercitationes

De Temporibus, quibus Medi ac Babylonii ab Aſſyriis defecerunt.

De LXX. Annis captivitatis Hebræorum, & vaſtitatis Hieroſolymitanæ.

De tempore, quo Templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit.

De LXX. hebdomadibus annorum, de quibus Angelus apud Danielem cap. IX. prædixit.

Extant in Crenii Diſſ. Hiſt. Crit. Philol. Faſc. III. p. 693. ſeqq.

De Paradiſo. Extat in Faſcic. IV. p. 306.

JOH. HENRICUS URSINUS,

Eccleſiæ Ratisbonenſis Superintendens. Natus Spiræ 1608. Patre *Johanne*, Notario publico & Procuratore, Matre *Anna Maria Luzigia.* Miſſus 1626. ad Academiam Argentoratenſem, Patria Urbe A. 1632. ab Hiſpanis occupatâ exul varias perpeſſus calamitates Moguntii primus Gymnaſii Lutherani Rector conſtitutus, 1633. Wingartæ Paſtor. 1634. Spiræ Conrector. 1635. Paſtor Auguſtinianus. 1643. Paſtor ordinarius in S. Georgii Templo, eodem anno vocatus Ratisbonam ad Superintendentis dignitatem, qua ad vitæ usque finalem annum 1666. fuit defunctus.

Arboretum Biblicum, in quo Arbores & Frutices paſſim in S. Literis occurrentes notis Philologicis, Philoſophicis, Theologicis exponuntur & illuſtrantur. Norimberg. ſumt. Joh. Tauber. Typ. Chriſtoph. Gerhardi. 1663. 8.

Continuatio Hiſtoriæ Plantarum Biblicæ, ſive 1. *de ſacra Phytologia.* 2. *Herbarius ſacer.* 3. *Hortus aromaticus cum ſylva Theologiæ ſymbolicæ*, recuſa Ibid. 1665. 8.

ALMONIUS UTINES.

De Æternitate Mundi modeſtiſſima expoſitio. Biblioth. Brem. Claſs. VIII. p. 1028.

CHRISTIANUS WAGNER.

Animadverſiones in Thomæ Burnetii Theoriam Telluris ſacram. Lipſ. 1683. 4.

CHRISTIANUS WARLIZIUS.

De Morbis Biblicis è prava Diæta animique affectu pravo reſultantibus. Witteb. 1714. 8.

WARNECCIUS.

Diſſ. de ſuſpendio Judæ. Præſ. D. Götzio.

ERASMUS WARREN,

Rector Worlingtonenſis in Provincia Suffolk.

Geologia, or a diſcourſe concerning the Earth before the Deluge. 1690. 4.

MATTHIAS WASMUTH,

Natus Kilonii 29. Jun. 1625. Patre *Georgio.* In Academia Wittenbergenſi audivit *Buchnerum*, *Scharfium*, *Sperlingium*, *Sennertum*, *Calovium*, *Meiſnerum.* In Belgio *Golium*, *Coccejum*, *Gentium.* Baſileæ *Buxtorfium.* In Patriam redux Profeſſor Logices Roſtochii electus, & fundatâ A. 1665. Kilonienſi Academiâ ibi Profeſſor Orientalium Linguarum, & 1675. S. Theologiæ. Operi Aſtronomico in LXX. Hebdomadas Danielis immortuus 18. Nov. 1688.

Epiſtola de Anni Diluvialis, ejusque dierum in S. Scriptura expreſſorum, Mathematica demonſtratione, è novis Tabulis ipſius Cœleſtibus omnium totius Mundi Annorum ſimul demonſtrativis: velut Experimentum & Prodromus operis ipſius Aſtronomico-Chronologici. Inſerta Reyheri Matheſi Moſaicæ. p. 98-124.

GEORGIUS WOLFGANGUS WEDELIUS,

Med. D. & Profeſſor in Academia Jenenſi celeberrimus: ſolitâ ſuâ & ſolidâ Eruditione enucleavit varia Phyſicæ ſacræ Themata, quæ offendes in

Centuria Exercitationum Medico-Philologicarum Sacrarum & profanarum, quæ varias Lectiones, Experimenta & Com-

Commentarios Curioſos exhibet. Jen. ſumt. Joh. Bielkii 1701. 4.
Nimirum in Decade I. & II.
De Morte Judæ proditoris.
De Vulnere ſub quinta.
De Saule energumeno.
In Decade III.
De Latere CHRISTI aperto.
De ſudore CHRISTI cruento.
De Morbis Senum Salomonæis.
In Decade IV.
De Unguento Nardino.
De Morbo Hiobi.
De Pane quotidiano.
In Decade V.
De Epiſpaſmo Judæorum.
De Paralyſi torquente.
De Sinapi Scripturæ.
De Sale inſulſo.
De Balſamatione corporum in genere.
De Balſamatione corporis CHRISTI.
In Decade VI.
De Contractura Dæmoniaca.
De Phyſiologia Excidii Sodomorum & ſtatuæ Salis.
De vini dulcis plenis.
In Decade VII.
De Hyſſopo in genere.
- - - *Herba ſacra.*
- - - *Myſtica.*
De Morbo Hiskiæ.
De paxillo Carnis.
In Decade VIII.
De אהלים *ſeu Ligno Aloes.*
De Febri magna.
De decimatione olerum.
In Decade IX.
De Moſe Chemico.
De Morbo Nabalis.
De Corona CHRISTI ſpinea.
De Vino modico.
In Decade X.
De Lilio agri.
De Jaſpide Scripturæ.

DAVID WENDELER.

De Miraculo ad Siloah. Joh. V, 1-9. Witteb. 1676. 4.

GUILIELMUS WHISTON,

Antehac Prof. Math. in Acad. Cantabrigienſi.

Aſtronomical Principles of Religion, natural and revealed. In nine parts &c. Together with a Preface of the Temper of Mind neceſſary for the diſcovery of divine Truth: and of the degree of Evidence, that ought to be expected in divine matters. Lond. 1717. 8.

JOHANNES WICHMANN.

Chronologia ſacra II. comprehenſa Libris cum Anctario II. Decadum illuſtriorum Quæſtionum Chronologicarum. Roſtoch. 1662. 4.

JOH. FRID. WICHMANSHAUSEN.

Diſp. de Maledictionibus Diei. Vitemb. 1712.

JOH. BERNHARDUS WIDEBURGIUS,

Math. P. ordin. & Ducalium Alumnorum Inſpector in Academia Jenenſi.

Matheſeos Biblicæ Specimen primum, exhibens explicationes Locorum Mathematicorum, quæ in Geneſi occurrunt. Jen. Imp. Franc. Bortoletti. 1727. 4.

- - - *ſecundum, exhibens explicationes Locorum Mathematicorum, quæ in quatuor poſterioribus Pentateuchi Libris occurrunt.* Ib. 1727.

- - - *tertium, exhibens explicationes Locorum Mathematicorum, quæ in Libris Joſuæ, Ruth, Samuelis & Regum occurrunt.* Ib. 1728. 4.

HERMANNUS WITSIUS. S. Theol. Prof.

Theologus inſignis, doctus & moderatus. Natus 12. Febr. 1636. Enkhuſæ in Friſia occidentali, Patre *Nicolao*, Conſule. Principia Linguarum, Philoſophiæ ac Theologiæ hauſit ab Avunculo *Petro Gerhardi*, ulteriores profectus debet Academiis, Trajectinæ, Lugdunenſi, Groninganæ; nucleum inprimis Chriſtianismi interioris acceptum referebat *Juſto van den Bogaert.* Receptus A. 1656. in Miniſtrorum ordinem, vocatus ætatis ſuæ anno 21. ad Paſtoratum Weſtwoudenſem, Leowardienſem, aſſumſit 1675. Theologicam Profeſſionem in Academia Franequerana, Doctor prius renuntiatus. A. 1680. ſimilem vocationem in Trajectina. Comitem ſe dedit 1685. Legationi Belgicæ ad Regem Jacobum II. quâ occaſione Archiepiſcopo & aliis viris illuſtribus innotuit A. 1698. vocatus ad Theologicam Profeſſionem in Academia Lugduno-Batava eò ſeceſſit, ubi obiit 22. Oct. 1708. ætatis anno 73.

Miſcellaneorum Sacrorum Libri IV. Quibus de Prophetis & Prophetia, de Tabernaculi Levitici Myſteriis, de collatione Sacerdotii Aaronis & Chriſti, de Synedriis Hebræorum, de IV. Beſtiis Danielis, de cultu Molochi, de Seculo hoc & futuro, de ſenſu Epiſtolarum Apocalypticarum, de Schismate Donatiſtarum diligenter & prolixè diſſeritur. Additæ ſunt Tabulæ aliquot, quibus Tabernaculum cum ſuo apparatu, & Pontifex, & Synedrium, affabrè delineata ſunt. Editio ſecunda aucta. Amſtelod. ap. Joh. Wolters. 1695. 4.

Diſſ. de Seditione & Exitio Coræ. in Meletem. Leidens. p. 249-273.

JOHANNES WITTY.

Eſſay towards a vindication of the Moſaik Hiſtory of the Creation of the World, in ſeveral Letters. Lond. 1705. 8.

JOHANNES WOODWARD,

Med. D. in Collegio Greshamenſi Profeſſor.

An Eſſay towards a Natural Hiſtory of the Earth and Terreſtrial Bodies, eſpecially Minerals, as alſo of the Sea, Rivers and Springs, with an Account of the univerſal Deluge, and of the effects, that it had upon the Earth. Thè ſecond Edition. London. printed by T. W. for Richard Wilkin. 1702. 8. Prodiit prima Londini. 1695. 8. Tertia Lindon for A. Bettesworth and W. Taylor. &c. 1723. 8.

Latinè, me interprete totius Libri,

Specimen Geographiæ Phyſicæ, quo agitur de Terra & corporibus terreſtribus, ſpeciatim Mineralibus, nec non Mari, Fluminibus & Fontibus. Accedit Diluvii univerſalis, effectuumque ejus in Terra deſcriptio. Tiguri Typ. Davidis Geſsneri. 1704. 8.

Naturalis Hiſtoria Telluris illuſtrata & aucta. Cum defenſione contra Eliam Camerarium M. P. Tubingenſem. Lond. 1714. 8.

Promiſſa.

Collectanea & obſervationes de Moſaica Mundi conditi relatione. Ex cujus verbis Tohu vabhohu Gen. I, 2. non rectè intellectis nata ſunt veterum Græcorum & Romanorum commenta de Chao. Cujus tamen ne minimum quidem apud Moſem extat veſtigium. De Abyſſo quoque, de Tartaro, Erebo & Hade veterum.

Collectanea de primis Gentium poſt Diluvium Coloniis, migrationibus & ſedibus.

Materials and Collections for a Diſcourſe, concerning the ſtate of Mankind in the firſt Ages after the Deluge with a collation of the Manners, Cuſtoms, opinions and Traditions, the Arts and Inſtruments, of all the moſt antients Nations: in order to the diſcovery of the origin of Nations; but more particularly of the Americans, Negroes and Indians.

Of the Wiſdum of the antient Egyptians: a Diſcourſe concerning their Arts, their Sciences, their Learning and their Religion, with occaſional Reflections upon the ſtate of Learning antiently among the Jecos, and ſome other Nations.

CATALOGUS ARTIFICUM.

THOMAS WOOLSTON, Collegii Siduneјenſis, quod Cantabrigiæ eſt, Membrum.

A Diſcourſe on the Miracles of our Saviour, in view of the preſent Controverſy between Infidels and Apoſtates. London printed for the Author. 1727. Malæ notæ Liber, veritatem miraculorum ſuffodiens.

JOH. JACOBUS ZIMMERMANN.

Scriptura S. Copernizans ſeu potius Aſtronomia Copernico-Scripturaria bipartita, d. i. *ein gantz neu - und ſehr curieuſer Aſtronomiſcher Beweiſsthum des Coperniſchen Welt-Gebäudes aus Heil. Schrifft*, &c. Hamburg. 1706. 8.

Coronidis loco

proſtet

Catalogus

Peritiſſimorum Artificum,

Quotquot Operi huic Biblico in adornandis Tabulis æneis operam ſuam commodarunt.

Editor & Director

eſt laudatus jam antea

Dn. JOHANNES ANDREAS PFEFFELIUS,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS Chalcographus Aulicus.

EDitus ipſe in lucem A. O. R. 1674. 5. Kal. Jun. Biſchoffingæ, in ditione Sereniſſ. Marchionis Badena-Durlacenſis; Pater ipſi extitit Reuerendus admodum loci iſtius Paſtor, Mater Helena Bœklinia, anno proxime ſequenti fatis defuncta; Sedis juxta & muneris extorrem fecerant funeſta Belli diſcrimina optimum Parentem, quo factum ut a. 1676. Johannes Andreas noſter Auguſtam Vindelicorum translatus fuerit, quæ ipſum extollens benigna mater, ſolidis hinc Chalcographiæ fundamentis imbuit adoleſcentem, tanto ſucceſſu, ut a. 1697. idoneus ſatis videretur, qui Viennam adiret, artisque ſuæ ſpecimina in Illuſtriſſimo hoc Summi Imperantis domicilio proderet; Seceſſit equidem aliquandiu in Patriam, eo animo, ut Pariſios inuiſeret; mutauit tamen propoſitum ex rumore, qui de Auguſtiſſimis Rom. Imperatoris JOSEPHI I. Nuptialibus Sacris, Viennæ celebrandis ad aures ipſius peruenerat, quò cum fuiſſet delatus, cepit conſilium perpetuo ibidem commorandi, confirmatus Summa Chriſtianorum Monarchæ gratia, quæ inter Chalcographos Aulicos noſtrum recipere dignabatur. Secus autem contigit res, fato quodam ſuperueniente ſupremo, ut Auguſtam ſuam a. 1711. repeteret, ciuiumque numero in ea adſcriptus in tori ſociam ſibi adſciſceret lectiſſimam Virginem *Magdalenam Leſeriam*, ex qua tres ſuſcipiens propagines, *Johannem Andream*, ſua jam veſtigia acriter prementem, amat adhuc ſuperſtitem. Primo hoc ſuo conſortio a. 1716. ſolutus in conjugalia rediit vota a. 1717. cum Virgine pariter florentiſſima *Maria Catharina Auracheria*, quæ trium filiarum juxta & quinque filiorum reddidit parentem, horum tamen poſtremum teneros inter complexus unicè fouet.

Pictoris Experientiſſimi

Munere ſingulas delineando tabulas feliciter fungitur,

Dn. JOHANNES MELCHIOR FUESLINUS,

Tigurinus.

PRognatus eſt apud nos a. 1677. Perſtrenuo Centurione, *Johanne Caſparo*, & *Magdalena Stuzia*; Artis limina poſuit in patria 1690. ſub auſpiciis Mayerianis, quæ Berolini celeberrimo dirigente Bleſendorfo, effigiatore, ad perfectionem usque perpolluit. Redux in Patriam factus matrimonio ſibi junxit *Annam Wetſteniam*, quacum felice 12. liberorum genitrice unica tantum filia, *Anna Barbara*, delectatur.

Tabula-

CATALOGUS ARTIFICUM.

Tabularum Ornamenta adpinxit

Magno ingenio & dexteritate, ipſumque Frontiſpicium delineauit

Dn. JOHANNES DANIEL PREISSLERUS,

Noribergæ agens.

*D*Anielis, Artis ejusdem Magiſtri filius poſthumus, ſatus & natus Dresdæ a. 1666. fundamentis rite jactis Romam profectus eſt, per octennium integrum ibidem perſedendo peritiæ culmina pertigit; Inde Noricorum metropolin ſalutans gradum ſtitit, plurima ſcientiæ haud vulgaris monumenta exaſcians inclaruit adeo, ut dignus haberetur, quem Illuſtris Noribergenſium Magiſtratus nobili Pictorum Academiæ præficeret Directorem.

Autoris Effigiem

In

Phyſicæ *Sacræ*

limine conſpiciendam æri inſcripſit

Dn. TOBIAS LAUBIUS,

Ciuis Auguſtanus,

Quemque Auguſta dedit a. 1685.

Chalcographos arte ſua clariſſimos, Tabulas noſtras mira ſolertia exſculpentes, juxta Alphabeti ordinem diſpoſitos accipe ſequentes:

Dn. JOH. AUGUSTUS CORVINUS, Auguſtæ Vindelicorum, natus Lipſiæ A. 1682.

Dn. JOH. ADAMUS DELSENBACH, Noribergæ, natus Norib. 9. Dec. 1687.

Dn. JAC. ANDREAS FRIDRICH, Auguſtæ, natus Norib. 19. Febr. 1684.

Dn. PHIL. GOTTFR. HARDER, Auguſtæ, natus Auguſt. 2. Febr. 1710.

Dn. GEORG. DANIEL HEUMANN, Noribergæ, natus Norib. 23. Sept. 1691.

Dn. GEORG. DAVID NESSENTHALER, Auguſtæ, natus Auguſtæ - 1695.

Dn. JOH. ANDREAS PFEFFEL, junior, natus Auguſtæ - 1715.

Dn. JOH. GEORG. PINZ, Noribergæ, natus Noribergæ - 1697.

Dn. JOH. BALTHAS. PROBST, Auguſtæ, natus Auguſtæ 30. Nov. 1689.

Dn. CAROLUS REMSHART, Auguſtæ, natus Auguſtæ 17. Jun. 1678.

Dn. DAVID SCHEUCHZER, Autoris filius, natus Tiguri 22. Febr. 1704.

Dn. BALTH. SIGMUND SETLEZKI, Auguſtæ, natus Auguſtæ 28. Jun. 1695.

Dn. HIERONYMUS SPERLING, Auguſtæ, natus Auguſtæ - 1695.

Dn. CATHARINA SPERLINGIN, nata HECKLIN, Conjux, nata Auguſtæ - 1699.

Dn. JOHANNES STRIDBECK, natus Francofurti 31. Maji 1707.

Dn. JACOBUS GOTTLIEB THELOT, Auguſtæ, natus Auguſtæ 24. Jun. 1708.

Dn. MARTINUS TYROFF, Noribergæ, natus Noribergæ - 1705.

Dn. JACOBUS WANGNER, Auguſtæ, natus Auguſtæ 15. Jan. 1705.

Titulos ſubſcripſit Tabulis ab hisce paratis

Dn. JOH. CHRISTOPHORVS STEINBERGER, Auguſtæ, natus Auguſtæ 11. Maji 1709.


Textum denique utrumque magna cura ex inſtructiſſima ſua Typographia ſuppeditat

Dn. CHRISTIANUS ULRICUS WAGNER, Ulmæ Sueuorum, natus ibidem 21. Martii 1686.

In
PHYSICAM SACRAM
GABRIELIS SEIGNEUX
Viri Conſularis Lauſannenſis
Epigramma.

De la Phyſique augmenter la beauté
Quoy que ſi fort en beauté elle abonde;
C'eſt ce que fit l'Autheur de ce Traité
Qui l'eut rendu fameux par tout le Monde
Si cet Autheur dejà ne l'eut eté.

Pour attirer l'Amour auſſi bien que la Foy
Aux ſublimes beautés de nôtre ſainte Loy
SCHEUCHZER leur prete icy la voix de la Nature;
Et ſon ſçavoir guidant un habile pinçeau
Il ſçait par une route auſſi neuve que ſure
Pour les divins Ecrits donner un gout nouveau.



GENESIS Cap. I. v. 1.
Creatio Univerſi.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 1.
Erſchaffung der gantzen Welt.

Joh. Melchior Füßlinus delin.

I. A. Fridrich sculp.

CB



A καὶ Ω.

TABVLA I.

Geneſ. Cap. I. verſ. 1.

In principio creauit DEVS Cœlum & Terram.

In principio creauit DEVS Cœlum & Terram.

INuitat nos Mundi naſcentis Hiſtoricus ad cognitionem Dei, *Mundi*, & *Noſtri*, qui triplex eſt & palmarius, omnis *Philoſophiæ*, ſpeciatim *Naturalis*, uſus. DEVS Creator, *Mundus* Creatura, *Homo* μικρόκοσμος, Mundi contemplator, DEI adorator : DOMINI, *qui extendit cœlos, fundat Terram, & Spiritum Hominis in medio ejus fingit* : Vel : *extendentis cœlum, & fundantis terram, fingentis ſpiritum hominis in eo.* Zach. XII, 1.

Tò בְּרֵאשִׁית *Bereſchith, in principio*, fulminis velut ictu proſternit ridicula *Ariſtotelis* & Sectariorum de *Mundi Æternitate* ſomnia, & DEI adſerit actuoſiſſimam *Æternitatem*. Fuit certe! & ab æterno, qui in Temporis principio Mundum ex immenſis Nihili Abyſſis produxit.

Mundum aliquando, & ex *Nihilo* ortum præter Scripturam Sacram Natura ipſa docet, ſed Annum, Diem, Menſem, Ordinem, ſolus DEI *de proximo Arbiter*, ut *Moſen Tertullianus* vocat. Diuino Vate opus fuit, qui aperiret abſconditos de rerum originibus Theſauros.

Principium aperit Moſes, progreſſum ad noſtra usque tempora monſtrat Aſtrorum immutabili ac perenni motu nixa *Chronologia* omnis, tum *Sacra*, tum *profana*.

Creator eſt DEVS Triunus, אֱלֹהִים Elohim, Dii, Ens æternum, independens, perfectiſſime viuens, liberrime agens, abſolute dominans, ſummum, ſimpliciſſimum, ſpirituale, immutabile, unum & unicum, omniſcium, omnipotens, ſapientiſſimum, optimum, veraciſſimum, ſanctiſſimum, ſibi ipſi ſufficientiſſimum, infinitum, immenſum, incomprehenſibile, feliciſſimum. Quibus verbis ſummas infiniti Entis proprietates complectitur Sturm. Theoſoph. Cap. 3.

בָּרָא *Creauit* Ens hoc omniperfectum ad gloriam ſuam, ſiue, produxit *ex Nihilo* hoc Uniuerſum, quod proin non prodiit ex Eſſentia DEI, neque ſe producere poterat ipſum, utpote Ens materiale, purè putè paſſiuum : neque cauſam productricem agnoſcit Naturam, Gentilium Idolum, niſi cum Barbaris Naturam intelligas Naturantem. Cadit ita *Spinozismus* DEVM Mundo ſtatuens coeſſentialem: cadit *Epicureiſmus* cum Atomorum ſuarum fortuito concurſu, DEVM ipſum liberrimum Ens, Fato alligans. Æterno quis præſcripſerit tempus? Sapientiſſimo quis ordinem? Omnipotenti quis ſuppeditauit vires? *Quis humeris ſaxa convexit? Quis congeſſit impenſas?*

Quis

Quis laboranti DEO ſuam operam miniſtrauit? Ambroſ. de fide reſurrect.

Eſt idem Deus, qui omnipotenter *creat*, ſapientiſſime *ordinat* ac diſponit, optimeque *conſeruat*. Hæc omnia vult vox בָּרָא, Græcorum κτίζειν, κτίσις, generatim omnem productionem, non duntaxat Creationem ex nihilo. Non ſane *creauit* DEVS *Cete* ex nihilo Gen. I, 21. Non Hominem, non Subſtantias duntaxat, ſed & Accidentia voce κτίσεως comprehendit Diuus Gentium Apoſtolus Rom. VIII, 38. 39. videatur ſubtilis noſter Gotth. Heidegger in Creatura gemente p. 164.

Creatio eſt productio ex Nihilo; infinitæ potentiæ opus, quia inter Nihil & Aliquid infinita eſt diſtantia: Nihili infinita licet multiplicatio, non dat unitatem, nedum numerum. Heic non opus fuit, niſi unico Voluntatis Diuinæ nutu. Vis ſcire, quam breui? Dixit & fecit, Ambroſ.

- - Rerumque creans per nomina formas
Cum fierent, VOX ſemen erat.

Arat.

I campi del nulla, fecondi dell'uniuerſo, col ſolo ſeminaruiſi del diuin Verbo. Bartoli Ricreat. del Sauio L. I. c. 3.

Deus ante creationem, & poſt, ſemper idem. Immutabilis:

Ipſe ſibi ante omnia erat Mundus, & Locus, & Omnia. Tertull. contr. Prax. C. I. Intellectui ſuo puro & infinito obverſabantur omnes rerum futurarum Ideæ. Nec τὸ Eſſe & Fieri impediebat, niſi Voluntas. Non minus fuit omnipotens ante Mundum creatum, quam poſt: non ditior, ſi Mundi Dominus: non juſtus magis, ſi punit, nec melior, ſi donat.

Cœli & Terræ nomine veniunt vel Principia generalia Uniuerſi, tam actiua, quam paſſiua: incuba, ut quidam loqui amant, ſeu ſuperiora, & ſuccuba ſeu inferiora, ſubtiliora, ſubtiliſſima, craſſiora, craſſiſſima: Vel potius in genere omne Uniuerſum, Corpora omnia, Lucida, Pellucida, & Opaca: ea in ſpecie, quæ Globum Terr-aqu-aereum attinent. Ita ſane commodiſſimé per πᾶσαν illam κτίσιν Rom. VIII, 22. laudatus ſupra *Heideggerus* intelligit Terræ Syſtema ſeu Vorticem. Quo arctiori ſenſu ſæpe ſumitur Mundus in ſacris Joh. I, 10. ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Matth. XXVI, 13. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Marc. XVI, 15. πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. Quibus locis clarum eſt, Terræ Globum, eumque habitatum debere intelligi.

Num hæc omnia fuerint producta ex *Chao*, materia vel informi prorſus, vel confuſanea; vel ex Nihilo in omni ſua perfectione prodierint particulæ ſaltem Elementares: vel in omni ſua, quod mihi potius videtur, pulchritudine, Terrâ excepta, Mundus, dijudicandum iis linquo, qui me acutius cernunt. Habeat ſibi magnus Philoſophiæ Reſtaurator *Carteſius* modum, quo triplex Elementum fuerit fabricatum, Globuli & Vortices tornati, vana potius Imaginatione nixum, quam ſolida demonſtratione. Mihi hæc Myſteria introſpicere non datum.

Pariter definire nolo, quo Anni tempore Mundus fuerit conditus? incertum hoc admodum eſt, ſi ad Clima reſpicias Paradiſiacum: ſi in Terram totam oculos conjicias, facilius reſolues quæſtionem: dixeris, omni: nam uno eodemque tempore in ſuperficie Terræ reperias Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem. Probabile utique eſt, ſolem, vel Terram, locata primitus fuiſſe in interſectione Eclipticæ & Æquatoris, quæ Vere contigit & Autumno. Pro Vere militant Ambroſius Hexäem. L. I. C. 4. Theodoret. in Exod. Qu. 27. Waſmuthus apud Reyher. Math. Moſ. p. 98. & 110. qui Æram Mundi inchoat à Feria Solis, velut primo die primi Menſis Niſan, noſtri tunc Maji, ſole exiſtente in principio Arietis: militat & vernans omnium rerum vigor. Pro Autumno ſtat Vegetabilium ἀκμή; initium Anni à Menſe Septembri apud vetuſtiſſimos Ægyptios: apud Hebræos initium Anni ciuilis à menſe Thisri, & præter σκηνοπηγίαν ſeu Tabernaculorum Feſtum diuerſa alia. Suum cuique in re admodum dubia ſtet arbitrium.

Creauit proin DEVS Triunus, id eſt ex immenſis illis negativè-Nihili campis produxit, & ſapientiſſimè, in *principio* Temporis, ordinauit *Cœlum & Terram*, non Solis duntaxat Vorticem, ſed omnia Sidera, tum Fixa, tum Planetica, cum interjectis Cœlorum ſpatiis immenſis: Hexaemero pro ſpecialiori Terræ elaboratione reſeruato. Digna διακόσμησις, Vorticis imprimis Solaris, cujus Homunciones nos ſumus incolæ, quæ Iconum Biblicarum faciat frontiſpicium: & illa quidem *Copernici*, his quidem temporibus ad certitudinem Mathematicam redacta, in cujus Grauitatis Centro *Sol*, certa ab hoc jubare ſplendidiſſimo diſtantia, quæ conſtanter eſt Radix Cubica ex Quadrato Reuolutionis, Planetæ, nimirum *Mercurius*, *Venus*, *Terra*, cum Satellite ſuo *Luna*, *Mars*, *Jupiter* cum ſuis quatuor Satellitibus, *Saturnus* cum Annulo & Satellitibus quinque. Quem Solis Vorticem ſalutant aliquando *Cometæ*. Unum horum exempli loco ſiſto, qui comparuit A. 1680. Extra eundem Vorticem ſunt *Stellæ fixæ*, tanquam totidem ſoles, in *Conſtellationes* ſuas diuiſæ.

Pro-

Proximior *Vorticis* noſtri *Solaris* conſpectus ex Obſeruationibus modernis.

Soliditates tum *Solis* tum *Planetarum* in Milliaribus Cubicis.

Solis - - -	3645252928246960.
Jouis - - - -	26783213673192.
Saturni - - -	8995649140400.
Veneris - - - -	6151366863.
Terræ - - - -	2662560000.
Martis - - - - -	355815367.
Mercurii - - - -	149300419.

Vnde conſtat, eſſe Solem majorem

Joue - - -	131.	vicibus.
Saturno - -	405.	
Venere - -	592754.	
Terra - -	1369078.	
Marte - - -	10244509.	
Mercurio -	24415557.	

Diſtantiæ Planetarum à Sole in Terræ Diametris mediæ, ex de la Hire.

Mercurii - - - -	3880.
Veneris - - - - -	7231.
Terræ - - - - -	10000.
Martis - - - - -	15231.
Jovis - - - - - -	52090.
Saturni - - - - -	951114.

Periodi Planetarum primariorum circa Solem.

	Anni.	Dies.	hor.	min.
Mercurii	-	87. -	23. -	13.
Veneris	- -	224. -	18.	
Terræ	- - -	365. -	5. -	31.
Martis	- 1. -	321. -	23. -	31.
Jovis	- 11. -	317. -	24. -	59.
Saturni	- 29. -	174. -	4. -	58.

Periodi Satellitum

Lunæ, quæ minor eſt Terra 47. vicibus, cujusue diſtantia media 30. diametrorum Terræ:

	D.	h.	′	″
In menſe periodico	27. -	7. -	43. -	7.
- Synodico	29. -	12. -	44. -	3.
Mercurii Jouialis -	1. -	18. -	28. -	35.
Veneris Jouialis -	3. -	13. -	13. -	52.
Jouis Jouialis -	7. -	3. -	59. -	40.
Saturni Jouialis -	16. -	19. -	6.	
Saturnalis primi -	1. -	21. -	19.	
- ſecundi -	2. -	17. -	41.	
- - tertii -	4. -	13. -	47.	
- - quarti -	15. -	22. -	41.	
- - quinti -	79. -	7. -	54.	

Syſtemata Mundi alia, *Ptolemaicum* FIG. I, & *Tychonicum* FIG. II. vel hiulca ſua ſtructura inualiditatem ſuam monſtrant, licet prius ſimplicitate ſua & ſenſibus, hoc conciliandi intentione ſe commendent. Illud pro Centro agnoſcit Terram, & concentricos ordine ſiſtit Orbes *Lunæ*, *Mercurii*, *Veneris*, *Solis*, *Martis*, *Jouis*, *Saturni*, *Fixarum* denique. Hoc duplex ſtatuit in eodem Vortice Centrum, *Terræ* pro *Luna* & *Sole*, *Solis* pro *Planetis* reliquis. His jungitur FIG. III. Syſtema inter *Tychonicum* & *Copernicanum* medium, quod circa *Terram* tanquam Centrum locat *Lunam*, *Solem*, *Jouem* & *Saturnum*; circa *Solem* vero ducit *Mercurium*, *Venerem* & *Martem*, proin Monarchiam Vorticis bipartitur, quam Soli ſoli concedit Copernicus, Terræ Ptolemæus.

FIG. IV. ſiſtit Proportiones *Corporum Planeticorum* reſpectu *Solis*: ex quo Schemate conſtat, Punctuli rationem habere Terram noſtram vel ad ſolum Solem, nedum ad hujus Vorticem. Cui Figuræ ſunt junctæ Phaſes & formæ, quibus per Tubos aſpiciuntur Planetæ.

FIG. V. proportionem *Syſtematis Solaris* ad diſtantiam *Syrii* in 48½. Semi-diametris Vorticis Solaris: quod mire facit ad ampliandam Creatoris Gloriam, ſi conſideremus, ex Hugenii calculo, Globum tormento exploſum, ſi eadem ſemper pergeret velocitate finitis demum 691600. annis ad Sirium fore peruenturum.

FIG. VI. & VII. exhibent Circulos, Lineas, Puncta, in quæ *Mundi Sphæram* diſpeſcunt Aſtronomi, tum *Ptolemaici* tum *Copernicani*.

Pro facilitando Schematis Solaris ſiue Planetici conceptu, notandum, aſſumſiſſe me ex Tabulis la Hireanis Diſtantias à Sole medias ſupra expoſitas.

Aphelia pro Imo Januarii 1730.

	°	′	″	
Saturni	29.	54.	11.	♐.
Jouis	11.	2.	51.	♎.
Martis	1.	7.	33.	♍.
Terræ	8.	37.	13.	♑.
Veneris	7.	37.	50.	♒.
Mercurii	13.	51.	25.	♐.

Eccentricitates.

Saturni - - - -	5426.
Jovis - - - -	2600.
Martis - - - -	1415.
Terræ - - - -	179.
Veneris - - -	50.
Mercurii - - - -	805.

TAB. II.

Geneſ. Cap. I. verſ. 2.

Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Terra autem inculta erat & vacua, Tenebræque ſuper Abyſſum, & Spiritus DEI motabat ſuper aquas.

Coeli immenſis Spatiis vix tactis, propius & protinus tendit Sacer Hiſtoricus ad *Terram*, Humani *Generis* & Animantium habitaculum, Geographis Exemplar ſiſtens, ut Urbis Topographiam daturi generalem duntaxat & Regni & Regionis, in qua ſita ſit, deſcriptionem præmittant. Nemo heic quærat artiſticam totius Mundi in ſuas partes integrales, eſſentiales, proportionatas diuiſionem. *Ea eſt*, verba ſunt *Heideggeri Prælect. IV. de Creat. gemente*, *hujus diſtributionis in Cœlum & Terram indoles, quæ eſt* Deut. XXVIII, 5. *in Caniſtrum tuum & reliqua tua, (horrea tua & reliquias tuas), aut quæ Socraticæ*, in ea quæ ſciat, & ea quæ neſciat: *aut quæ Liuianæ*, in ea quæ domi foriſue aguntur: *aut cujusdam Chorographi Athenienſis, iniquiſſime & ſtultiſſime ſane irriſi*, in agrum Atticum & reliquam Terram. *Nempe, quid cordatius eſſe poſſet, quid ad recte dicendum docendumue accommodatius, quam opponere, aut, ſi quis mauult, juxta ponere minutias immenſitatibus, nihilum ſuum* τῷ ὅλῳ, *Toti.*

Terra inculta erat ac vacua, Tenebræque ſuper Abyſſum γῆ ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαςος, *inviſibilis & impræparata* LXX. תֹהוּ וָבֹהוּ unde forſan Phœnicum Dii *Theuth* & *Bau*, de quibus Selden. in *Diis Syris*, & Ægyptiorum *Theuth* ſeu *Thouth*, Deorum antiquiſſimus, & omnium rerum auctor, de quo *Lactant.* Inſtit. L. I. c. 6. forſan & *Titan*; de quo *Irenæus* L. V. *Horn. Hiſt. Philoſ.* L. II. c. 11. Obtinuit Terra hæc Chaotica, nondum elaborata, nondum in Aquam, Aerem, Montes, Valles, Campos, Maria diuiſa, confuſanea maſſa, *Atmoſphæra*, ſi cum *Cluuero Geol.* c. I. & p. 61. loqui ames *Cometica* varia apud varias vetuſtiſſimas Gentes, harumque Scriptores, nomina. Pertinent namque tum Phœnicum Μωτ ſeu תהום. Orphei & Stoicorum *Ouum*, Heſiodi *Tartarus*, Hippocratis *Orcus*, Democriti *Atomi*, Ariſtophanis *Erebus*, *Abyſſus*, Pythagoræ & Platonicorum ὕλη, aliorum ἰλὺς, *Limus*, & vulgatiſſimum *Chaos*, Antiquis Feſto teſte *Cohum*, quod forte ipſum *Tohu* ſeu *Bohu* pro radice agnoſcit. Jungunt Carteſii Aſſeclæ conceptum ſui *Extenſi*, Cœli & Terræ ex. v. 1. ſeu materiæ, ex qua cœlum & Terra poſtmodum facta ſint. Qui ipſe conceptus fuit *Auguſtini de Gen. Hæc materies, quæ conſequenti operatione DEI in rerum formas diſtinguitur, appellata eſt Terra inuiſibilis & incompoſita, & profunditas luce carens, quæ appellata eſt ſuperius nomine Cœli & Terræ.* Idem *contra Manich.* L. I. c. 7. *Hæc nomina omnia, ſiue Cœlum & Terra, ſiue Terra inviſibilis & incompoſita, & Abyſſus cum Tenebris, ſiue Aqua, ſuper quam ferebatur Spiritus, nomina ſunt informis materiæ.*

Poteſt commodè hoc תֹהוּ וָבֹהוּ ita concipi, ut fuerit præalta corpuſculorum varii generis, aqueorum, Aereorum, Terreſtrium confusè volitantium Shpæra Ἀὴρ ζωφώδης καὶ πνευματώδης πνοὴ Ἀέρος ζωφώδεις, ut egregrié loqui amant veteres. Hinc *Tenebræ ſuper Abyſſum*, nucleus denſiſſimus ſimul ac grauiſſimus, denſiſſimis tenebris obvolutus; & quî, quæſo, penetrauerint radii Solis, licet pleno fulgore ſplendentis, Atmoſphæram 50. vel plura, imo forſan 50000. milliaria altam, quorum aciem retundit vel tenuis Nubes? Vidiſſes forte in Chaotico hoc ſtatu cum *Cluuero* & *Whiſtone* Cometam, vel inconditum Planetam, denſo vaporum agmine cinctum: vel terram primæuam cum renouata poſt diluuianam Inundationem collaturus, nucleum Terræ intimum Aqua undique circumfuſum, & inſuper Atmoſphæra denſiſſimâ tecum. Fauet huic ideæ Pſalm. CIV. aliis CV. 5. 6. *Terram fundauit ſuis baſibus, ut ſempiternis temporibus non moueant. Abyſſum occultauit quaſi veſtimento, ut ſupra montes ſtent Aquæ: Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum Seculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus, ſuper montes ſtabunt aquæ.* Arridet Anglorum Chaos, Atmoſphæra Cometica, vel quod in rerum natura inveniant adhuc, quod Chaos illud primæuum Terræ præſentet. Videatur imprimis hanc in rem Whiſton. Theor. Tell. L. II.

Ἀφιλόσοφος, imo impius plané eſt conceptus, quem de Chao habet *Dippelius*, *Chriſtiani Democriti* nomine cognitus, DEVM corporeum ac diuiſibilem fingens in ὁδηγῷ ſuo ad Tenebras potius quam Lucem, *im Wegweiſer zum verlornen Licht und Recht*, ubi ſequentia legas. *Die beyderley* Eſſentien, Patris, quem ignem vocat, & Filii, quem Lucem, *nachdeme Sie in der Schöpfung aus dem Weſen* GOTTES *in*

TAB. II.



GENESIS Cap. I. v. 2.
Opus primæ Diei.

I. Büch Moſis Cap. I. v. 2.
Erſtes Tagwerck.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB

in die Schiedlichkeit getretten, haben hernach in ihrer Combination, ſo ſubtil und Geiſtlich ſie ſonſt in ihrer Wurzel an ſich ſelbſt ſind, alſobald eine cörperliche coagulation, doch in durchſichtiger und helleuchtender Lichts - klarheit überkommen. Et quæ alia ibidem de Luce ex Tenebris emergente habet tenebroſiſſima, congrua cum iis quæ Platonicus quidam *Pſeudo - Trismegiſtus* profert in *Pimandro*, indigna prorſus, quæ huc afferantur reperiunda in operibus *Marſilii Ficini* p. 1437. Eo releganda quo pertinent ἀφιλοσόφȣ & ἀθεολόγȣ Sutoris *Jacobi Böhmi* delira de materiæ ex DEI eſſentia productione ſomnia, qui palmarius eſt & capitalis error ſpinoſiſſimi *Spinozæ*. Saniora ſunt longe & philoſophica mage, quæ de Chao tradit *Ouidius* L. I. Met.

> Ante mare & Terras, & quod tegit omnia cœlum,
> Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
> Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles,
> Nec quicquam niſi pondus iners congeſtaque eodem
> Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Quæ deſcriptio, ſi Deum præſupponamus, Creatorem & motorem, Moſaicæ noſtræ quam optimè quadrat.

Non enim unquam prodiiſſet terræ habitabilis facies, ſi *Spiritus DEI non motaſſet ſuper aquas*, niſi Diuina virtus omnia & mouiſſet, & ordinâſſet. Cauſa efficiens materiæ, Motus & Legum motûs eadem eſt, ut potentiſſima, ita ſapientiſſima. Leges hasce חֻקּוֹת, ſtatuta, ordinem qui ſcrutatur, in ſacraria DEI intrat, DEVM & cognoſcit & colit.

Per רוּחַ אֱלֹהִים *Spiritum Dei* non intelligimus ventum vehementem, quem voluere *Onkelos* Chaldæus R. *Maimonides*, *Abenesra*, *Theodoretus*, *Tertullianus*, *Epiſcopius*, *Hobbeſius*, *Simonius*, ex varia intentione alii: non Ignem elementarem, quem F. *Valeſius Sacr. Philoſ.* p. 28. non Solem, Terram & Aquam radiis ſuis exiccantem cum *Jo. Alba* Hiſpano apud *Hackſpan.* Not. bibl. p. 32. non Angelos cum Cardinale *Cajetano*, non Helenam illam, quæ *Animæ mundi* nomine comparet apud *Comenium*, *Crellium*, *Fluddium*, *Democritum Chriſtianum*, alios Chymiæ addictos: non *Magneticam vim*, qua ad commune Centrum grauitatis tendunt corpora mundi totalia & circa proprium axem ſe convertunt, quæ *Leonh. Chriſt. Sturmii* eſt ſententia *in verſtändlicher Erklärung der Stell. H. Schrifft* p. 10. Sed Spiritum ipſius DEI, tertiam Sacro Sanctæ Trinitatis perſonam Chaos infinita virtute fouentem & fœcundantem; *Spiritum, qui renouat Terræ faciem* Pſal. CIV. (CV.) 30. *Unſelt de Chao mundi* p. 39.

Terræ origines & formationem hoc verſiculo deſcribit Moſes, non Vorticis totius Solaris, nedum Vniuerſi. Nemo, opinor, finxerit Chaoticam Terræ maſſam ad Sphæram Jouis, vel Saturni, extenſam, nedum ad Fixas. Horum Siderum non meminit Scriptor ſacer, ſed ſolius Terræ punctuli; Facta deſcribit τȣ̃ κόσμȣ ἀρχαίȣ, *priſci Mundi* 2. Pet. II, 5. *qui periit diluuio inducto*: ejus Mundi, qui *ſeruatur igni in diem judicii, & perditionis impiorum Hominum*, 2. Pet. III. 7. Sane de Terræ Chao manifeſte loquitur Moſes, non de Chao Vniverſi.

Affulget hinc lux enodandæ quæſtioni, an propter Terricolas ſolos conditus ſit Mundus? De Mundo terreo res eſt plana: De vniuerſo non item: Totum univerſum quantum quan-„ tum noſtrum gratiâ, mortalium homunculo-„ rum factum eſſe, eſt inſulſiſſima cogitatio:„ quippe quæ rerum omnium ordinem per-„ uertit, atque ima ſummis confundit, præ-„ ſtantiſſimas rerum immortalium ſpecies in-„ firmis ſubjicit, atque maximum univerſum„ exiguæ ejusdem particulæ. Nonne pudet„ aſſerere, ſupremos Cœlos, quos ne aſpexi-„ mus quidem, & abſentiſſimas Stellas, quas„ ne cogitatione attingimus, conſtitutos & or-„ dinatos eſſe noſtri causâ? Mundi præterea„ intellectualis innumeros ordines mentium„ ſc. & Angelorum, ut nobis inſeruirent, pro-„ ductos fingere idem eſt, ac ſi quis dixerit„ Leones & Aquilas natos eſſe propter Muſcas„ & Ranunculos, Burnet. Theor. Tell. p. m.„ 123. Aliud illuſtre Teſtimonium adduco ex Ill. Sam. Köleſerii de Keres - eer Auraria Romano - Dacica p. 3. Magnifica nimis eſt„ ambitio, omnia propter hominem, & pro„ homine condita eſſe & facta, turgida phi-„ lautiæ opinione ſibi blandiri. Ecquid enim„ infinita cœleſtium corporum ſyſtemata?„ quid vorticoſæ Fixarum moles? quid Mun-„ di Planetarii ad Hominem? quid ſilens Ter-„ ræ cortice tecta ſubterraneorum panſper-„ mia? quid in imis recondita, ornatiſſima,„ niſi quod lumine deſtituta, Aulæ ſubterra-„ neæ Architectura? Quid, licet in oculos ca-„ dat, in ſenſus irrumpat, pedibus manibus-„ que tractari queat, non attendentes obuia„ juuant, niſi attentio, ſedula inueſtigatio, ac„ juſto labore parta, condecens applicatio,„ uſum evincat, ecquid punctulum eccentri-„ cum tantæ peripheriæ radios in ſe termi-„ nari arrogat? „ Planeticolæ ſi ſunt, ut apud nonnullos conjecturæ locus eſt, quid iis manet reliqui? Speciem uſus omnium creaturarum ad Terram applicatiui habebant Geophili, qui Terram locabant in totius Vniuerſi centro, ſed nunc innumera videre, imenſæ molis, imenſæ diſtantiæ Sidera, demum poſtremis his Seculis maximam partem detecta. Solem vaſtiſſimum corpus in tanta a nobis diſtantia, quum

pro Terra ſuffeciſſet Igneus globus 50000es. minor & minus diſtans a nobis, & tamen Terram noſtram ſcopum creationis unicum ſtatuere, eſt ſane Rationi non adeo congruum. Notatu digna vetuſtiſſimorum & Gentilium Philoſophorum omnium rerum *ortum ex Aqua* deducentium traditio, quæ Moſaicæ narrationi, forte non rite intellectæ, originem ſuam debet. *Cicerone* teſte *de Nat. Deorum* L. I. c. 10. *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſiuit, Aquam dixit eſſe initium rerum, DEVM autem eam Mentem, quæ ex Aqua cuncta fingeret.* Ad quæ verba ita *Minut. Felix* cap. 19. *Eho, altior & ſublimior Aquæ & Spiritus ratio, quam ut ab Homine potuerit inueniri à DEO tradita. Vides Philoſophi principalis, nobiscum penitus opinionem conſonare.* Latiſſime ſi ullum aliud, hoc certe dogma, quod à Judæis ad Gentes tranſiiſſe videtur, peruagatum eſt orbem. Fouere hanc opinionem maximi Viri, *Anaxagoras*, *Pythagoras*, imo & *Brachmanes* Indi, ut videre eſt apud Strabonem L. XV. Ἀρχαὶ δὲ τῶν μὲν συμπάντων ἑτέραι τῆς δὲ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. Audiamus & ſua lingua *Ariſtotelem* Metaphyſ. L. I. cap. 3. ubi rationem reddit Stygis Fluuii in Juramenti formulam recepti: Ἀλλὰ Θαλῆς μὲν ὁ τῆς τοιαύτης ἀρχηγὸς φιλοσοφίας, ὕδωρ φησὶν εἶναι (τὴν ἀρχὴν πάντων) εἰσὶ δέ τινες οἳ καὶ τοὺς παμπαλαίους, καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως, καὶ πρώτους θεολογήσαντας, οὕτως οἴονται, περὶ τῆς φύσεως διαλαβεῖν. Ὠκεανόν τε γὰρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὴν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ τὴν καλουμένην ὑπ' αὐτῶν Στύγα τῶν θεῶν ποιητῶν. His jungi poſſunt *Stoici* quidam, & ex Recentioribus *Helmontiani*: annecti tandem in eorum fauorem Apoſtoli Teſtimonium 2. Petr. III. 5. γῆ ἐξ ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ. Quæ verba ita reddiderunt verſiones, *das Erdreich, welches aus dem Waſſer, und durch das Waſſer beſtanden iſt, durch GOTTES Wort.* Hypotheſi à tam multis receptæ, quæ ex Aqua omnium rerum Origines deducit, fauere imprimis videntur obſeruationes circa vegetabilia inſtitutæ, quæ ex Aqua nutriri videmus & creſcere; ſed & ψεῦδος hic latere, nutrimentum Plantarum deberi non Elemento Aquæ quà tali, ſed materiæ terreſtri in eo latitanti, inuictis argumentis conuincit *Woodwardus* in ſua de *Vegetatione* Diſſertatione doctiſſimâ. Telluris ex Aqua, tanquam materia primæua productionem probare contendit *Swedenborgh Miſc. Obſ. p.* 43. ex rotunditate, quæ præſupponat preſſionem horizontalem; ex originaria mollitie omnium corporum terreſtrium, præſertim materiæ cruſtalis, cujus ſtrata ortum ſub oceano duxerint, & oceani amplitudine, quæ adhuc maximam telluris partem occupat: ex Diluuio: ex primæua materia elementari & fluida.

Scopulos euitare poſſumus, ſi Aquæ Elementum non in abſtracto, ſed in concreto, ſi Aquam Moſis concipimus partibus variis imprægnatam, imò ſi *Aquæ* nomine hîc, latiori adhuc ſignificatu veniat omne *fluidum*. Sic erit ipſa Aer Aqua ſubtilior. Sic non ſoli piſces natant in Aqua, ſed & volant in ea Aues. Ipſe Æther fluidiſſimus ac ſubtiliſſimus, Aquæ & Aeri interſperſus excludi nequit. Ipſi *Cœli* שָׁמַיִם quaſi dicas אֵשׁ & מַיִם *Ignis* ſunt & *Aqua*, licet præ ſubtilitate tantum non aſſimilentur vacuo. Eſt ipſe *Ignis* fluidus. Forſan & in termino Aquæ luſerunt ante memorati ὑδρόφιλοι. Hoc ſane ſenſu inueniet *Thales* ſuam *Aquam*, *Heraclitus* ſuum *Ignem*, *Epicurus* & *Democritus* ſuas *Atomos*, imo & *Ariſtoteles* ſuum *ſubjectum commune*, ex quo omnia fiunt: *Carteſiani* ſuum *Extenſum* in minutias diuiſum, modo maneamus intra Vorticem Terræ.

Creatio molis indigeſtæ, qualis fuit Chaos, non repugnat perfectioni operum diuinorum. Placuit τῷ Αὐτοκράτορι καὶ παντοκράτορι ſucceſſiué, non in inſtanti, Terræ Globum formare: Dependebat à liberrimo DEI arbitrio, perfectiſſimè elaboratum ſiſtere in momento. Ex complemento operis æſtimandum ut omne, ita hoc Diuinum Artificium. Voluit DEVS monſtrarier Autor non molis duntaxat, ſed & ordinis, qui in omni generatione ſucceſſiua adhuc in dies Creatorem oſtendit. *DEVS molem indigeſtam condidit, quia placuit ipſi nobis ſpecimen dare methodi à nobis obſeruandæ, ut ab imperfectioribus ad perfectiora laudabili niſu progrederemur. Ut omnia feramus ſoli DEO accepta, initium, progreſſum, & ultimum etiam apicem tam* κτίσεως *quam* γενέσεως *corporalis & ſpiritualis. Ut agnoſcamus nihil tam eſſe deforme, cui ſapientiſſimus Opifex aliam, quando & ubi voluerit non poſſit induere faciem, ut reuerentia Numinis illius excitetur, cujus potentia omnia redire poſſunt* לתהו ובהו *in vaſtitatem & ſolitudinem. Verba ſunt* τοῦ πάνυ *Hottingeri Hiſt. Creat. p.* 37.

Sibi tandem & deliriis ſuis relinquimus, qui *Tenebras ſupra Abyſſum* pro mala abſolute ſubſtantia habent, & omnium in Mundo malorum cauſa, & duo principia coæterna ſtatuunt, Bonum unum, alterum Malum. *Zoroaſtrem*, qui aliqui eundem cum *Chamo* Noachi filio dicunt, alii cum *Epiphanio*, *Nimrodo* coæuum, qui duas a primordio cauſas ſtatuit, Patrem lucem, Matrem caliginem. *Perſas* cum ſuo *Oromasde* & *Arimanio*, quorum ille Deus ex puriſſima luce natus, omnis boni fons, hic è caligine ortus naturæ degenerantis autor. *Ægyptios*, qui præter tres deos, *Iſidem*, *Oſiridem* & *Orum*, bonos, Samaelem coluerunt tenebrarum Principem. *Pythagoram*, quem tenebras inſtar mali genii coluiſſe teſtatur. *Porphyr. Vit. Pyth. Baſilidianos*, qui Sec. II. duplicem Subſtantiam æternam ſtatuunt *Lucem* & *Tenebras*. *Manichæos*, quorum hic ipſe fuit palmarius error. Imò nec Tenebras abſolutè malas dici poſſe pertendimus ſiue priuatiuè ſumantur pro abſentia lucis exiſtentis, ſiuè negatiuè, ubi lucis præexiſtentia non ſupponitur. conf. *Unſelt.* Diff. cit. p. 33.

TAB.

RPJCB



GENESIS Cap. I. v. 3. 4. 5.
Opus primæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 3. 4. 5.
Erſtes Tagwerck.

I. G. Pinz sculp.

TAB. III.

Geneſ. I. verſ. 3. 4. 5.

Dixitque DEVS: Fiat lux. Et facta eſt lux.

Et vidit DEVS lucem quod eſſet bona: & diuiſit lucem â tenebris.

Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque eſt veſpere & mane dies unus.

Dixitque DEVS, fiat Lux, & facta eſt Lux.

Viditque DEVS Lucem, quod bona eſſet, & diuiſit DEVS inter Lucem & Tenebras.

Appellauitque DEVS lucem Diem, & Tenebras appellauit Noctem, fuitque veſpera & mane Dies unus.

VIta Creaturarum absque *Luce* Mors, pulchritudo inconſpicua. Ἀρχὴ τῆς ποιήσεως φῶς ἐςιν, ἐπειδὴ τὰ κοσμȣ́μενα τὸ φῶς φανεροῖ. Theophil. ad Autol. L. II. DEVS Lux inacceſſa, per Lucem ſe ſuaque manifeſtat.

Ipſe DEVS omnium rerum ex Nihilo Creator, cujus *Spiritus motabat ſuper Aquas* v. 2. Chaoticum Terræ ſtatum in habitaculum commodum mutaturus, ſummâ eadem & potentia & libertate *dixit* per CHRISTVM λόγον Joh. I. 1. vocans ea, quæ non ſunt, *Fiat Lux & facta eſt Lux.*

Conjectare omnino licet, ante fuiſſe in Mundo Lucem, Solis & Fixarum, quam opus hoc primi Diei fuit effectui datum, ſed penetrare non poterant fluidum denſum Chaoticum radii. Nunc ab aereis & aqueis partibus, harumque complexu liberantur terreæ vi Legum â DEO Mundo illatarum præcipitatæ verſus Centrum. Nunc *fit Lux*, quando operari, fluida pellucida tranſire incipit.

Non proin neceſſe eſt, ſtatuere Lucem à Solari diuerſam, Terræ circumfuſam, vel per totum Mundum ex æquo diffuſam ſequentibus demum diebus in globos coactam; vel pro luce generalem cum *Ramberto* in I. Cap. Gen. p. 69. &c. formare ordinis, motus & affrictionis in materiam introductæ conceptum, vel cum *Leonh. Chriſtoph. Sturmio in verſtändlicher Erklärung H. Schrifft* p. 1. 2. inductum vortici Solari magnetismum & motum.

Τὸ μετέωρον Longino aliisque haud diſputo. Eſt hæc quidem Moſis relatio ſimplex & hiſtorica, ſed ſimul ſublimis: ſublimis, ſi rem ſpectemus, ſublimis, ſi exprimendi modum, μετεωρίζȣσι cuncta, quæ DEI ſunt, reſpectu noſtri.

Luce creata DEVS: *Lux* ipſe æterna, non indiget. Sed Planeticolis a Luce calor & illuminatio. Hi à Luce promanantes effectus Mundo dant & vitam & ornatum. Hinc Lucis increatæ, Lucem creantis erga Terricolas, & ſumma quidem *Bonitas.*

Imo vero conſiderari meretur æqua & proportionata *Lucis* in ſingulos planetas diſpartitio, cujus ipſa Terra noſtra luculentiſſimus eſt teſtis. Chaos, de quo hactenus, ſeu Cometicum, ſeu planeticum, ſi propius fuiſſet admotum vel Soli, vel ſideri alii fulgenti, liquata fuiſſent ſolida, diſſipata fluida, induiſſetque Terra noſtra eminus conſpecta prunæ vel ferri candentis faciem, non globi duntaxat illuminati: longius ſi fuiſſet remota à ſtella quapiam fixa, qualis eſt Sol, conglaciatas vidiſſes Aquas omnes, tam ſuperas, quam inferas, rigore indurata cuncta, nullum ver usquam, nullos Æſtatis honores: fuiſſent Animata non-animata, ſtatuæ rigentes.

Vidit proin *DEVS Lucem, quod bona eſſet,* imo ante præuidit, quam fuit bona: & quia bonitatem atque utilitatem Lucis fouentis & calefacientis prævidit, dedit effectui. *His verbis non oſtenditur, eluxiſſe DEO inſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum. Auguſtin. de Gen. contr. Manichæos.* c. 48. Videmus & nos, ſi oculos aperimus, bonam eſſe lucem, & ſi rationis dictamen ſequimur, ſapientiam pariter ac potentiam & bonitatem Creatoris agnoſcimus ſimul, & pie veneramur.

Sic omnia, quæ DEVS fecit, facit & facturus eſt, bona, bona κατ᾽ ἐξοχὴν, ut ipſe bonus eſt, optima ſunt; Bonus motus & Leges motus quas *ſtabiliuit, ut æternum perſtent, ac Legem præſcripſit, quam transgredi nequeunt,* Pſ. CXLVIII. 6. *Omnia menſura, numero, pondereque temperata,* Sap. XI. 22. *Omnia in menſura & numero, & pondere diſpoſuiſti.*

Sed nec Terræ noſtræ Globo, nec Planeticis aliis, profuiſſet non interrupta Lucis & caloris præſentia. Agitati nimium viventium Creaturarum ſucci exhalaſſent, flacciditate exaruiſſent Plantæ, & ægrius longe tuliſſent homines Lucem perpetuam, quam ferre poſſunt torridæ incolæ, Dies plurium quam 12. horarum, Dies menſium vel annorum.

Sua proin merentur encomia *Tenebræ*, Lucis abſentia. Oppoſita juxta ſe poſita eluceſcunt magis. Dant tenebræ morituris vegetabilibus & Animalibus vitam, defatigatis

quietem.

quietem. Hinc eſt quod *diviſerit DEVS inter Lucem & Tenebras.*

Sed & hæc Lucis ac Tenebrarum variatio, Lucis in Tenebras immerſio, ſi bona, utilis, proficua, pulchra ſuos habet certos limites, gradus, menſuram, proportionem, ordinem.

Tenebris ſi careremus Noctis, nulla foret contemplatio ſiderum, noctu fulgentium: nullus extra verticem Solis proſpectus. *Univerſa Aſtronomia*, verba ſunt maximi trium Imperatorum Aſtronomi *Kepleri*, *luminum obſcurationibus innititur, adeo, ut hæ tenebræ ſint Aſtronomorum oculi, hi defectus doctrinæ ſint abundantia, hi næui mentes mortalium pretioſiſſimis picturis illuſtrent.* O eximium & omnibus gentibus commendabile argumentum, de Umbræ laudibus!

Viciſſitudo ſiſtitur Lucis ac Tenebrarum v. 5. ſiue juxta propriam Scriptoris ſacri interpretationem, *Diei ac Noctis; Appellauit DEVS lucem Diem, & Tenebras appellauit Noctem.* Inſigne Bonitatis ac Sapientiæ diuinæ argumentum.

Decreuerat Creator Ter Optimus Maximus Diem & Noctem in Terricolarum, & forte etiam planeticolarum commodum: *Diem* quidem & *Noctem* in certa menſura, ac juſto ordine, convenienti nempe iis, qui gratiſſima hac viciſſitudine eſſent fruituri. Diem plenum non immergendum ſubito in ſpiſſiſſimas Tenebras, nec *Tenebras* mutandas unico momento in Diem. Mutationem hanc longè magis ſuſtuliſſet Terra quam lucem fert, qui è tenebroſo carcere protrahitur in dias luminis auras. Gradatim oriri debuit *Dies*, ſenſim & veluti ſine ſenſu ingruere *Nox*. Hinc *Crepuſculorum* inſtitutum, & uſus refractione radiorum fundatus.

Non Aſia ſolum, Protoplaſtorum patria, gaudere debebat beneficio *Diei* ac *Noctis*, ſed incaleſcere per Diei decurſum, & Tenebris refici tota Terra. Proſpexit ſapientiſſima DEI bonitas Creaturis viuentibus creatis in Hexaemero & naſcituris poſthac per univerſum Terræ orbem.

Hinc ſcopo non ſatisfeciſſet Solis motus, vel Terræ potius per Æquatorem. Ita vix Provinciæ ſub-Tropicales habitari potuiſſent, ſub-Æquatorentibus ardore perpetuo deuſtis, ſub-Polaribus gelidiſſima & conſtanti Hieme preſſis. Approximare debebat Sol nunc Arctico Polo, nunc Ant-arctico, ut vita frui poſſent totius Terræ viuentia. Dedit id effectui ſapientiſſimus Conditor motu per Eclipticam ordinato: Unde *Dierum* & *Noctium* diſtinctio tum in unoquoque Terræ loco, tum in una Provincia reſpectiuè ad aliam.

Provinciis ſub-æquatorealibus ſi Dies foret plurium quam 12. horarum, æſtu marceſcerent omnia, ſub-polaribus, ſi pauciorum, imo, ſi non plurium hebdomadarum ac Menſium, frigore perirent cuncta.

Mutatio hæc ſucceſſiua *Lucis* & *Tenebrarum*, *Dierum* ac *Noctium* præſupponit vel motum Terræ diurnum ſeu centralem, ut una Terræ Provincia poſt aliam Soli obuerti poſſit, vel motum Solis circa Terram immotam. Aſſatur caro igne circa veru lato, vel hoc gyrato. Eò duntaxat redit vexatiſſima Quæſtio, quid Rationi ſit magis conſonum?


Problematica valde eſt ἐξαετία, quam ἐξαημέρῳ ſubſtituit *Cluverus* in *Geologia*. Improportionata ipſi videtur Diei ordinarii ſive νυχθημέρου longitudini productio Animalium. Combinatio ſeparationis Aquarum à Terra cum productione omnium vegetabilium. Terræ gyratio centralis, ſi, quod probandum eſt, ante Lapſum nulla fuit Lucis cum Tenebris alternatio omnino confecit Annum, non Diem ordinarium. Negari nequit in ſacris Literis Annos pro Diebus, Dies pro Annis uſurpari indiſcriminatim. Exempla proſtant Gen. IV. 3. Num. XIV. 34. Ezech. IV. 5. 6. Dan. XII. 11. Apoc. XI. 3. XII. 6. Præterea Creationis Ἀνάμνησιν celebratam nouimus non duntaxat die ſed quoque Anno ſeptimo, imò & ſepties ſeptimo, Sabbathicis Leuit. XXV. 3. 8. Inficiabitur nemo, incongruam eſſe ordinariam explicationem τοῦ ἐξαημέρου qua punctulo Terræ, Planetæ uni ex minimis aſſignari ſolent quatuor Dies integri, & unicus Soli, Lunæ ac Stellis. Fuerunt ſane & olim, qui, quales fuerint Dies in Hexaemero determinare vix voluere. *Qui Dies cujusmodi ſint, aut perdifficile nobis, aut etiam impoſſibile, cogitare, quanto magis dicere. Auguſtin. L. II. de Civ. Dei.* c. 6. Certiſſimum interim hoc eſt, potuiſſe τὸν παντοκράτορα, ſi voluiſſet, unico momento ſiſtere univerſi mundi διακόσμησιν: Certiſſimum pariter, dependiſſe a Creatoris nutu & arbitrio vel ἐξαήμερον, vel ἐξαετίαν. Tutiſſimum, receptæ inſiſtere Dierum Hypotheſi.

Veſpera & *mane* proponuntur ut integrantes naturalis Diei partes, quæ totam conficiunt. Hinc totum νυχθήμερον Dan. VIII. 14. vocatur Ebræis עֶרֶב בֹּקֶר *veſpera-mane* Bochart. Hieroz. P. I. L. II. c. 3. p. 84. Nos diceremus *Abend und Morgen*, τὸ *Morgen* ſumentes pro integro Die craſtino, quamdiu Sol illuceſcit Horizonti, diſtinctiue à *Morgen*, quod matutinum duntaxat tempus Heluetiis ſignificat.

Fundantur hoc verſiculo *Dies* tum antiqui *Judæorum*, tum moderni Italorum, qui ab una veſpera ſeſe protendunt ad alteram: *Romanis*, *Ægyptiis*, *Aſtronomis* & nobis ipſis, progredientibus à μεσονυκτίῳ ad alterum: *Babyloniis* & *Græcis* ab ortu Solis ad ortum. Non pendebat à Judæorum arbitrio Feſta aliter celebrare, quam juxta primi Diei inſtitutionem. En mandatum Legislatoris ſummi expreſſum! Leuit. XXIII. 32. *Sabbathum quietis ſit vobis, adfligetisque animas veſtras in*

nono

RPJCB



GENESIS Cap. I. v. 6. 7. 8.
Opus ſecundæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 6. 7. 8.
Zweytes Tagwerck.

I. G. Pinz sculp.

nono menſis ſub veſperam, a veſpera in veſperam quieſcentis in Sabbatho veſtro, vel: *Sabbatum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono menſis ſeptimi, à veſpera usque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.*

Myſticismum nimis ſapit, quod extra controuerſiam ponit Cl. *Leonh. Chriſt. Sturmius in ſeiner verſtändlichen Erklärung der Stellen H. Schrifft* p. 2. Hexaemeron typum eſſe Hexachiliasmi, ſeu durationis Mundi per 6000. Annos, Creationem τῆς ἀποκαταςάσεως, Fata illius Fatorum Eccleſiæ. Rejicit magnus Theologus Altorffinus D. *Jo. Guil. Bajerus* in præfatione ad præmemoratum Librum, hanc conjecturam, ſed tamen, quæ ejus eſt modeſtia, Sturmium propterea non hæretificat. *Er hält die Sach ſelbſten für eine bloſſe, doch an ſich ſelbſt unſträffliche Muthmaſſung und Myſtiſche Accommodation, auf welche nicht ſicher zu bauen iſt.*

TAB. IV.

Geneſ. I. verſ. 6. 7. 8.

Et dixit DEVS, fiat expanſio in medio Aquarum, & diuidat inter Aquas & Aquas.

Et fecit DEVS expanſionem iſtam & diuiſit inter Aquas ſub expanſione, & inter Aquas ſupra Expanſionem, & fiebat ita.

Appellauitque DEVS expanſionem Cœlum, & fuit Veſpera & Mane Dies ſecundus.

Dixit quoque DEVS: Fiat firmamentum in medio Aquarum, & diuidat aquas ab aquis.

Et fecit DEVS firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.

Vocauitque DEVS firmamentum, cœlum & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.

Heſternæ Diei opus erat prima Solis circa Terram reuolutio, vel potius Terræ prima gyratio centralis, & ſecuta inde diuiſio Diei ac Noctis, per conſequens & aliqualis Vorticis Terrei, vel Globi Terr-aqu-aerei colluſtratio. Hodie purificari magis pergit Atmoſphæra, demittunt ſe magna copiâ partes aqueæ verſus & in ipſam Terræ ſuperficiem, & annulum formant aqueum toti Terræ circumfuſum: Hinc quæ ſuſpenſæ manſerunt, formabant Nubes: Sic ſereneſcebat *Aer*, & opus hujus Diei nuncupari poteſt Atmoſphæræ, Terram circumdantis depuratio, ſiuè ſereneſcentia.

Hoc modo ſi rem, ut poſuimus, concipiamus erit τὸ רָקִיעַ ςερέωμα, *Firmamentum, Expanſio* CD. Aer diuidens aquas inferiores Terræ Globo circumfluas, ab Aquis ſuperioribus, *Nubibus* E. opus Divinæ potentiæ & utiliſſimum, & pulcherrimum, & productioni vitæque mox ſecuturæ Plantarum & Animalium apprime neceſſarium: Opus unius Diei, quo certa Aquarum portio deſtinata fuit alueis in ſuperficie Terræ exaratis, vel potius exarandis, certa Nubibus, quæ ſi colligantur, Aer medius inter eam & Terram dici poteſt veluti interuallum, inter-ſepimentum, ſi ex æquo per Atmoſphæram ſerenaſcente cœlo diſpergantur, expanſum continens, imo continens ſimul & diuidens innumeras Aquæ bullulas, ut ſingulæ natare poſſint.

Non prorſus diſplicet *Ramberti in Cap. I. Gen.* p. 99. &c. quem fuſe explicat, conceptus, quo רָקִיעַ accipit pro Vorticum extrema peripheria, ſiue circumuallationis linea, unum diſtingue ab alio Terræ, Jouis, Saturni, ſingulos hosce, & ab invicem & â vortice Solis, Vorticem Solis â Vorticibus ſtellarum fixarum, Vortices tandem Fixarum ab inuicem, modo pro Geologiæ noſtræ applicatiua explicatione maneamus intra vorticis terrei limites. Sic erit רָקִיעַ Moſaicum extrema Vorticis Terræ linea, Aquæ ſupra-cœleſtes fluidum hunc Vorticem ambiens, Aquæ infra-cœleſtes Atmoſphæra integra, Terræ ad Lunam usque expanſæ, & ſpecialius adhuc tum Nubes, tum Maria, Lacus, Flumina cum Aquis Abyſſi. Vitellum hoc Terra, AB, quamdiu circumfuſum ei manet albumen Aqua BC. Atmoſphæra, clauſum inſuper membrana ſiue cortice CD. linea Vorticis extima, manebit ouum Terra, integrum, errabundum inſtar Cometæ, ſi limites firmamenti fierint ſublati, vel cum cœlis ambientibus confuſi.

Transformatur ita facili niſu inepta illa & rudis Orbium Glacialium vel cryſtallinorum Hypotheſis veteribus recepta in Vorticum extremæ fluiditatis ſubtiliſſimas peripherias, Aquæ tum ſupra, tum infra cœlos craſſiores in fluida tenuiora.

TAB. V.

Nil fere nunc ſub Sole noui. Suas habent ut perſonæ, res, actiones, ita & opiniones, viciſſitudines, itus & reditus, fata, applauſus, ſiniſtras approbationes. Et ſæpe, quod præ vetuſtate hiulcum eſt atque lacerum, nouo indumento ſeſe commendat. Perantiquam *de orbibus ſolidis, cryſtallinis, aquas cœleſtes* præſentantibus opinionem noua veluti veſte donat Cl. *Leonh. Chr. Sturmius verſtændl. Erkl. H. Schrifft* p. 14. Sed ex ſiderio cœlo, ſupra quod fuerant euectæ, nobis adducit propius, nouum, ſiquidem orbi Literato placeat, cudens Syſtema, dignum quod hacce ſiſtatur Tabula, dignum aliorum judicio & attentione. Quo Terræ primæuæ nouam prorſus dat faciem, radios Solis diſpergendo, eosque verſus polares regiones refringendo, mitigat zonæ torridæ æſtum, toti Terræ æqualem fermè & moderatum inducit calorem, imò perpetuum ver, longæuitatis primorum hominum cauſam. Sit A. Terra, B. Aer, C. cortex aquarum Superiorum, Terræ in certa diſtantia circumfuſorum, fornicis ad inſtar, vel corticis, quod cingit ouum S 1. S a. S 3. &c. radii Solis directè incidentes, ex quibus ſoli S 1. ſine refractione Terram vibrant, reliqui omnes juxta Leges opticas, quia tranſeunt per medium denſius C. ad perpendiculum a b. refringuntur ad c. à c. autem tranſeuntes in medium rarius B. à perpendiculo refracti c d. od. deflectunt magis & magis verſus polos D. E. Unde conſtat, aqueo illo orbe in Diluuio fracto, atque in Terram effuſo, ſolam reſtare Refractionem ad perpendiculum, radiorum nempe tranſeuntium ex fluido aereo tenuiori in denſius, majorem ſic induci terris ſub-Æquatorealibus æſtum, majus circumpolaribus frigus, & tamen Nubes, maria illa volitantia, in aere ſuſpenſas aquarum illarum primitiuarum ſuperiorum vices gerere.

Ad faciliorem Syſtematis, non mei, intellectum ſiſtit

Fig. I. Radium A B. tranſeuntem ex medio tenuiori, Aere, in denſius, Aquam, quæ refractio ad perpendiculum D. E. dat radium B. C.

Fig. II. Radium A. B. tranſeuntem ex medio denſiori, Aqua, in Aerem, medium tenuius, refracte tendentem ad C.

F. F. Siſtit orbem cryſtallinum, qualem prima antiquitas euexit ſupra ſydera.

Indicat expanſi aerei, vel etiam totius Vorticis terrei intra limites certos concluſi reiterata v. 7. deſcriptio, & fluidi aquei ab aqueo, Aquarum inferiorum a ſuperioribus, Marium, Lacuum à Nubibus, vel Vorticis Terrei à fluido æthereo ſuperiori diſtinctio, ſummam & utilitatem, & neceſſitatem operis hujus ſecundæ diei, abs quo Globus Terr-aqueus ſubſiſtere non potuiſſet.


In ſenſu generaliori ſi fluidum Vorticis Terrei non foret certis ſuis limitibus clauſum, erraret, quod ſupra innui, Terra Cometæ adinſtar vagabunda, vel juxta tangentem curuæ ejiceretur, qua datâ Porta, extra Vorticem Solis. Æquilibrio opus fuit inter Vortices, & preſſione mutua vel attractione adæquata, quæ corpora ſingula ex totalibus retinent in ſuo ſitu.

In ſenſu ſpecialiori ad Aerem reſtricto, ſi hic vel non ambiret Terram, vel non depuratus, viuere non poſſent Plantæ, Animalia, Homines: Altior ſi foret Atmoſphæra, quam reuera eſt, vel demiſſior, premeretur ibi Terra nimis, hic minus quam par eſt: eadem, quæ altitudinis, ratio eſt aliarum Elementi aerei proprietatum: Grauitatis, Elaſticitatis, Denſitatis, Raritatis: Opus fuit exquiſito pondere & menſura: opus non caſus fortuiti, ſed Creatoris ſapientiſſimi, ad certos fines omnia dirigentis, & potentiſſimo nutu exequentis. Cujus perfectio pateſceret adhuc magis, ſi deſcenderemus ad ſingularum particellarum aerearum, ſeu ſpirulæ ſint, ſeu plumulæ, figuram, magnitudinem, pondus aliasque proprietates, Ideæ Creatoris & uſui reſpondentes.

Par ratio eſt proportionis inter Aquas ſupra-cœleſtes & infra-cœleſtes, quarum præciſa quantitas & pondus â diuina Sapientia ſunt definita.

De hac veritate certiſſimi ſumus, & a priori & à poſteriori. Eſt fluidum Vorticis Terræ integri proportionatum, fluido circumfuſo Solaris & Planeticorum, ſed quoque in Vortice ipſo Terræ Fluidum Aqueum in Aere natans, tum Aeri ipſi, tum Mari, & Lacubus, Nubes, Aquæ Supra-cœleſtes, ſi & denſiores forent, & majores, & numeroſiores careret globus, quem inhabitamus, ſufficienti & luce Solis & calore: caderent nimii imbres, copioſior Nix, denſior majorque grando, intumeſcerent nimis, quam par eſt Fontes, Riui; exundarent Lacus & Flumina, inundaretur orbis: quod ſi è contrario forent & rariores, tenuiores, & quantitate numeroque minores, deficeret neceſſaria pluuia, Nix, frequentiores Plantas perderent Pruinæ, increſceret nunc frigus, nunc calor, exiccarentur Fontes ac Riui, decreſcerent Flumina: Si ſuſpenſi immobili loco, priuarentur loca perpendiculariter eis non ſubjecta multifariis uſibus, aliis interea multa patientibus incommoda, tum â continua umbra, tum ab effuſis procellis, tum à continuo Solis æſtu.

Con-



GENESIS Cap.I.v.6.7.8.
Opus ſecundæ Diei.

I. Buch Moſis Cap.I.v.6.7.8.
Zweytes Tagwerck.

I. A. Friderich sculp.

[illegible]

RPJCB




GENESIS Cap. I. v. 9. 10.
Opus tertiæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 9. 10.
Drittes Tagwerck.

I.A. Corvinus sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. I. v. 9. 10.
Opus tertiæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 9. 10.
Drittes Tagwerck.

I. G. Pinz sculp.

Conueniebat Terræ, ut mobiles eſſent Nubes, hinc *Ventorum* inſignis uſus, quorum vehiculo â Mari & Montibus deuehuntur ad omnes Terræ habitatæ provincias, Pagos, Campos, Syluas. Qui Venti hic quoque in conſiderationem veniunt, quia ſunt Aer fluctuans, & excellentiſſimum pro vita Creaturarum, commercio Hominum, Nauigationis medium.

A ſupremis & medioxumis Aquis ſupra-cœleſtibus deſcendentibus ad imas noua occurrit & ſufficiens DEI ſapientiſſimam bonitatem plenis buccis decantandi ratio: Nonne enim, ſi extenſi magis forent, vel contracti limites maris, ſi ſapor magis minusue ſalſus, ſi fluidum hoc quietum magis, vel turbulentum multa & varia naſcerentur Terricolis incommoda? de quibus alibi. Par ratio eſt æquilibrii Fontium ac Fluminum.

Bonitatem DEI tandem deprædicant eæ ex Aquis infra-cœleſtibus quæ particulis mineralibus ſunt fœtæ, Thermæ, Balnea, Acidulæ, Aquæ ſalſæ, Sulphureæ, vitæ Hominum tum conſeruandæ, tum reſtituendæ multis modis proficuæ.

Eſt v. 8. Obvia vox Coeli שָׁמַיִם πολύσημος. v. 1. ſumitur communiter pro expanſo omnium fluidiſſimo, Fixis & Planetis interjecto: Heic, & innumeris aliis S. Scripturæ locis pro Atmoſphæra imprimis inferiori, Nubium & Meterorum Theatro magnifico; *Appellauit* ipſe DEVS *Expanſionem Cœlum.* Exclamant Pyrgopolynices illi magno promiſſores oris hiatu, Babelis primi fundatores Gen. XI. 4. *Agite, ædificemus nobis ciuitatem & Turrim, cujus caput (pertingat) ad Cœlos usque, faciamusque nobis nomen.* Aliis: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum.* Deut. IX. mentio fit *ciuitatum magnarum & munitarum in cœlum usque.* Matth. XXIV. 30. νεφελῶν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, *Nubium cœli.* Cap. VIII. 20. πετεινῶν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, *Avium cœli.* Extendit autem ſe hoc Cœlum Nubium, Auium, Urbium muris cinctarum vix aliquot milliaribus ſupra Terram, nedum ultra Lunam ad Planetas, nedum ad Fixas. Eſt &, quod communi loquendi uſu Cœlum audit, Cyaneo colore oculis gratum, aliud nihil quam Aer. Decipiuntur, qui ſpatium hoc volunt Fixis & Planetis interjectum. Et tamen cum Scriptura loquimur, quoties Aerem Cœlum vocamus.

TAB. VI. VII.

Geneſ. I. verſ. 9. 10.

Et dixit DEVS, Congregentur Aquæ ſub Cœlis in unum locum, ut appareat Continens, fiebatque ſic.

Et appellauit DEVS Continentem Terram, collectionem vero Aquarum appellauit Maria.

Dixit vero DEVS: Congregentur Aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida. Et factum eſt ita.

Et vocauit DEVS aridam, terram, congregationesque aquarum appellauit maria.

SIc deſcenditur ad Globum Terr-aqueum, à diuiſione Aquarum ſuperiorum, & inferiorum, ad ſeparationem harum à Terra arida; Tectus quippe à circumfluis Aquis Globus habitabilis reddi debebat hoc *Tertiæ Diei* opere: ab Aquarum complexu liberari, & tamen earundem irrigatione frui. Hæc ratio congregationis Aquarum in *Maria*, *Flumina*, *Lacus*, *Fontes*. Ut id daretur effectui, debebat Globus in ſtrata quidem diviſus, ſed undique æqualis, Aquis circumfluus, qualem ſiſtit inferius Hemiſphærium Tab. VII. quæ ſectionem Terræ exhibet Orthographicam, reddi inæqualis, ſtrata heic eleuari, alibi depreſſa manere, ut exhibet Hemiſphærium ſuperius Tab. VII.

Mechanicæ Leges omnes heic minimè ſuffenæ. Opus fuerat vi Diuinà, imo unico DEI nutu: In penetralia hujus Myſterii, omni Philoſophia ſuperioris, ducit nos Θεόπνευϛος Pſaltes Pſal. CIV. 5 - 9. *Terram fundauit ſuis baſibus, ut ſempiternis temporibus non moueant. Qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Subſidentia partium grauiſſimarum verſus Centrum, locatione Terræ in Centrum ſui Vorticis circumductione ejusdem in Ecliptica preſſione Corporum totalium reciproca, & grauatione partialium. *Abyſſum* Aquarum Terræ circumfluarum, *occultauit quaſi veſtimento, ut ſupra montes ſtent Aquæ. Quæ fugiunt ab increpatione Tua, & à ſono Tonitrui tui præcipites feruntur.*

Aſcen-

Aſcenduntque Montes & in Valles deſcendunt ad eum locum, quem eis fundaſti. Terminumque præſtituiſti, quem transgredi nequeunt, ne iterum Terram operiant. Vel: *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus: ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui Tui formidabunt. Aſcendunt montes & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.*

Num aſcenſus hic Montium, vallium deſcenſus, ſiue Stratorum eleuatio & ruptura contigerint Terræ motu, vel Ignis vi? meum non eſt anquirere. Sufficiebat Voluntatis Diuinæ nutus. Stratis autem ita eleuatis non potuerunt non Aquæ ab eleuatioribus locis defluere ad depreſſiora, imo & in caua ſubterranea influere.

Sta heic, Θεόφιλε, & adora DEI ἀεὶ γεωμετροῦντος veſtigia, exquiſitiſſimam eleuationis ad depreſſionem, prominentium partium ad cauas, aridorum ad aqueas proportionem: mirare ſummam in confuſione συμμετρίαν, in ruinis Ordinem, Architecturæ Diuinæ, quem Decompoſitum dixeris: Conſidera Aquarum marinarum inexhauſtum promtuarium, ſed Terræ conditioni præciſe adaptatum: immenſos Aquarum cumulos quouis momento per innumera maximorum etiam Fluminum oſtia in Mare influos, ſed hoc non reciproco talionis jure Terram inundans; attende, tantundem præciſe tum à Ventis auferri, tum in Terræ meatibus abſcondi, quantum influit. Limites conſtitutos & Fluido & Arido. Conſtantem Aquarum per Viſcera & ſuperficiem, imo & Aera circulationem. Maria ante Diluuium in primo orbe extitiſſe, & ſacer hic textus docet, & innumeræ primæ Terræ, priſtinorum Marium Reliquiæ, Piſcium Marinorum, ipſarum quoque Balænarum Dentes, Spinæ, Spondyli, Cruſtacea, Teſtacea.

Subminiſtrat Vox DEI ut v. 6. omnipotenter creans, ita v. 10. ſapientiſſimè informans, Phyſico *Terram & Aquam, Solidum & Fluidum*, bina principia generalia; Geographo diuiſionem in *Geographiam* ſtrictè ſic dictam, & *Hydrographiam.*

In Orthographica Terræ ſectione Tab. VII. videre licet

ABC. Statum Globi Terraquei ante diem tertium.

ADC. Statum ejusdem die tertio & poſt, ſtrata nempe hinc inde eleuata, alibi depreſſa.

EEE. Apices altiſſimorum Montium.

FFF. Summitates minorum.

EG. Terræ decliuitatem â ſummis Montibus ad Littora Maris.

LLL. Maria.

HHH. Inſulas.

K. Caua ſubterranea.

TAB. VIII.

Geneſ. I. verſ. 11. 12. 13.

Et dixit DEVS, Progerminet Terra germen herbam ſeminificantem ſemen; lignum frugiferum ferens fructum juxta ſpeciem ſuam, cujus ſemen ſit in ſemetipſo ſuper Terram, & fiebat ita.

Et protulit Terra germen herbam ſeminificantem ſemen, lignum frugiferum ferens fructum juxta ſpeciem ſuam, cujus ſemen ſit in ſemet ipſo ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit DEVS, quod eſſet bonum.

Facta eſt veſpera & mane Dies tertius.

Et ait: Germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum, juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper Terram. Et factum eſt ita.

Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unum quodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam, & vidit DEVS, quod eſſet bonum.

Et factum eſt veſpere & mane dies tertius.

Hoc

TAB. VIII.



GENESIS Cap. I. v. 11. 12. 13.
Opus tertiæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 11. 12. 13.
Drittes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

HOc *die tertio*, quod vidimus, fuere ſtrata Terræ eleuata, defluxere per plana inclinata Aquæ, Aluei Marium, Lacuum, Fluminum, fuere repleti, ſed nuda ſe offert Tellus, Tabula raſa, nullis exornata picturis, imò vero ſqualido colore horrorem incutiens, ſed ἰλὺς, ſeminarium diues, aqua limoſa nutritia prægnans, pingue ſolum, ex quo ſurgunt vegetabilia omnis generis, quæ momento amœnum virorem, imò omnes colores Terræ inducunt, non certe vi quadam propriâ.

Mandat DEVS Terræ, materiæ inhabili, immotæ, paſſiuæ, ut progerminet דֶּשֶׁא עֵשֶׂב, βοτανὴν χόρτȣ, herbas teneras, adoleſcentes imo & adultas, perfectas, quæ habeant מַזְרִיעַ זֶרַע *ſeminificandi ſemen* potentiam, id eſt ſeſe propagandi & multiplicandi per ſemina radices, taleas, Prolones. Ubique eſt זֶרַע in omni ferè Arboris puncto.

Eſt infinitum, infinities varians in Plantis, Arboribus, Fruticibus, Foliis, Floribus, Seminibus, artificium, quod infinitam poſcebat Potentiam & Sapientiam. Sunt proin Opera hæc non Naturæ, qualiscunque ducat Plaſtica, non Motus, ſed imediata DEI. Conſule Anatomen Plantarum, qualem moderna Philoſophia tibi, Microſcopiorum inprimis ſubſidio, offert. Quid judicabis, obſecro, de tot in eadem Planta millionibus ductuum nutritiorum advehentium, reuehentium, aerivehorum, fibrarum? quid de omnibus his, imò Foliis, Floribus, Fructibus, concentratis & jam figuratis in exiguo Seminis puncto, & puncti infiniteſimo punctulo? Quid de uno eodemque ſucco nutritio, infinitis modis diuerſificato? de modo, quo corpuſcula minima ordinantur & coeunt? quid de propagatione ſpeciei, excedente prorſus omnem finiti intellectus captum? de 1584000000. fructibus ex unico Ulmi ſemine pronatis, quorum ſinguli eandem ſeminificandi potentiam habent? Quid de progreſſione Geometrica in infinitum pergente, cujus primus terminus 1. ſecundus 1584000000. tertius hujus numeri quadratum, quartus cubus, & ſic porro? Quid de iiſdem ſemper naſcendi, creſcendi, operandi, pereundi viciſſitudinibus? de eadem indole in natis natorum, & quæ naſcuntur ex illis? quid de Generationibus hodiernis, quæ veroſimiliter aliud nihil ſunt, quam rudimentorum infinite paruorum primitus creatorum evolutiones? Quid proin de omnis generis vegetabilibus nychthemeri, imò fortè paucarum horarum, forte momentorum ſpatio in ſua perfectione productis, terreſtribus, montanis, ſylveſtribus, aquaticis, lacuſtribus, marinis, perennibus, annuis? de Miraculo, quod illo Virgæ Aharonicæ 16000es. eſt majus, quot ſcilicet numerantur hodie diuerſitates? Non deride, quisquis es, aphiloſophe, numeros ſupra in medium prolatos, non, quæ modernis arridet, *evolutionem*. Fundatur hoc Syſtema non duntaxat Ratione, Experientia, infiniti artificii ſtructurâ, ſed ipſa Codicis Sacri authoritate. Quid enim aliud eſt *Herba ſeminificans ſemen* מַזְרִיעַ זֶרַע *arbor fructus faciens ſpeciei ſuæ, cujus ſemen ejus IN EA ſuper Terram* אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ עַל־הָאָרֶץ Ita nos dicimus, latere rudimenta ſingularum Plantarum, ſingulorum indiuiduorum in Seminibus, Oculis, Gemmis, Fructibus, imo latuiſſe in primis plantis, Arboribus à DEO creatis, & nunc ſubinde explicari, EVOLVI.

Illuſtrandæ huic doctrinæ inſeruiunt Obſeruationes imprimis Microſcopiales. En *Triticum* ex Leeuwenhoek Exper. & Contempl. p. 158.

Fig. I. eſt Tritici granum octauæ diei germinans: & A B D. quidem recens ſpica. BCD. folium interius ſpicam cingens.

Fig. II. aliud Tritici granum duodecimo die.

Fig. III. Hordei Granum germinans nono die; A A A. recens ſpica. N O P Q R. quatuor folia ſpicam cingentia.

Fig. IV. totum hordei germen nono circiter die ad radices inter S. & V.

Fig. V. Triticum in genicula jam excreſcens.

Fig. VI. Spica inibi latens, quam armato licet oculo videre.

Fig. VII. aliam exhibet Spicam adultioris ætatis.

Fig. VIII. aliam magis adultam, locatam in X. Fig. V.

Fig. IX. Tritici Spica perfecta, prout etiam nudis conſpicitur oculis.

TAB. IX.

Geneſ. Cap. I. verſ. 11. 12. 13.

JUcundum ſimul erit & utile *Florum* pulcherrimam varietatem ſiſtere, ſcitu tantò neceſſariam magis, quia unica hæc Tabula characteres exhibet, ad quos omnes prope, quotquot in rerum natura occurrunt, Plantæ reduci & poſſunt & debent, *Tournefortium* ſequor ejusque Claſſes.

I. Herbæ & ſuffrutices flore monopetalo campaniformi.

Eoque vel ſimpliciter campaniformi A. vel campaniformi tubulato B. vel campaniformi patenti C. vel globoſo D. Ad hanc Claſſem pertinent Malua, Cucurbita, Campanula.

II. Plantæ flore monopetalo infundibuliformi E. Hypocrateriformi F. rotato G. Huc pertinent Nicotiana, Auricula Urſi, Borrago.

III. Plantæ floribus monopetalis anomalis, auritis vel cucullatis H. tubulatis in lingulam deſinentibus. I. tubulatis perſonatis K. Arum, Digitalis, Euphraſia.

IV. Plantæ flore monopetalo labiato L. Saluia, Mentha, Meliſſa, Rosmarinus.

V. Plantæ floribus Polypetalis cruciformibus M. cochlearia, Burſa Paſtoris, Braſſica.

VI. Plantæ floribus polypetalis roſaceis N. Papauer, Flos Paſſionis, Pæonia.

VII. Plantæ floribus roſaceis umbellatis. O. Fœniculum, Angelica, Caminum.

VIII. Plantæ floribus polypetalis caryophyllæis. P. Caryophyllus.

IX. Plantæ floribus Liliaceis. Q. Tulipa, Hyacinthus, Corona Imperialis.

X. Plantæ floribus Polypetalis papilionaceis R. Faba, Piſum, Vicia.

XI. Plantæ floribus polypetalis anomalis. S. Napellus, Balſamina, Viola, Conſolida, Regalis.

XII. Plantæ floribus floſculoſis T. Carduus, Cyanus, Scabioſa.

XIII. Plantæ floribus ſemi-floſculoſis U. Cichorium, Scorzonera.

XIV. Plantæ floribus radiatis W. Jacobæa, Doronicum, Bellis.

XV. Plantæ floribus apetalis ſeu ſtamineis X. frumentum, Secale Hordeum, Auena, Gramen, Arundo.

XVI. Plantæ, quæ Floribus carent, & ſemine donantur, epiphylloſpermæ dictæ Y. Filix, Polypodium, Ruta muraria.

XVII. Plantæ, quarum Flores & Fructus conſpicui deſiderantur. Spongiæ, Muſci, Corallina Z.

XVIII. Arbores & Frutices floribus apetalis; Buxus, Fraxinus, cujus ſiſtitur Flos. lit. a.

XIX. Arbores & Frutices floribus apetalis amentaceis. Nux Juglans, Fagus, Caſtanea; cujus ſiſtitur Julus & fructus b.

XX. Arbores & Frutices floribus monopetalis. Jasminus, Ulmus, Sambucus, cujus exhibetur Flos & Fructus c.

XXI. Arbores & Frutices floribus roſaceis Tilia, Berberis, Amygdalus, Roſa, cujus præſentatur Flos lit. d.

XXII. Arbores & Frutices floribus papilionaceis. Geniſta, Anagyris, cujus oſtenditur flos & fructus lit. e.

TAB. X.

Geneſ. I. verſ. 14. 15.

Dixitque DEVS, fiant Luminaria in expanſione cœlorum, ut diſtinguant inter Diem & Noctem, ſintque in Signa, & ſtata Tempora, in Dies & Annos.


Et ſint in Luminaria in expanſione Cœlorum, ut Lumen præbeant ſuper Terram, fiebatque ita.

Dixit autem DEVS: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna ac tempora, & dies & annos.

Ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.

Nunc

TAB. IX.




GENESIS Cap. I. v. 11. 12. 13.
Opus tertiæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 11. 12. 13.
Drittes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

TAB. X.



GENESIS Cap. I. v. 14. 15.
Opus quartæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 14. 15.
Viertes Tagwerck.

I. A. Friderich sculp.

PJC

NUnc aperitur magnificum Mundi Theatrum. Fulgentiſſima Sidera, tum Fixa, tum Erratica, initio jam creata, Aere magis depurato, redduntur conſpicua. Nunc Sol incipit eſſe Terræ Sol, nunc lux ejus & calor in uſum cedit Terræ. Seruit immenſi Vorticis Monarcha pulviſculo. Quarto Die comparet Sol materialis, Millennio quarto Sol Juſtitiæ. Notum, Sidera una eſſe aliis, immenſis quidem ſpatiis altiora, Parallaxi fidiſſimo teſte. Quomodo igitur, inquies, *facta ſunt in expanſione cœlorum?* Aere? Quid ſi narrationi Moſaicæ parallelum ſiſtamus ſyſtema *Empedoclis* de *duplici Sole*, *Igne primigenio* in Centro Vorticis magni, & hujus Ignis *reſplendeſcentia*, quæ repræſentatur in noſtra Atmoſphæra? Extitit ſane *in principio* v. 1. Hic Terræ fuit præſentatus, & veluti in expanſo aereo effigiatus finito die tertio. Renouauit ſane antiquiſſimam hanc de ſole ideam inſignis Aſtronomus & Sculptor *Joh. Chriſtoph. Eimmartus* in *Ichnographia noua Contemplat. de Sole.* Fuerit Atmoshpæra רָקִיעַ hactenus in Chaotico magis ſtatu, ſimilis vitro crudo, nondum polituram nacto, nunc erit conferenda cum lente polita. Sit Fig. I. HDG. Terra, EBCF. Atmoſphæra. A B C. Conus radiorum à Sole incidentium in Atmoſphæram. BC. baſis Coni inuerſi BDC. cujus apex eſt D. ſpectatoris oculus. Hoc ſi ita ſit, tot erunt, uti in Iride & Halone, Soles, quot oculi, Nubem amplectimur pro Junone, Solis imaginem pro Sole. Et ſumus, vel natamus cum Terra noſtra in parte ipſius Solis. Lucem fœneratur huic ſententiæ Sol Septentrionalibus inocciduus, infra Horizontem demerſus, illis tamen conſpicuus, nempe ſubſidio refracti radii AC. ex C. in F. juxta Fig. II. Judicent de hoc Syſtemate me peritiores alii.

Quicquid ſit, ſiſtuntur heic מְאֹרֹת *Luminaria*, luce vel propria vel aliena gaudentia, Sol, Luna, Planetæ, Fixæ, quatenus inſeruiunt Terricolis, imo &, ſi qui ſunt, Planeticolis, quorum *Dies*, *Noctes*, *Signa*, *Tempora*, videſis in *Hugenii Coſmotheoro.* Siſtuntur Corpora non αὐτουσία, in eſſe, fieri, lucere, moueri, ſignare, dependentia à DEO, Judæis primùm, ſed & aliis mortalibus, ne turpi Apoſtaſia deflecterent à Creatore ad Creaturas, à vero DEI cultu ad Heliolatriam, vel Selenolatriam, ad exemplum Cainitarum, quos Aſtra adoraſſe probat Cel. *Heidegger. Hiſt. Patr. Exerc. VIII. Th. 4.* ex *Maimonide.* Alios poſterioris æui ἀστρολάτρας ſilentio prætereo.

Diem & *Noctem*, ingentia DEI beneficia, alterat gyratio centralis Terræ, quæ ſi nulla foret, gauderet Solis luce & calore unicum duntaxat Terræ Hemiſphærium, imò nimio æſtu torrerentur hujusdem pleræque Prouinciæ, altero profundis & perpetuis tenebris immerſo, continuo rigente gelu: ſi tardior, velociorue, foret rurſum incongrua, νυχθήμερον, ibi plurium hîc pauciorum, quam 24. horarum.

Sunt & *Anni*, ad annuam Terræ in fluidiſſima orbita circumvolutionem, imo ad exquiſitiſſimam Diuinæ Sapientiæ normam emenſurati. Pone, inſulſe Mome, circulum hunc abſolui ſex Menſium ſpatio! Sic forent Anni tempora duplo breuiora, corriperet nos ante gelida Hyems, quam fruges poſſent maturari. Pone motum tardiorem, tempora habebis Anni productiora, longiorem Æſtatem, quæ exiccaret omnia, unicam intra biennium meſſem, integri Anni Hyemem, qua conſtringerentur omnia.

Fundantur מוֹעֲדִים *Tempora* ſcil. *Anni*, Axi Terræ non perpendiculariter inſiſtente Eclipticæ plano, ſed inclinato ad $23\frac{1}{2}$. grad. Tolle hanc inclinationem, miſerrimam habebis Terræ conditionem, non, quam ſomniabant alii, Paradiſiacam felicitatem. Actum erit de omnibus Septentrionis populis, quibus Sol nunquam accedet propius, quam nunc fit Vere & Autumno, dum aliæ Prouinciæ, conſtanti Æquinoctio torrerentur nimio æſtu; Pone axem in inclinatione ſua continuo variantem, obtinebis ſtatum infeliciſſimum omnium, ſaltus ex diriſſima Januarii Hyeme, quam experiuntur Grœnlandi, ad æſtum Æthiopibus vix tolerabilem. Exhibet hunc ſitum & motum annuum Terræ, ſimulque quatuor Anni Tempora Fig. III. ubi Terra exiſtente in ♎ Sol conſpicitur in ♈. & vernum tempus deſcribit motu ſuo per ♈. ♉. & ♊. Sequitur Æſtas motu Solis per ♋. ♌. ♍. Autumnus per ♎. ♏. ♐. Hyems denique per ♑. ♒. ♓.

Aliud Diuinæ Bonitatis κριτήριον dant *Dies* iterato nominati יָמִים nempe *Dierum Longitudines*, qui paribus cum temporibus Anni paſſibus ambulant.

Ex his omnibus clarè patet, data eſſe Luminaria cœli in Signa לְאֹתֹת in τεκμήρια Potentiæ Sapientiæ, Bonitatis Diuinæ; Tempeſtatum Anni, Dierum, Noctium, Menſium, variorum Naturæ Phænoménων, Eclipſium Solarium, Lunarium, Jovialium, Tempeſtatum, Ventorum, Æſtus Maris, Plagarum Mundi, Nauigationum, Longitudinum. Ut non opus habeamus huc accerſere Signa ex Aſpectibus Aſtrorum petita, prognoſticari, quod ἀστρομάντιαι faciunt, mutationes Regnorum, Principatuum, Rerumpublicarum vices, mortem & vitam Principum, fata priuatorum, Pacem, Bella.

Non ſunt Luminaria data duntaxat in Signa, ſed & in *Luminaria* לִמְאוֹרֹת Emphatice vocat, Ezech. XXXII. 8. מְאוֹרֵי אוֹר *Luminaria Lucis.* Quæ ſibi luxerunt hactenus, illucent nunc Terræ. Dominus, Sol, fit Seruus, & tamen Monarcha manet.

Senſu magis proprio *Luna* dici poteſt eſſe in *expanſione cœlorum, quam Sol.*

TAB. XI.

Geneſ. I. verſ. 16. 17. 18. 19.

Et fecit DEVS duo magna Luminaria, Luminare (videlicet) majus, quod dominaretur interdiu, & Luminare minus, quod dominaretur noctu, tum etiam ſtellas.

Poſuitque DEVS in expanſione Cœlorum, ut lucem præberent ſuper Terram.

Et ut dominarentur die ac nocte, diſtinguerentque inter Lucem ac Tenebras, viditque DEVS, quod eſſet bonum.

Et fuit veſpera & mane dies quartus.

Fecitque DEVS duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas.

Et poſuit eas in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram.

Et præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit DEVS, quod eſſet bonum.

Et factum eſt veſpere ac mane dies quartus.

FEcit DEVS, id eſt perfecit, quod *fecerat* jam ante. Perfectum mutatur in plusquamperfectum, quo Lingua Ebræa caret. Partitur Lucis Monarchiam, propriam & *Diei* dominium tradit *Soli*, mutuatitiam & dominium *Noctis Lunæ*. Imo vero *Sol* Monarcha manet, Lunâ Vice-Rege.

Eſt *Solis* ad *Terram* proportio ut 1369078. ad 1. Lunæ ad Terram ut 1. ad 47. *Lunæ* proin ad *Solem* ut 1. ad 64346676. Et tamen *Lunæ* hic puluiſculus in parallelismo locatur cum Oceano illo igneo. *Luminare* cluet *magnum*, licet *minus*. Uſus nempe reſpectu eſt Sol magnus, & Luna magna, magna quoque in apparentia, nobis Terricolis. Sic magni erunt Jouicolis quatuor, Saturnicolis quinque Satellites, nobis vix niſi per Telleſcopia conſpicui. Sic, vides, Textum ſalvum, Aſtronomiam ſaluam. Ut non opus ſit heic illo, ad captum vulgi, effugio, quod tantopere reformidant multi Theologi, defenſum à *Joh. Wilkins*, Ceſtrienſi Epiſcopo & aliis.

Inſinuat quartæ diei operum iterata præſentatio inſignem, qui ad Terricolas redundat, ex luminaribus uſum. Carere poſſemus Auibus, Piſcibus, Inſectis, aliis forte Animantibus, ſed non Luce, non calore, non Dierum ac Noctium, Lucis ac Tenebrarum viciſſitudine.

Fig. I. repræſentat *Solem* & in eo *maculam*, uti conſpici hæ ſolent per Tubos.

Fig. II. *Lunam*, uti ejus facies ſeſe obuertit Terræ, diſtincta in partes lucidiores & maculas.

Fig. III. *Phaſes Lunæ* reſpectu Terræ T. nempe in a. *Plenilunium*; in b. Lunam decreſcentem; in c. *Quadraturam*, in d. *Nouilunium*, in e. Lunam creſcentem; in f. *Quadraturam.*

Fig. IV. ſiſtit Syſtema *Eclipſeos Solaris*, ejusque totalis, reſpectu nempe incolarum jacentium in climate inter a. & b. Eclipſatur autem Sol, ſi Luna L. media tranſit inter Solem & Terram T. adeoque Terricolis Lucis uſuram intercipit.

Fig. V. Schema exhibet *Eclipſeos Lunaris*, ejusque etiam totalis, quæ oritur, ſi Luna L. tranſit per umbram Terræ conicam T a. eique plane immergitur, in b. eſt penumbra.

TAB. XII.


Geneſ. I. verſ. 20.

Et dixit DEVS, ſcaturiant Aquæ reptile animæ viuentis, & volatile, quod volitet ſuper Terram, ante expanſionem cœlorum.

Dixit etiam DEVS, Producant Aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.

Eſt

TAB. XI.



GENESIS Cap. I. v. 16. 17. 18. 19.
Opus quartæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 16. 17. 18. 19.
Viertes Tagwerck.

I.A. Friderich sculp.

PJCB



GENESIS Cap. I. v. 20. I. Buch Moſis Cap. I. v. 20.

Opus quintæ Diei. Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

PJCB

PJCB



GENESIS Cap. I. v. 20.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 20.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Friedrich sculp.

EST ordo Creationis naturæ rerum congruus. Atmoſphæra nunc depurata. Terra à Calore Solari fota. Adſunt Vegetabilia omnis generis. Nunc comparent, quibus Plantæ in cibum veniunt, Animantia. Et primo quidem prodiit ex Aqua שֶׁרֶץ *reptile*, *Inſectorum*, ut vocamus omne genus: non ſane ex neceſſitate Naturæ, non ex putri limo, ſed juſſu Omnipotentis. *Dixit DEVS*, & dum dixit, produxit, Aquas imprægnauit ſeminio vel ouis, imo Animalcula ipſa in omni ſua perfectione ſiſtit. Minime dubitabis, ſi Philoſophiam modernam, ad DEVM ductricem, conſulas. Perpende immenſam varietatem, miras metamorphoſes, prouidentiſſimam conſeruationem, imperſcrutabilis artificii ſtructuram. Conſidera, minimis etiam illis Animalculis, quorum ad 30000. viuunt in unica Aquæ guttula, ſua eſſe viſcera, venas, neruos, muſculos, articulos, Spiritus animales, vel quod iis eſt ἀνάλογον: deponere ouula ſua iis in locis, ut plurimum Foliis, Floribus, Fructibus, Plantis, Arboribus, Muris, ubi ad maturitatem euecta, ſiue plene euoluta, nutrimentum ſuum inuenire poſſint: Perpende gluten illud, & artificium, quo ouula ſua affigunt ita, ut à Ventorum, Aquæ, Aeris æſtuantis injuriis poſſint eſſe ſecura: quàm dextré alia obuoluant ouula ſua foliis conglobatis: quantâ induſtria deponant in tenellis ramis, terebra prius perforatis, vel morſu ſaltem læſis: quam prouidè occultent vel intra corticum rugas, filis ſericiformibus colligent, vel crudeli philautia alia aliorum Animalium terga ad hunc finem perforent: vel etiam cauos Animalium Nares, Aures, Os, Terræ viſcera, Aquas quærant; vel etiam intra calices Florum, ſemina, fructus, carnem ſiccam, Radices, Ligna, recondant; ibi ſemper, ubi commodiſſime ſunt locata.

Debebant & *Volatilia*, Aues, *volitare* ſuper Terram; habebis hîc rurſus, cur plenis deprædices buccis DEI perfectiones. Conſidera Auium ſtructuram, varietatem, Roſtra varia, pedum ad roſtra & colla præciſa proportionem, prouti vel in Aquis nutrimentum quærunt, vel in Terra, veſtimenta, quibus conteguntur, Plumas, Pennas, infinitæ, etiam in coloribus, pulchritudinis: Ungues, quibus armantur: caudæ gubernaculum: Muſculos: Oſſa tenuiſſime excauata, Cerebrum, Pulmones, Ventriculos, Ova, Ovula in Ouis; Nidos artificioſiſſimos, pullorum & ouorum conſeruationem, innumera alia.

Exhibet hæc Tab. XII. varii generis Inſecta, *Papiliones*, *Erucas*, *Scarabæos*, *monocerotem* & *bicornem*, *Libellam*, *Cantharos*, *Locuſtam*, *Araneas*: Sed attentionem ſimul & deſcriptionem merentur Icones, quæ latera tabulæ ornant, & Inſectorum miras ſiſtunt Metamorphoſes, & quidem exempli loco è pluribus *Formicæ* atque *Papilionis*.

Eſt nempe ex Swammerdamio

Fig. 1. *Formicæ* ouum, tum nudo oculo, tum ſub armato conſpicuum.

2. Vermiculus Formicæ primum ouo excluſus.

3. Vermiculus Formicæ, cujus membra jam ſub pellicula ſuccreuerunt, & circa Thoracem nonnihil protuberant.

4. Vermiculus Formicæ nudatus, rejectis exuuiis Nympha dictus duplici conſpectu.

5. Formica ipſa operaria, Fœtum in ore gerens.

6. Formica mas.

7. Formica fœmina.

Fig. a. Papilionis Ouum.

b. Idem ruptum, & ab incola vermiculo relictum.

c. Vermiculus ſeu Eruca, è qua Papilio hic isque nocturnus mutatur.

d. Idem vermiculus tela obuolutus, cujus membra recondita protuberare incipiunt circa ſecundam & tertiam inciſuram.

e. Nympha Chryſalis, ſiue Aurelia mas.

f. Eadem fœmina.

g. Papilio ipſe nocturnus mas alatus.

h. Fœmella impennis.

i. Eadem corpore ouis repleto.

TAB. XIII.

Geneſ. I. verſ. 20.

IN Scenam heîc prodeunt *Aues*, quæ, quia locum cedere debebant Inſectis, peculiarem merentur. Tanta equidem earum eſt varietas, ut volumine integro *Willoughbyano* vix comprehendi queat: ſufficiat inpræſentiarum ex claſſe quauis ſiſtere vel unam, vel paucas: ex Terreſtribus uncunguibus Regem *Aquilam* A. & *Pſittacum* B. ex iis, quæ roſtro & unguibus rectioribus minusque hamatis, adſunt *Coruus* C. *Upupa* D. Ex Terreſtribus maxima Struthio E. Ex iis quæ breuiora & rectiora habent roſtra, *Gallina* F. cum *Gallo* G.

Ut Generationis mirandæ juſta formetur idea, inter Tabulæ hujus ornamenta exhibeo, ex *Malpighio* mutuo ſumtos, diuerſos *Oui Gallinacei* incubati ſtatus: ubi

N. 1. Conſpicitur, oculo nempe armato, cicatricula oui nondum incubati, ſed quidem fœcundi.
N. 2. Oui incubati poſt horas 6.
N. 3. poſt horas 12.
N. 4. poſt horas 18.
N. 5. poſt horas 24.
N. 6. poſt horas 30.
N. 7. poſt horas 36.
N. 8. poſt horas 40.
N. 9. poſt duos dies.
N. 10. poſt triduum.
N. 11. poſt quartam diem.
N. 12. poſt quintam.
N. 13. poſt ſextam.
N. 14. poſt ſeptimam.
N. 15. poſt nonam.

TAB. XIV.

Siſtit ſecunda hæc Ornithologica Tabula ex Auibus Aquaticis, quæ digitos habent diuiſos, *Gruem* H. *Ciconiam* I. ex Palmipedibus & latiroſtris *Cygnum* K. *Anſerem*. L. *Anatem* M.

Inter ornamenta videre licet Oui incubati ſtatum.

N. 16. poſt diem decimam.
N. 17. poſt duodecimam.
N. 18. poſt decimam quartam.
N. 19. transacta die decima nona.
N. 20. completa die vigeſima.
N. 21. tandem pullus pipiens.

Ubi obſervandum, me, ut parcerem ſpatio, omiſiſſe delineationem Colliquamenti exterioris, quod Embryoni pro nutrimento inſeruit.

TAB. XV.

Geneſ. I. verſ. 21.

Et creauit DEVS Cetos magnos, & omnem animam viuentem reptantem, quam Aquæ ſcaturierant juxta ſpecies ſuas, & omne volatile pennatum, (quodque) ſecundum ſpeciem ſuam, & vidit DEVS, quod eſſet bonum.

Creauitque DEVS Cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vi dit DEVS, quod eſſet bonum.

C*Reavit DEVS*, non produxere Aquæ propria vi, *Piſces*. Omne quod dabant Aquæ, erat locus, ſtructura eſt DEI opus. Vix perſuaderier de afferti hujus Veritate? Conſidera ex una parte Aquæ ſimplicitatem, ex altera Piſcium mirandam & multivariam ſtructuram. Dentes nunc in Ore, nunc in Faucibus, nunc in Ventriculo poſitos, in Unica ſerie, vel pluribus: Oculos, Pinnas, quibus tanquam remis incredibili velocitate moventur. Caudam, quæ illis gubernaculi loco inſeruit. Squamas: Cerebrum reſpectu totius corporis exiguum; Tactum tenerrimi ſenſus, qui ſimul Auditus officio fungitur: Branchias, quæ pulmonum loco adſunt: Ventriculos & numeroſa Inteſtinula: Veſicam natatoriam, cujus ope nunc ſurſum feruntur, nunc deorſum, & ubique in æquilibrio ſunt cum Aqua: Muſculos innumeros: Generationem numeroſiſſimam: varietatem in Generibus & Speciebus miram.

Valet idem argumentum circa τὸ רֶמֶשׂ *reptile* omne, ſiue ἔναιμον id ſit, uti Serpentes, ſiue ἄναιμον, exſangue, Vermes & Inſecta omnia; Inprimis autem hîc per *Animam viuentem reptantem* (motabilem) intelligi volo *Exanguia* ſpeciatim ita dicta, inprimis marina, tum mollia, Polypum, Sepiam, tum Cruſtacea, Gammaros, Echinos, Stellas: tum Teſtacea, Conchas, Cochleas, omne genus.

Stitit ſe DEVS ut maximum in minimis; ita & maximum in maximis Animantibus, ex quibus per quandam veluti præcellentiam nominat Moſes *Cetos magnos*, Natatilium veluti Reges, per quos intelligi probabile *Cetaceos* ita dictos *Piſces* (diſtinctiuè à *Cartilagineis* & *Spinoſis*) qui quadrupedum viviparorum more pulmone reſpirant, coeunt, concipiunt, viuos fœtus pariunt, & Lacte alunt: Piſcesque



GENESIS cap. I. v. 20.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 20.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Fridrich sculp.

RPJCB




GENESIS Cap. I. v. 21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 21.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

JCB



GENESIS Cap. I. v. 21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 21.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



GENESIS Cap.I.v.21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap.I.v.21.
Fünfftes Tagwerck.

I.A. Corvinus ſculp.

que alios è maximis, *Belluæ marinæ* dictos. Ad priorem Claſſem pertinent Delphinus, Phocæna, Balæna, Orca, Phyſeter, Cete, Clus.

De *Balænis* multi multa, ſed & multa falſa; aſt in mendaciis cudendis nemo ſuperior Hebræis: offendas Cetos 500. Stadia, ſiue Milliaria plus 60. longos. Sed hi nihil, ſi conferas cum Ceto illo monſtroſo in *Baua Bathra* f. 73. in cujus dorſo nauis ab una pinna ad alteram triduanum confecit iter. Quid dicas de Arabum commentis, qui totum Terræ globum unici piſcis dorſo, ut paſſim Scyphos, incumbere nugantur. Contractiores ſunt menſuræ, quas modernæ ſuggerunt obſeruationes, & 100. pedes raro pro longitudine excedunt.

De Piſcibus abſolutiſſimum opus extat Illuſtris *Willoughbyi*: ſufficiat nobis in hac Tabula, ſiſtere ex quovis genere vel unum, vel paucos. Adſint igitur:

N. 1. Ex Cartilagineis longis *Carcharias*.
N. 2. *Zygæna*.
N. 3. *Priſtis*.
N. 4. Ex Cartilagineis latis *Raja* & *Squatina*.
N. 5. *Torpedo*.
N. 6. Ex planis ouiparis ſpinoſis *Rhombus*.
N. 7. *Anguilla* ex Anguilliformibus.
N. 8. Ex piſcibus corpore contractiore, qui pinnis fibralibus carent, *Orbis muricatus*.
N. 9. *Xiphias*.
N. 10. *Hippocampus*.
N. 11. Ex piſcibus dorſo tripinni, *Aſellus major*.
N. 12. Ex piſcibus dorſo bipinni, *Thynnus*.
N. 13. Ex Truttaceo genere, quod pinnulam habet paruam adipoſam in extremo dorſo, nullis radiis inſtructam, *Trutta*.
N. 14. *Carpio*.
N. 15. Ex piſcibus, qui unicam in dorſo habent pinnam, *Harengus*.
N. 16. Ex piſcibus aculeatis duabus in dorſo pinnis, anteriore autem ſpinis radiata, *Lupus*.
N. 17. *Draco marinus*.
N. 18. Ex piſcibus unica in dorſo pinna partim molli, partim ſpinoſa, *Acarnan*.
N. 19. *Scorpius*.

TAB. XVI.

QUos ſingulari elogio dignos, ad gloriam ſcilicet Creatoris, judicat Hagiographus, *Cetaceos Piſces* תַּנִּינִים eosque הַגְּדֹלִים, dignos judicamus & nos peculiari Tabulâ, in qua
A. exhibet *Balænam*.
B. *Orcam*, quam doctiſſimo *Leuiathanis* libro orbi erudito expoſuit, Joboque reſtituit Clar. *Theodorus Haſæus*.
C. *Delphinus*.
D. *Phocæna*.
E. *Monoceros*, cujus cornu paſſim inter Cimelia reconditur, & pro vero Unicornu venditatur. F.

TAB. XVII.

DE Anatome Piſcis maximi parum nobis conſtat. Speciminis loco aliquas ſiſto partes, easque in magnitudine naturali.

A. *Oculus* eſt, Pomi Aurantii magnitudinem vix excedens, ex Ruyſch. Theſ. Anat. IV. Tab. I.

B. *Humor* ejus *Cryſtallinus*, ſane reſpectu vaſtæ molis corporeæ exiguus vitulino paulo major.

C. *Papilla Uberis*, ubi papillæ cutaneæ nudo oculo ſunt viſibiles.

D. *Dens orcæ* ſeu Leuiathanis, quod donarium Muſeum acceptum refert laudato *Haſæo*.

E. Cylindrus reſectus ex *pene* Balænæ, ex proprio Muſeo, ubi a. eſt meatus urinarius. b. c. corpus exterius nerveo-ſpongioſum, heîc ſuccinei vel melliti coloris translucidum. c d. corpus interius nerueo-ſpongioſum, ejusdem ſtructuræ, qualis eſt in ipſo homine & quadrupedibus. ee. Membranulæ, quæ per interualla meatum urinarium connectunt cum corpore ſpongioſo exteriori, inſeruientes dilatando vel arctando dictum meatum.

TAB. XVIII.


EX *Reptilibus* v. 21. indigitatis, præcipue marinis, occurrunt Animantia tardiſſimo Motu prædita, eaque *Mollia Exſanguia*, imo & aſpectu & tactu horridula.

A. *Polypus.*
B. *Sepia.*
C. *Lepus Marinus.*
Ex Cruſtaceorum genere.
D. *Aſtacus.*
E. *Cancer marinus.*
F. *Stella marina.*

TAB. XIX. XX.

MIre oculos mentemque recreant *Reptilium*, præſertim *marinorum* illa Animalia, quæ *Teſtaceorum* nomine vulgò inſigniuntur, & integris voluminibus deſcripta depictaue extant. Manebimus, propter chartæ anguſtiam, & materiæ nimiam molem in Claſſibus genericis.

Ex Cochleis in ſe retortis intus Margaritarum inſtar ſplendentibus adſint
A. *Nautilus.*
B. *Cornu Hammonis.*
C. *Cochlea Lunaris* cum operculo.
D. *Umbilicus marinus* dicto.
Ex Cochleis valuatis lævibus.
E. *Valuata*, *Vitellus* dicta.
F. Alia lactei candoris, maculis Caſtanei coloris faſciata.
Ex Cochleis valuatis ſtriatis.
G. *Valuata ſtriata* alpina.
Ex Caſſidibus Tuberoſis.
H. *Tuberoſa* prima.
Ex Caſſidibus verrucoſis.
I. *Verrucoſa* Ceramica.
Ex Caſſidibus læuibus ſiue cinereis.
K. *Caſſis* cinerea læuis.
Ex Caſſidibus muricatis.
L. *Murex* ramoſus } in Tab. XX.
M. *Tribulus.* }
Ex Cochleis globoſis.
N. *Cochlea pennata.*
O. *Umbilicata.*
Ex Turbinatis, Buccina dictis.
P. *Buccinum Tritonis.* Tab. XX.
Q. *Turris Babylonica.*
Ex Strombis.
R. *Strombus Tympanorum.*
Ex Volutis.
S. *Voluta Tigerina.*
T. *Harpa.*
Ex Alatis.
U. *Harpago.*
Ex Porcellanis ſeu Conchis Veneris
W. *Argus.*
Ex Cylindris.
X. *Cylinder Porphyreticus.*
Ex Uniualuiis non retortis.
Y. *Patella.*
Z. *Auris marina.*
a. *Balani.* Tab. XX. quæ ſequuntur.
b. *Tubuli vermiculares.*
c. *Dentales.* Tab. XIX.
Ex Teſtaceis biualuibus primum locum tenent *Chamæ aſperæ.*
c. *Chama ſubrotunda.*
d. *Chama ſquamata.*
Chamæ læues.
e. *Chama literata.*
Pectines & Pectunculi.
f. *Pecten vulgaris.*
g. *Fragum.*
Tellinæ.
h. *Tellina virgata.*
Solenes.
i. *Unguis.*
k. *Roſtrum Anatis.*
Muſculi.
l. *Muſculus* vulgaris.
Pinnæ.
m. *Pinna* oblonga.
Oſtrea.
n. *Oſtreum* Echinatum.
o. *Concha margaritifera.*



GENESIS Cap. I. v. 21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 21.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. I. v. 21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 21.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

TAB. XX.



GENESIS Cap. I. v. 21.
Opus quintæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 21.
Fünfftes Tagwerck.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. I. v. 24. 25.
Opus ſextæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 24. 25.
Sechstes Tagwerck.

I. A. Friderich sculp.

JCB



GENESIS Cap. I. v. 24. 25.
Opus ſextæ Diei.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 24. 25.
Sechſtes Tagwerck.

I. A. Friderich sculp.

TAB. XXI. XXII.

Geneſ. I. verſ. 24. 25.

Et dixit DEVS, producat Terra Animans viuens ſecundum ſpeciem ſuam, jumentum & reptile, & beſtiam Terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & fiebat ita :

Fecitque DEVS beſtiam Terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & omne quod reptat ſuper Terram ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit DEVS, quod eſſet bonum.

Dixit quoque DEVS : producat Terra animam viuentem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.

Et fecit DEVS beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit DEVS, quod eſſet bonum.

H*omini* propius accedunt *Aues*, *Piſces* & *Inſecta*, quam *Vegetabilia*; propius jam *Quadrupeda*, & *Reptilia* ex *Serpentino* Genere, quam Piſces & Aues. Sic ſcala graduationis ratione ſtructuræ ducet nos tandem ad *Hominem.*

DEI exiſtentiam rurſum demonſtrant *Quadrupedum* (tum *domeſticorum* בְּהֵמָה tum ferorum חַיָּה) machinæ Hydraulico-Pneumaticæ, qualis & eſt Hominis. Nempe Sanguinis inimitabile artificium. Pulmonum reſpiratorii folles, Sanguinis attenuationi inprimis ſeruientes; vitalis laticis circulus, & motus inteſtinus ; extrema fibrillarum ſubtilitas, qua vis $\frac{1}{792000}$ pollicis adæquant. Cor artificioſiſſimum & validiſſimum Hydracontiſterium ; Arteriæ, Cor ſecundarium, Venæ & Vaſa lymphatica cum ſuis valvulis : Ciborum inciſio, maſticatio, deglutitio, digeſtio, in chylum lactei coloris mutatio, chyli tranſitus ad Sanguinem: Sanguinis ab heterogeneis ſecretio : inſenſilis cumprimis ſeu cutanea Tranſpiratio : Seminis in Teſtibus confectio : Spirituum animalium, ſi qui ſunt, in Cerebro elaboratio : Externorum Senſuum, Viſus, Auditus, Guſtus, Olfactus, Tactus organa. Senſus interni, ſenſus communis, Phantaſia, Memoria, Muſculorum Vectes, quibus peraguntur motus ; Somnus & Vigiliæ ; miranda Generatio, & tum Indiuiduorum tum Specierum conſeruatio : Species & Genera miré variantia, & quæ ſunt alia.

Quadrupedibus jungitur רֶמֶשׂ *reptile*, nempe hîc ἔναιμον, ſanguine præditum, ſpeciatim *Serpentinum genus*, quod pulmone reſpirat, ut Quadrupedia, ſed pedibus caret.

Juuabit inprimis θηριοφίλῳ Lectori ob oculos ponere ex ſingulis Claſſibus unam duntaxat alteramue ſpeciem : Præſto igitur ſint

Ex Quadrupedibus ungulatis iisque μονοχήλοις ſeu ſolipedis.

A. *Equus.*
B. *Aſinus.*

Ex Διχήλοις ſeu biſulcis, iisque Ruminantibus.

C. *Vacca.*
D. *Ouis.*
E. *Ceruus.*

Ex biſulcis non-ruminantibus.

F. *Porcus.*

Ex Τετραχήλοις ſeu quadriſulcis.

G. *Rhinoceros.*

Ex unguiculatis, digitis communi cute tectis.

H. *Elephas.*

Ex unguiculatis pede bifido.

I. *Camelus.*

Ex unguiculatis pede multifido πλατυωνύχοις.

K. *Simia.*

Ex unguiculatis unguibus anguſtioribus.

L. *Leo.*
M. *Tigris.*
N. *Urſus.*
O. *Canis.*

Ex iisdem Herbiuoris.

P. *Lepus.*
Q. *Cuniculus.*
R. *Mus.*

Ex iisdem dentatis & longi-roſtris.

S. *Echinus.*
T. *Sorex.*

Roſtro breuiori.

U. *Veſpertilio.*

Ex Quadrupedibus Ouiparis.

W. *Rana.*
X. *Teſtudo.*
Y. *Lacerta.*
Z. *Crocodilus.*

Ex Reptilibus longo flexili corpore præditis.

a. *Serpens.*

TAB. XXIII.

Geneſ. I. verſ. 26. 27.

Et dixit DEVS, faciamus Hominem in Imagine noſtra, ſecundum ſimulachrum noſtrum, & dominentur in Piſcem Maris, & in volucrem Cœli, & in jumentum, & in omnem Terram, & in omne reptile, quod reptat ſuper Terram.

Creavit itaque DEVS Hominem in imagine ſua, in imagine DEI creavit eum, marem & fœminam creavit eos.

Et ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque Terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.

Et creavit DEVS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem DEI creavit illum, maſculum & fœminam creauit illos.

IN Theatro Mundi nunc comparet nobiliſſima ex Creaturis, Macrocosmi compendium Microcosmus: menſa parata accumbit hoſpes. Debebant prius lucere Sol ac Sidera, depurari Atmosphæra, & reſpirationi vegetabilium ac Animalium apta reddi: Aquæ diuidi in ſuperiores ac inferiores: Humidum ſeparari à ſicco: Terra veſtiri Arboribus, Fruticibus, ornari Floribus ac Fructibus: ſiſti omne Animantium genus, tandem comparere *Homo, Dominus conſtitui operum, quæ manus DEI parauerunt, cuncta ejus pedibus ſubdi; Greges & armenta uniuerſa, etiam jumenta campeſtria: Volucres quæ in Aere, & Piſces, qui in Mari (verſantur) & quicquid per Maris itinera tranſit,* Pſal. VIII. 7. 8. 9. Neque dubium, quin nouus hic Hoſpes ex primo διακοσμήσεως mundanæ conſpectu, ex imo cordis ſinu, puriſſimo intellectu, liberrima voluntate, plenis buccis, Ter Optimi, Ter Maximi Creatoris ſui deprædicarit laudes. *Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu præparaſti — Paululum ſiquidem eſt, quo DEO inferiorem illum feciſti, tanta cum gloria & decore illum cinxiſti: DOMINE DOMINVS noſter, quam magnificum eſt nomen tuum in uniuerſa Terra:* Al: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum. Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra!*

Sufficiat & heîc ad Hominis productionem, vnicum, quo DEVS hactenus uſus, *Fiat.* Sed adhibitum veluti Sacro Sancti Trinunius Conſilium, ut ſingularis & ab aliis Creaturis diſtincta Creatio nos admoneret, & Nobilitatis noſtræ & Nullitatis, Dominii & Subjectionis. Prolucere debebat Patriarchis ex τῷ *faciamus hominem*, ſacroſanctæ Trinitatis Myſterium, ut ſermo hîc non fuerit προβούλιον, conſilium, ſed ἐγκελεύοντος καὶ παρακαλοῦντος Heidegg. Hiſt. Patr. Exerc. IV. Th. 8.

Fuit hæc nobiliſſima, poſt lapſum miſerrima, Creatura, condita in imagine DEI, proin υἱὸς τοῦ ΘΕΟΥ, Luc. III. 38. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, Act. XVII. 28. quæ verba gentium Doctor mutuò petiit ex *Arato*, ut pateret, etiam Rationis Lumen dictare hanc Originem, hoc *à Joue principium.*


Qui hanc DEI imaginem diſtinctius conſiderat, dignitatem Hominis miratur, ſed &, in ſtatu quo, vilitatem, communionem cum DEO, ſed & infinitam ab eo elongationem, Diuinam originem, & turpiſſimam apoſtaſiam. Videamus!

Eſt Anima noſtra, ut DEVS perfectiſſimè, ita hæc finitè cogitans, infinitarum idearum promtuarium: ſed quam ſunt hæ cogitationes confuſæ, interruptæ, hæſitantes, arctiſſimis clauſæ limitibus, durationis breuiſſimæ!

Eſt Anima noſtra Immortalis, ſed non carens initio fine caritura, poſtquam cœpit, quæ immortalitas dependet à liberrimo Creatoris arbitrio, ab eo, qui ſolus ἀθανασίαν habet, 1. Tim. VI. 16. *Mortalis homo conditione corporis animalis, ſed immortalis beneficio Conditoris.* Auguſt. L. VI. de Gen. c. 25. Mori non debebat, ſed poterat.

Libere cogitat & operatur Mens ut DEVS, liberrimè & actuoſiſſimé: Sed eſt hæc Libertas diſtans haud procul à ſeruitute. Quoties, quæſo, quô ſe vertat? neſcit: quoties in eligendo hæſitat, volendo fluctuat? quoties pellitur hac illac, gubernaculo, remis, imò & Rectore

TAB. XXIII.



GENESIS Cap. I. v. 26. 27. Homo ex Humo.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 26. 27. Erſchaffung und Zeugung deß Menſchen.

I. A. Fridrich sculp.

RPJCB

Rectore deſtituta, ab objectorum externorum fluctibus? quam libera hæc volitio, quæ extra corpus ne hilum quidem, in ipſo corpore noſtro ne pilum mouere valet? Impotentior tantò, quia ipſi Motus voluntarii non ſunt noſtri, ſed DEI! Et quam quæſo hæc Monarchia noſtri in nos arcta & labilis? quam ſucceſſiua & mutabilis, ut breui elapſo temporis ſpatio unus alteri ſceptrum tradere cogatur & coronam?

Eſt alius Imaginis Diuinæ character Dominium: *Subjicite Terram, & dominamini in Piſcem maris, & in Volucrem Cœli, & in omnem beſtiam, quæ reptat ſuper Terram, Gen. I. 28. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper Terram.* Propterea, veluti in Homagii fidem, *adduxerat DEVS ad hominem omnem beſtiam agri, & omnem volucrem cœli, ut videret, quo modo appellaret ea.* Gen. II. 19. Propterea & *venerunt ad Noah* omnia animantia, Gen. VII. 14. ut ſub ejus tutela conſeruarentur in Arca. Sed ô quam reſtrictum eſt hoc Dominium, & feudale, ut contra DEI abſolutum, ſemper idem, haud interruptum, in Creaturas omnes! Imò vero eſt hæc noſtra prærogatiua *Uſus* potius quam *Dominium.* Debebat Homo naturas Animalium noſſe, ex iis Creatorem DEVM laudare, ea ad varios uſus, cibarios ſpeciatim applicare. Patet id ex litera feudali, quam dedit DEVS Noacho poſt Diluuium, Gen. IX. 2. 3. 4. *Pauor & Tremor veſter erit ſuper omne Animans Terræ, & ſuper omne volatile Cœli, quidquid mouetur aut repit in terra, quidquid eſt in Piſcibus maris, traditum eſt in manus veſtras. Quidquid mouet, quidquid viuit, ſit vobis in eſcam, quaſi herbam virentem dedi vobis.* Als: *Terror veſter ac tremor ſit ſuper omnes volucres cœli, cum uniuerſis quæ mouentur ſuper Terram, omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Eſt alius character Mentis *ſimplicitas*, ſed infinitis paraſangis inferior ſuo originali. Sunt cogitationes DEI & infinitæ, & perfectiſſimæ & omnipræſentes; noſtræ quodammodo diuiſibiles, excludunt unæ alias, ſequitur una aliam.

Alius *Intelligentia* & ſapiens operatio, ſed quam & hæc umbratilis, imò nulla, ſapientiæ Diuinæ comparata! inprimis in Statu hoc noſtro corruptionis & μωρίας. DEVS ſcit omnia & perfectiſſimo modo, imperfectè multa Homo. Multa ſciendi eum tenet cupido. Maxima pars eorum, quæ ſcit, eſt minima eorum, quæ ignorat. Et quot, quæſo, conſtat laboribus, quot ſudoribus, minuta ſcientia noſtra! quam γινώσκομεν ἐκ μέρες!

Interim tamen promicat ex Imagine ectypa infiniti quid. Cognoſcit Homo DEVM, infinitum, infinitas ejus perfectiones; attamen ne ſeipſum quidem cognoſcit plenè, imo fortè plura alia melius. Et Diuina dum contemplatur, in profundiſſimam veluti Aquæ cryſtallinæ introſpicit Abyſſum.

Sed longiſſimè omnium ab Archetypo diſtat Ectypon, intuitu *Bonitatis*, *Veracitatis*, *Sanctitatis*, *Juſtitiæ*, inde nempè à lapſu. Sed non hærere debebat in corruptionis cœno mens noſtra: emerſuræ prælucet Diuini Verbi luculentiſſima Fax, quæ morituras in nobis ſcintillas ἀναζωπυρεῖ. Docet beatitudinem quærere cum DEO & per DEVM, ſubmittere omnia Diuinæ voluntati, quærere, quæ bona, honeſta; agere quæ juſta, Diuinæ Legi congrua; euitare quæ noxia; viuere DEO non voluntati noſtræ, non Paſſionibus noſtris, non nobis, non mundo: uti bonis Mundi, non abuti; vincere patienter obſtacula in inuia fere virtutis via obvia, usque ad ultimam illam & perfectam ἀποκατάςασιν.

Remanſere proin gratia DEI λείψανα Intellectus ac Voluntatis, juſti & injuſti idea, jus quoddam in Creaturas, κοιναὶ ἔννοιαι, veritates axiomaticæ: ſed informitas reformatione indiget. Vitâ Sanctâ oportet ἐνδύσαϑαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, τὸν κατὰ ΘΕΟΝ κτιϑέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Eph. IV. 25.

Vidimus hactenus Imaginem DEI in *Anima* Hominis cogitante, intelligente, volente, judicante, immortali. Sed â tam nobili dignitate haud excludendum *Corpus.* Eſt id opus infiniti Artificis, Animæ junctum, Animae adducens ſenſibilium objectorum impreſſiones, Animæ voluntati in quibusdam motibus parens. Sane Anima & Corpus unita faciunt καινὸν ἄνθρωπον, Eph. IV. 24. καινὴν κτίσιν 2. Cor. V. 17. Conſeruari debet ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως. ἐν τῇ παρεσίᾳ τε Κυρίε ἡμῶν ΊΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, 1. Theſſ. V. 23.

Differt autem longe *Anima* hæc *noſtra* & eſſentialiter ab *Anima* Bruti. Hæc eſt נֶפֶשׁ חַיָּה *anima viuentis*, *anima viuens* v. 21. Illa imago DEI: materialis una, immaterialis altera. Hæc omni cognitione deſtituta, cogitans illa. De brutorum Anima Sacer Codex, Deut. XII. 23. *Sanguis ipſe Anima*, ſubtiliſſima nempe Sanguinis portio. Producta hæc ex *Terra* & *Aqua*, Gen. I. 21. 24. Hominis autem Cœleſtis eſt Originis.

Exhibent Ornamenta in Tabulæ hujus ambitu locata Hominis ab ouo ſurgentis varia ex Anatomia moderna, nominatim oculatiſſimi *Ruyſchii Theſauris* incrementa.

Fig. I. Embryo humanus Aniſi ſeminis magnitudine.

Fig. II. Alius Grani Hordei magnitudine cum funiculi umbilicalis rudimento.

Fig. III. Alius præcedente paulo major, cujus Caput jam â corpore diſtinctum, artuumque rudera adſunt inſtar tuberculorum minimorum.

Fig. IV. Alius digiti transuerſi magnitudine.

Fig. V. Alius, cujus artus magis ſunt expanſi, ſed nondum in digitos.

Fig. VI. Alius in quo digiti videri poſſunt.

Fig. VII. Alius paulò major.

Fig. VIII. Sceleton magnitudine digiti minimi, utraque manu tenens ouula.

Fig. IX. Aliud aliquanto majus, à cujus dextra pendet ouum muliebre fœcundatum.

Fig. X. Aliud Indicis digiti magnitudine, à cujus ſiniſtra pendet ouum fœcundatum apertum.

Fig. XI. Aliud fœtus humani quatuor præter propter menſium, qui oculis veluti lachrymabundus admouet, ſtrophioli loco, membranulam tenuiſſimam, myriadibus vaſorum ſanguiferorum præditam.

TAB. XXIV.

Geneſ. Cap. II. verſ. 10. 11. 12. 13. 14.

Et fluuius egrediebatur de deliciis, ut irrigaret Hortos, ut inde dilapſus fieret in quatuor Capita.

Nomen unius Piſon, is circuit totam Terram Hauilah, ubi eſt Aurum.

Nomen vero Fluuii ſecundi Gihon, is circuit totam Terram Kuſch.

Porro nomen tertii Fluuii eſt Hidekel, is curſum ſuum agit ad orientalem partem Aſſyriæ. Et fluuius quartus eſt Euphrates.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita.

Nomen uni Phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath, ubi naſcitur Aurum.

Et Nomen fluuii ſecundi Gehon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Æthiopiæ.

Nomen vero fluuii tertii, Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus, ipſe autem Euphrates.

Est hæc de Paradiſo diſquiſitio diſputabilis admodum, ſi quæ Sacri Codicis alia. Immiſcent ſe huic liti, & ſerram totis operibus reciprocant Interpretes, Geographi. Et quot non perluſtrarunt Aſiam, beatam hanc Protoplaſtorum ſedem quæſituri, qui fortean non aliam reportarunt laboris mercedem, quam corpus laſſum, & crumenam Auro, Intellectum Scientiâ vacuum? Fuere, qui Hortum hunc non in Terra quærunt, ſed penſilem fingunt in Aere. Fuere, qui ex tota Terra primæva faciunt Paradiſum, ut tantò minus errare poſſint. His placet *Meſopotamia*, illis *Babylonis* περίχωρος, aliis omnis *Syria*, *Arabia* & *Meſopotamia*: *Palæſtina* aliis: Aliis *Armenia*, *Aſſyria* & *Ægyptus*. Omnes, quantum quidem mihi videtur, de τῷ διότι ſolliciti prius, quam de τῷ ὅτι certi; Alchymiſtis haud abſimiles, qui Lapidem ſuum Philoſophicum quærunt in Aere, Saliua, Urina, Mercurio, Rore, & ubi non? non prius deciſa quæſtione, an detur hujusmodi Lapis, vel ſit poſſibilis?

Conſtat ſane ex modernis noſtris obſeruationibus, mutatam prorſus eſſe Diluuio Terram ab illa. Quis ergo, & ubi quis quæret Paradiſum? Quid ergo fiet cum Moſaica deſcriptione? Eſt ne forſan hæc Romantica Terræ incognitæ, nec dum reperibilis? Neutiquam; Deſtructus quidem orbis primæuus, fatali illa inundatione, ſed & ſibi & Terricolis reſtitutus, in eundem prope ſitum, eadem Flumina, eosdem Montes, Valles. Idem in reformatione Globi adhibitus proceſſus, qui in Creatione, idem ſcopus, idem partium ad inuicem æquilibrium, Terræ facies eadem. Ita conciliatur Scriptura cum Philoſophia, Moſes cum Ratione.

Videamus, nam plurima erunt in Paradiſo videnda, unam hypotheſin poſt aliam, imò ὡς ἐν περιτομῇ plerasque in unica hac Tabula, quam nobis ſuggeret Clar. *Sturmius*.

In diuerſa ab aliis abit Burnetius, & pene Phaethonteo raptu aliam fabricatur Terram à poſtdiluuiana, integram Paradiſiacam, in qua obtinet perpetuum & blandiſſimum Ver, eadem & moderatiſſima Aeris temperies, longæuitas ad 8. & 9. Secula, fœcunditas ſtatui

primo



GENESIS Cap. I. v. 10. 11. 13. 14.
Paradisus.

I. Buch Moſis Cap. I. v. 10. 11. 13. 14.
Das Paradies.

I. A. Fridrich sculp.

JCB

primo Protoplaſtorum accommoda, vitæ genus ſimpliciſſimum, Fructuum omnis generis, omni Tempore maturitas, Terra altior noſtra Abyſſo Aquarum inædificata, plana, ſine montibus & Vallibus, ſine grandine, niue, Tonitru, Tempeſtatibus, Axis idem cum Axi Eclipticæ, fluminum Paradiſiacorum ortus ex vaporibus ab Æquatore ſurgentibus, verſus Polos pulſis, indeque placido ductu refluis: Zona media retorrida inhabitabilis, quæ *lamina Gladii micans* ſive *flammeus gladius atque verſatilis.* Gen. III. 24. Mundum ſeparat à Mundo, ſeptentrionalem ab Auſtrali: Gentilium *Campi Elyſii, Inſulæ Fortunatæ, Heſperidum Horti*, qui parum abſunt ab *Hortis* illis *penſilibus Alcinoi* apud *Homerum*, *Terra* illa *cœleſti apud Platonem* in *Phædone.* Criſin vel ἐπίκρισιν Hypotheſeos multis ſuſpectæ, quæ Sacrum codicem ſibi potius, quam ſe Scripturæ accommodet, anguſtia loci non permittit.

Sunt alii omnes nobiſcum, & inter ſe facilius conciliandi, quia vel in noſtra hac vel in reformata ad prioris modulum manent. *Jo. Herbinii de admirandis mundi cataractis* Diſſ. V. *de Cataractis Paradiſiacis*, Hortus Edenis ampla eſt Regio magnam Tabulæ noſtræ partem explens, verſus Ortum & Caſpium mare affinis Aſſyriæ, verſus Boream Armeniæ & Cappadociæ, verſus occaſum & Mare Mediterraneum Palæſtinæ, verſus Meridiem Arabiæ, ad Mare usque Rubrum, & ſinum Perſicum. Tranſit Geometrica hujus Paradiſi linea verſus occaſum per Phœniciam, Philiſtæam, Ægyptum ad usque Nili Oſtium: verſus Auſtrum per Arabiam Petræam & Deſertam; Verſus ortum per Chaldæam, Babyloniam, Aſſyriam: Verſus Septentrionem per Armeniam, Ciliciam, Syriam ad usque Regionem Damaſci.

Detbleuo Cluuero Geol. p. 156. & *Whiſtono* Paradiſus locatur in Auſtralioribus partibus Meſopotamiæ, inter Arabiam & Perſiam, fluxeruntque Tigris & Euphrates juncti per Vallem amœniſſimam, nunc aquis ſinus Perſici obtectam, qui olim fuerit ipſe Hortus Edenis: oſtium trans Ormum quadruplex in Mare Perſicum, quorum duo ſeruarint nomina primitiua Tigridis & Euphratis, duo alia aſſumſerint nomina Piſonis & Gihonis.

Neque *Jo. von der Mark Diſp. de vero Paradiſi ſitu* Paradiſum quærit in Paradiſo, propter mutationes præprimis in Diluuio inductas, ſupereſſe ex Fluuiis quatuor tres ſaltem uel duos. Probabiliſſimum Horti Edenici ſitum eſſe in Chaldæa, vel Babylonia, vel Meſopotamia.

Palmam forte præripit aliis Cl. *Hadr. Relandus Diſſ. Paradiſo* quem locat in Armenia B. & interjicit quatuor fluminibus, *Phaſide, Araxe, Tigride,* & *Euphrate*, quæ ipſa ſint Paradiſiaca illa *Phiſon, Gihon, Chiddekel* & *Phrath* orta olim in eodem & uno fonte, qui nunc non amplius extet, ut nec ipſe Paradiſus, forte ſub terra reconditum nunc pro illis quatuor Hydrophylacium. Pondus addit huic Sententiæ *Tournefort Voyage du Leuant.* T. II. p. 324. qui Paradiſum inuenit in fertiliſſimis *Georgiæ* vallibus, via inter *Erzeron* & *Teflis*, nominatim ubi ſunt *tres* ita dictæ *Eccleſiæ*, quæ 20. circiter Leucis Gallicis diſtant à fontibus Euphratis, Araxis & Phaſidis. Ut proin fuerit Paradiſus in *Iberia* & *Armenia.*

Celeb. *Huetius* pro Paradiſiaco Flumine agnoſcit *Euphratem Tigridi* junctum in Arabia, & quatuor oſtiis ſe exonerantem in Sinum Perſicum. Extendit ſe proin hic Paradiſus à c. ad C. & eſt C E. *Gihon*, C e. *Piſon*. Suſiana eſt *Chus* & *Chauilah* ad Occidentem Fluuii C e.

Cl. *Clericus* Hortum Edenis collocat in *Syria* D. *Piſonis* veſtigia monſtrans in *Chryſorrhoa*, ubi & *Chauilah* occupata â poſteris Semi. *Chus* ipſi eſt ad *Orontem.* *Euphratem* & *Tigridem* ſeruat juxta cum aliis.

Van Till Paradiſum locat in A. altiori *Meſopotamiæ* loco: ex Edene profluxit unicus Fluuius A c. cujus reliquiæ ſuperſint in brachio *Odeine* hodie dicto, in *Tigridem* influo; *Cobbaris* & *Gihon*, *Delas Piſon. Chus* Euphrati adſita, Arabia.

A Clerici Paradiſo haud longè diſtat Cl. *Sturmii*, ſitus in *Arom. Naharim* ſeu Aſſyria citeriore. *Chryſorrhoas* olim largus perluit veterem auriferam Regionem *Chauilah* (Semitarum nempe, nam alia fuerit Chamitarum) *Orontes* eſt *Chiddekel.* De *Euphrate* conjectat, ſcaturiiſſe olim in campis Damaſci: *Gihonis* rudera conſpici ad fluuios *Jaboc*, *Arnon* & *Zared*, qui in Mare ſalſum ſe exonerant.

Meum non eſt, adferre omnia pro ſingulis, omnia contra ſingulas hypotheſes argumenta. Voluminis adeſt materia, à ſcopo præſenti aliena. Seligat, per me licet, quilibet quod volet. Sua quemque trahat voluptas. Nemini inuideo gloriam inuenti Terreſtris Paradiſi, omnibus apprecor beatam poſſeſſionem cœleſtis.

TAB. XXV.

Geneſ. II. verſ. 12.

Et Aurum Terræ illius bonum eſt, eſt quoque illic Bdellium, & Lapis Schoham.

Et aurum Terræ illius optimum eſt. Ibique inuenitur Bdellium & Lapis Onychius.

EST haud dubiè זָהָב טוֹב *Aurum* Paradiſi *bonum* id, quod vocamus purum putum, χρυσίον ἄπυρον q. d. ignem non expertum, ἄπεφθον *Arriano* in *Indicis*, *Obryzum*, ὄβρυζον, *Obridium*, Obruſſa; ſiue id foſſile tale fuerit in maſſulis, ſiue quod mihi videtur potius, fluuiatile, purum nempe arenis copioſe intermixtum, quod χρύσαμμος, *auroſa arena*, *Spartiano*, Germanis *Goldſand* dicitur, ut taceam alia nomina, quæ *Lexico* meo *Foſſilium* reſeruo. Commodum ſane venit Aurum Fluuiatile hocce Cl. Relando pro ſuo aurifero Flumine *Phaſide*. In laudem id cedit *Colchidi*, quam pro *Chauilah* ille habet, quod fuerit olim una ex Aſiæ opulentiſſimis, cujus incolæ *Agathia* teſte *Hiſt.* L. III. p. 72. excelluerint πλȣ́τῳ τε ὑπερβολῇ καὶ πλήθει; Nunc una ex pauperrimis. Et lucem forſan fœneratur Colchico huic vel Scythico Auro Elihu, Job. XXXVII. 22. *Venit à Septentrione Aurum*, ubi nos, *Serenitas auro ſimilis*, *belles Wetter*, præprimis ſi Moſes, quod nonnulli volunt, fuit Autor Libri Jobi.

Crucem magis figit בְּדֹלַח *Bedolach* de quo integra diſputant Regna. Pro Minerali ſtant perplures. LXX. vertunt per Ἄνθρακα, *Carbunculum*. *Relando* præeuntibus Scriptoribus Rabbinicis placet *Chryſtallus* Fig. I. Accedunt ipſi LXX. Num. XI. 7. Cryſtallum in Scythia inueniri teſtis eſt *Solinus* c. 15. *Iſtic & Cryſtallus, quam licet pars major Europæ & particula Aſiæ ſubminiſtret, pretioſiſſimum tamen Scythia edit.* Et *Dionyſ. Perieget* v. 781. in copia reperiri ſcribit ad fluuium Thermodontem, qui Phaſidi eſt vicinus

Κείνȣ δ' ἂν ποτάμοιο περὶ κρυμώδεας ὄχθας
Τέμνοις Κρυςάλλȣ καθαρὸν λιθὸν οἷά τε πάχνην
Χειμερίην.

Illius autem fluuii circa frigidas ripas
Secabis Cryſtalli purum lapidem, veluti glaciem
Hibernam.

Hinc & ipſe Thermodon fluuius κρυςάλλȣ cognomen eſt nactus. Parum diſcrepant, qui ex *Bedolach Beryllum* faciunt. Nam & apud *Abenbitarem* prima *Cryſtalli* ſpecies eſt *Belur*, *Beryllus*. Videntur hi pro בְּדֹלַח *Bedolach* legiſſe בְּרֹלַח *Berolah* facili ד in ר mutatione.

Tranſit Eruditionis illud Copiæ Cornu *Bochartus Hieroz.* P. II. L. V. c. 5. ad Regnum Animale. Huic בדלח eſt *Margarita* in *Conchis Margaritiferis* Fig. II. obuia. Verificatur illi ſuum *Chauilah*, quod in Arabia collocat ad *Calipham* & *Baharen*, ubi Magaritarum eſt piſcatio: collatio Mannæ cum Bedolach Num. XI. 7. nempe ratione coloris albi, & figuræ rotundæ: deriuatio nominis à בָּדַל *badal*, ſeparare, ſegregare, ut Bedolach fuerit Margarita eximia, à reliquis ob præſtantiam ſegregata. *Unio*, quod *nomen impoſitum maximè grandibus Margaritis*, Plin. L. IX. c. 35. ut taceam authoritates, quæ pro Margarita militant.

Placet Vegetabile Regnum iis, qui vertunt βδέλλιον, *Bdellium*. Ita duplex noſtra *Tigurina*, authoritate nixa *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, *Joſephi*, *Hieronymi*, aliorum: ſiſtit hanc Plantam gummiferam, nam & βδέλλιον vulgo Gummi ipſum Fig. III. Deſcribit eam *Dioſcor.* L. I. c. 81. *Plin.* L. XII. c. 9. Sed & moderni Botanici Arborem Bdelliferam dicunt aculeatam, foliis Quercui haud abſimilem, ſed longioribus & anguſtioribus. Unde *Plukenetio Phytogr.* T. 145. fig. 2. *Arbor lacteſcens acutis foliis quernis bdellifera.*

Seligat, per me licet, quisque, quod volet. Dubius ego hærerem inter *Cryſtallum* & *Margaritas*, fauentior tamen illi quam his, uti *Relandi* illa hypotheſis de Paradiſo placet præ altera *Bocharti*, quam tamen *tot aſſeruiſſe ſibi videtur argumentis, ut vix quidquam deeſſe patet ad perfectam probationem.*

Habet & ſua fata Lapis שֹׁהַם *Schoham*, dignus ille, qui ornaret pectus Aharonis, Exod. XXVIII. 20. XXXIX. 6. Placet *Onyx Aquilæ*, Symmacho, Theodotioni, noſtris quoque verſionibus ll. cc. ſed Σμάραγδος *Smaragdus* LXX. np. ll. cc. & heic λίθος πράσινος, quo nomine digni optimi & viridiſſimi Smaragdi, quales ſunt inprimis Scythici; nouum *Relando* ſuppeditantes argumentum pro ſua de Paradiſo hypotheſi: *Nobiliſſimi Scythici ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati: nullis major auſteritas, nec minus vitii: & quantum Smaragdi à cæteris gemmis diſtant, tantum Scythici à cæteris Smaragdis Plin.* L. XXXVII. c. 5. conf. *Solin.* c. 15. Hinc Smaragdus præſtantiſſimus Σκυθὶς *Martiano*. *Succinum* & *Ambram* pro Schoham lapide aſpicit *Sturm. Erkl. H. Schrifft.* p. 45.

TAB.



GENESIS Cap. II. v. 12.
Bedolach, Bdellion, Cryſtall, Margarita.

I. Buch Moſis Cap. II. v. 12.
Bedolach, Bdellion, Cryſtall, Perlen, Schoham.

I. A. Corvinus ſculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. II. v. 16. 17.
Arbor Scientiæ boni et mali.

I. Buch Moſis Cap. II. v. 16. 17.
Baum der Erkäntnus des guten u. böſen.

H. Sperling sculp.

TAB. XXVI.

Geneſ. II. verſ. 16. 17.

Præcepitque DOMINVS DEVS Homini, dicens : De omni Ligno Hortorum comede.	Præcepitque ei, dicens : Ex omni ligno Paradiſi comede.
De Arbore vero Scientiæ Boni & Mali, de ea inquam haudquaquam comedas, nam quacunque die ex ea comedis, morte morieris.	De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis de eo, morieris.

QUid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus ? quid ſi oculi duntaxat legant , non manus ? Ad quod tot ſapidiſſimi Paradiſi fructus, ſi non & famem ſedaſſent ? Bonitas eſt hæc DEI, quæ in abſumtarum partium vicem ſubſtituit alia & ἔυχημα & ἔυπεπτα, eaque mechanicæ corporis ſtructuræ perfectiſſimè congrua. Quapropter, ne periret tam nobilis Creatura *præcipit* DOMINVS DEVS, cui ſoli jure Creationis dominium competit in Creaturas, ut de omni *Ligno Hortorum* de omni Arbore, imò de omnibus Plantis *comederet Homo.*

Una & ſola excipiebatur *Arbor Scientiæ boni & mali*, adjunctâ comminatione ſeuera, *ut quacunque die de ea comederet* Protoplaſta, *morte* vel ut alii interpretantur, certiſſimè *moreretur*, moreretur omnis, moreretur totus Homo. Et en quomodo !

Erat Adamus creatus ad perfectiſſimi Entis, ſui Creatoris, imaginem, puriſſimo Intellectu, qui abſque labore & errore de omnibus judicare, Mundum cognoſcere, Creatorem glorificare poterat, & perfectiſſimo modo : machinâ inſtructus corporea Mechanico-hydraulico-pneumatica, collocatus in Horto omnium rerum affluentiſſimo, non ullarum rerum indigus, quæ vel animam recreare, vel corpus ſatiare poterant ; jure dominii gaudens in triplex Regnum, Animale, vegetabile & Minerale : cinctus eâ Elementorum diſpoſitione, unde nil patiebatur moleſtiæ, cedebant omnia in ejus deſiderium & delicias: annos protrahere poterat vel in omne æuum, vel in millenaria, abſque ullo ſanitatis diſpendio, tranſponendus ex hac vita in cœleſtem, admittendus ad intimam cum DEO unionem, ſed annexum unicum ſine quo non, abſtinentia fructuum unius arboris, ſub comminatione ſeuera, fore præuaricatorem DEO, Mundo, & ſibi ipſi inimicum : Obſcuratum iri lucidiſſimum Intellectum ; diſpoſitam ad malum Voluntatem, morti futurum obnoxium Corpus, perversè motum iri fluida : tenſum nunc fortius ad acutos dolores fibras ; nunc iri relaxatum ad usque ἀκινισίαν : confligtandum ſibi fore cum innumeris ægritudinibus, contrariantibus paſſionibus : vinculum ſolutum iri Animam inter & Corpus, & ſeparatum intimæ Unionis amicos : ſtatim â transgreſſione irruituram, ſi non mortem repentinam, mortalitatem ſaltem, calamitates ſine numero & menſura ; imo præſtolandam mortem æternam, exilium à Facie Diuina ; rebellaturas contra indignum feudatarium omnes Creaturas, Cœlum, Elementa, Tempora, Anni, Cibos : Verbo, Feliciſſimam Creaturam fore miſerrimam, Dominum mancipium.

Occurrunt hîc, & ab Eruditis mouentur variæ Quæſtiones, quas ſoluere nec lubet, nec licet. Unica mei videtur fori, ex quanam *Arborum* Claſſe fuerit tentatrix hæc ? Sed & heic, tacente Scriptura, nil promitto, niſi leues aliorum conjecturas. Sunt qui pro *Ficu* ſtant, propterea quoque à CHRISTO maledicta, cujus foliis nuditatem texerit, imo aſperis his corpus fricarit, primus ex pœnitentiariorum ordine ; primus futurus ex Flagellantium familia, ſi Rubum ſumſiſſet, vel Oxyacantham. Placet aliis *Malus*, ejusue fructus *Pomum* gratiſſimo rubore flauedine mixto ſeſe commendans, imo in horizontali ſui ſectione exhibens decem lineolas ad pentagonum centrale tendentes, decem, ſi Diis placet, Diuinorum Præceptorum indices, contra quæ inſurrexit peccatum. Hæc â ſignatura petita, ſi non ſuffecerint, adde *Pomum* ita dictum *Adami*, in quo morſus lethalis venenatum remanet veſtigium, imò ſi placet adde *Pomum Adami*, Cartilaginem Thyroideam in collo anteriori prominulam.

Sunt tandem, qui vota dant *Viti*, cui plura, quam omni alii arbori in ſacris adſcribuntur & bona & mala, cujusue fructu, vino, interdixerit DEVS Tabernaculum ingreſſuris Sacerdotibus ſub Mortis pœna, Leu. X. 9.

TAB. XXVII.

Geneſ. II. verſ. 21. 22.

Immiſit igitur DOMINVS DEVS ſoporem in Adam, & obdormiuit, tulitque unam ex coſtis ejus, carnem illius loco claudens.

Et ædificauit DOMINVS DEVS coſtam, quam tulerat de Homine in mulierem, & adduxit eam ad Hominem.

Immiſit ergo DOMINVS DEVS ſoporem in Adam, cumque adormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & repleuit carnem pro ea.

Et ædificauit DOMINVS DEVS coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem, & adduxit eam ad Adam.

CAue facias ex *ſopore Adami* Carum vel Lethargum. Integer fuit & ante & poſt quam obdormierat Protoplaſta, ab omni morborum inſultu remotus. Ne exiſtimes dolorem fuiſſe hoc ſopore mitigatum, quem ſenſiſſet vigilans. Poterat idem DEVS, qui Adamum creavit, eundem & præſeruare à dolore, operationis inauditæ pediſſequo. Eſt תַּרְדֵּמָה *Thardemah ſopor* ſui generis, & ſine exemplo, ex quo reſurgens Adam fuit idem, qui ante, haud mutatus ab illo & mente & corpore. Et ἔκϛασις ſi fuit, quam LXX. habent, diſtingue eam ab Ecſtaſi Hominis lapſi, ut & Rabbini diſtinguunt inter *ſoporem Somni*, qualis fuerit Adami, *ſoporem Prophetiæ*, qui irruit ſuper Abram, Gen. XV. 12. & ſoporem *marmita* מַרְמִיתָה qui obruit Prætorianos Saulis, 1. Sam. XXVI. 12.

Mirabilis, imo miraculoſa eſt *Euæ* productio è *Coſta Adami*, mirabilior tanto, ſi, quod Homini ordinarium, utrinque habuit 12. Coſtas tam ante, quam poſt conjugis creationem, ſecundam nempe, ut Theologi loqui amant. Incongruum fere quicquid dixeris, fuiſſe in uno latere 13. in altero 12. vel in uno 12. in altero 11. Notat forſan heîc צֶלַע vel צֵלָע non *Coſtam* ſed in genere *Latus*, quemadmodum alibi Architectonico ſignificatu *ſubſtructionem*, ſtructuram quandam lateralem, ad latus templi extructam, Ezech. XLI. 6. ut ex latere corporis Adamici, Hypochondrii vel lumbis muſculoſis formata prodierit Eua, quæ interpretatio tanto magis mihi arrideret, quia DEVS *carnem illius loco clauſit.* Monſtroſa eſt eorum Fabula, qui volunt, mulierem junctim cum Adamo creatam, imo ſcapulis dorſoque agglutinatam, ut â fronte fuerit Adamus, à tergo Eua, Monſtrum Jani ἀνδρόγυνον.

TAB. XXVIII.

Geneſ. III. verſ. 1.

Serpens vero callidior erat omni beſtia, agri, quam fecerat DOMINVS DEVS, qui dixit ad mulierem. Ita ne dixit DEVS, non comedetis de omni Ligno Hortorum?

Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus Terræ, quæ fecerat DOMINVS DEVS, qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis DEVS, ut non comederetis ex omni ligno Paradiſi.

OCcurrunt in triſtiſſima Lapſus Generis Humani Hiſtoria varia, eaque perdifficilia, in quorum recenſione ero tantò contractior, quia benè multa cadunt extra fori phyſici limites.

Diſplicet allegorica *Philonis* interpretatio, quâ ὄφις eſt ἡδυνῆς σύμβολον, voluptates ipſæ inescantes. Sed magis impia *Cornel. Agrippæ* & *Hadr. Beuerlandi* opinio, quam vel proferre pudet, & defenſor ipſe carcere luit, & mentis alienatione. Neque placent, qui Hiſtoriam hanc



GENESIS Cap. II. v. 21. 22.
Evæ ex Costa Adami productio.

I. Bůch Moſis Cap. II. v. 21. 22.
Evä Erſchaffūng aūs der Ribbe Adams.

M. Tyroff sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. III. v. 1.
Serpens Seductor.

I. Buch Moſis Cap. III. v. 1.
Die Schlang ein Verführer.

G. D. Heuman sculp.

RPJCB

hanc, imo totam de Creatione, Hexaemero, Paradiſo intelligi volunt parabolice λανδογματικῶς. Sternit allegoriſandi libertas planam ad audendum quiduis viam, ad quæuis otioſi cerebri figmenta, Libertinismum. Deſtruit cerebrinas ejusmodi ideas expreſſa Serpentis, imò loquentis, mentio, & grauis ſeductori illata pœna.

Neque ſubſcribo *Joſepho*, *Judæis* & *Socinianis* multis, ſerpentem fuiſſe merè naturalem, ſermone, affectibus humanis præditum, callidum, pedibus erectum, qui & quæſtionem formarit, dubitationem cordibus inſtillarit, & contrariam concluſionem elicuerit: Id quod certe Bruto ἀλόγῳ καὶ ἀφώνῳ non competit. Subtilius paulò *Iſaac Abarbanel*, qui ſerpentem naturalem vult ſeduxiſſe Euam non tam ſermone, quam Exemplo, crebriore in Arborem vetitam aſcenſu & deſcenſu, fructuum de ea eſu innoxio. Conſiſteret adeo tota deceptio in propria, peccaminoſa Euæ cogitatione, contra textum, qui alloquio primam matrem perſuaſam dicit, & diſtinctam tum Quæſtionis tum Reſponſionis facit mentionem.

Extra Chriſtianorum caſtra ſunt relegandi *Ophitæ* illi, vel *Ophiani* apud Patres, quorum alii Serpentem volunt fuiſſe CHRISTVM ipſum, alii Ens CHRISTO majus, ſcientiarum auctorem. Quæ abſurda dogmata emanarunt vel à Nicolaitis, vel ab Ægyptiis, apud quos Ibes, Crocodili, Serpentes cuiti. Aſſumſit Seruator μορφὴν δούλου non ὄφειος, & Serpens ille æneus typus quidem fuit CHRISTI, non ipſe CHRISTVS, nedum præſtantior Archetypo.

Sed nec pollicem premo *Cajetano* & *Bekkero*, qui nullum prorſus adfuiſſe Serpentem naturalem, imo nec ſpecietenus talem, ſed Diabolum, Serpentem metaphoricum. Deſerunt hi literam absque neceſſitate, quæ Serpentem adfuiſſe memorat.

Vult Celeb. *Bochartus* Serpenti Seductori infuſum fuiſſe aliquid à Diabolo ſupernaturale, ut Balaami Aſinæ: Sed ſic Diabolo tribuitur potentia Spiritui creato haud competens. Solius DEI opus eſt, ſi Animal, ut quoque Aſina illa, organis ad ſermonem efformandum, haud inſtructum, loquatur. Hinc & JEHOVA Aſinæ os aperuiſſe dicitur Num. XXII. 28. non Angelus.

Conjungunt Commentatores plerique Chriſtiani *Satanam* & *Serpentem naturalem*, huncque volunt ἐνεργούμενον, obſeſſum. Sed & hi circa applicationem mirè diſſentiunt. Id ſane â me obtinere non poſſum, ut credam, Satanam Serpentis organa, formandæ voci inepta, flexiſſe, ut diſtincta prodierint verba. Quapropter cum aliorum venia, irem potius in eam ſententiam, quæ (haud excluſa Serpentis naturalis, ejusque pulcherrimi, præſentia) laruatum accuſat Ἀνθρωποκτόνον Diabolum, qui & ſub Samuelis latitauit larua, I. Sam. XXVIII. Utique callidus præ Animalibus Agri, callidus ita, ut ſermocinatione ſua perſuaſerit Euæ primùm, marito dehinc ἀποθέωσιν. Formarit ille diſputator aſtutiſſimus prius ſtatum controuerſiæ, rem in dubium vocando elicuit concluſionem contrariam, & per inverſionem vim argumenti eluſit, quæ in ſerpentem naturalem prorſus non quadrant, ut nec vocatio in judicium, exprobratio delicti, ſententiæ executio, depreſſio infra omnes beſtias agri, ad ipſa Tartara depreſſio intellectus & voluntatis relegatio ad pulverem terrena. Sane non ſerpentis naturalis, ſed Diaboli Caput à CHRISTO conquaſſatum. Non inter ſerpentis naturalis ſed Diaboli ſemen, & ſemen Mulieris poſita fuit inimicitia. Fuit proinde hic idem ὁ Δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαίος, ὁ καλούμενος Διάβολος, καὶ ὁ Σατανᾶς ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην Apocal. XII. 9. XX. 2. qui Ἔυαν ἐξηπατησεν ἐν τῇ παρουργίᾳ αὐτοῦ 2. Cor. XI. 3. Quæ omnia penitius examinanda Theologis lubens linquo.

In ornamentis eſt

N. 1. Serpens Indicus coronatus, Cobras de Capello dictus, diademate ſeu conſpicillo inſignitus. Raj. Quadrup. p. 330. Vipera Indica vittata geſticularia Catal. Mus. Ind.

N. 2. Vipera.

N. 3. Ceraſtes, ſeu Serpens coronatus Greuini Aldrov.

N. 4. Ceraſtes Libycus Aldrov.

N. 5. Acontias.

N. 6. Cenchris veterum Bellon.

N. 7. Ibiboboca.

TAB. XXIX.

Geneſ. III. verſ. 7.

Et aperti ſunt oculi amborum, cognitoque quod nudi eſſent, conſuerunt folia Ficus, feceruntque ſibi cinctoria,

Et aperti ſunt oculi amborum, cumque cognouiſſent, ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.

FUit quæ nunc probro eſt, Nuditas in Innocentiæ ſtatu innocua. Quod ante Lapſum Innocentiæ fuit ſignum, ut eſt adhuc Infantum, nunc indicium eſt ipſius Lapſus & Corruptionis. Sed cur? cur αἰδοῖα, pudenda ſunt pudenda? Partes non minus ac omnes aliæ neceſſariæ? cur non idem fatum ſubiere Lingua, Manus, Pedes, Facies, Corporis membra alia? non minus ac illa in turpiſſimos abuſus verti ſolita. Dicunt namque pudorem tanquam maculam adhærere rebus per ſe innocuis, ſed turpi abuſu in anomalias verſis. Sed hoc mihi, pace ipſorum dixerim, non facit ſatis. Et ex natura rerum nihil video, quod quidem poſſit facere ſatis. Id certum, cupiditates pro Generis Humani propagatione fuiſſe ante lapſum ad Naturæ neceſſitatem, & Rationis normam, ordinatas, vitii expertes, à culpa pœnaque immunes. Veſtigia hujus Juris Naturæ primæui cernere etiam nunc licet in Brutis.

Eſt *Ficus* prima Plantarum in Sacris memorata, ex cujus fructibus remedium forte quæſiuit Adamus fami, ſicuti foliis texit nuditatem; Arbor, ſi Poëtarum figmentis fides, diuinæ originis. *Syceam* quendam è *Titanibus* inſectabatur Jupiter, Terra autem Mater prolis miſerta eam occuluit, & in *Syceam* arborem, id eſt, Ficum commutauit. Inde *Syceæ* Urbis in Sicilia nomen. Quid ſi ipſe hic *Sycea* fuerit *Adamus*, à DEI facie fugiens, ſub ficu nuditatem ſuam occulens? Non habent, cur glorientur *Athenienſes de ficu Sacra Hegetoria* à Cerere ſibi donata. Fuit Ficus in Paradiſo, primum Adami ſolamen, nuditatis tegmen.

Siſtunt ornamenta Fructus Ficus tum integros, tum diſſectos, cum incluſis floribus & ſeminibus.

TAB. XXX.

Geneſ. III. verſ. 14.

Et dixit DOMINVS DEVS ad Serpentem. Quoniam hoc feciſti, execratus es præ omni jumento, & præ omni beſtia agri, ſuper ventrem tuum gradieris, & puluerem comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

Et ait DOMINVS DEVS ad Serpentem: quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

REptatio ſerpenti data in pœnam. Ita Sacer Codex. Aſt haud levia occurrunt heîc dubia. Certum, in bruta mortalitatem non cadere, ea legibus non eſſe ſubjecta, in judicium non poſſe vocari, ſententias non intelligere. Hinc qui pro ſerpente naturali ſtant, punitum volunt ut Satanicæ ſeductionis organum, ſicuti in ſceleris deteſtationem alia Bruta in Lege lata Exod. XXI. 28. 29. de Boue cornupeta Leu. XX. 15. de Beſtiis in turpiſſimos libidinis uſus tractis Deut. XIII. 15. ut calamus ſuſpenditur cum falſario, & adulterinis ſigillis, magici Libri exuruntur cum veneficis. Certum, non omnes Serpentis ſpecies, mirè variantes, ab una matre eſſe ortas, ſicuti nos à Protoplaſtis, quotquot ſumus homines naſcimur, cur ergo non illa ſola progenies, quæ Euam ſeduxit, fuit punita? Cur omnes aliæ, alienæ criminis reæ? imo cur non ſolus ille ſerpens, qui ſeduxit, individuus? cur leuior ſeductori totius generis humani indicta pœna, quam beſtiæ Sodomiæ participi, quam Boui cornupetæ, qui uni duntaxat homini vitam eripit?

Videamus pœnam per partes? Prima, *ſuper ventrem tuum gradieris* anſam dat perbellis



GENESIS Cap. III. v. 7.
Ficus Folium Nuditatis Tegmen.

I. Buch Moſis Cap. III. v. 7.
Das Feigenblatt ein Decke vor die Blöße.

H. Sperling sculp.

RPJCB

TAB. XXX.



Genesis Cap. III. v. 14.
Serpentis Poena.

I. Buch Moſis Cap. III. v. 14.
Straff der Schlange.

I. A. Corvinus sculp.

recutitorum Doctorum fabulis. Sunt qui Serpentem ante lapſum erectum inceſſiſſe volunt inſtar Cameli, eique inequitaſſe Samaelem, qui Euam ſeduxit. Alii, binis ad minimum, forſan quatuor pedibus inceſſiſſe primitus, ſed bipedum vel quadrupedum nequiſſimum pedibus poſtea mutilatum. Cur non & loquelam Serpenti ante lapſum datam, ademtam dixeris? Imò cur, ſi ſerpens fuit naturalis, organum Satanæ reſiſtere ineptum, non potius homo, qui ſui erat juris, pedibus, manibus, auribus, loquelâ fuit priuatus, utpote qui pedibus ad arborem vetitam acceſſit, manibus fructus decerpſit, auribus auſcultauit, & colloquium cum ſeductore miſcuit? cur ab hac pœna immunes ſunt, ſi qui dantur, ut pinguntur dracones pedati? Quid opus, nouam finito Creationis opere, ſtatuere Creaturæ ſpeciem, partibus integralibus mutatam prorſus, euulſis pedibus reptilem? Imò ſtructuram attende ſerpentum, videbis corpori longo & flexuoſo non quadrare pedes, imo non ſufficere binos, vel quatuor, nec illis τριακονταπηχύεσσι apud Philoſtratum viginti. Serpenti nil deeſt quoad vitæ commoditatem, licet pedibus careat, ſicuti Quadrupedi nihil, licet alis non ſit inſtructum: repit ille quaquauerſum celeri ſatis motu reptando victum quærit, rependo muros, arbores, conſcendit, rependo ad latibula ſua redit. Si quæras, qualisnam fuerit Serpens ille ſeductor? videbis placere *Viperam Bonfrerio* & *Delrio*, *Scytalen Pererio*, *Baſiliſcum Eugubino*, *Draconem Majo*.

Singularis eſt *Didymi* Sententia *Caten. Lipom.* *Serpentem* ἄποδα creatum, ſed pedes ſuperaddidiſſe Satanam, poſt, ſententia Judicis, rurſum ablatos. Singularis, inquam. Ad quid enim pedes, quibus carere poterat, & tamen ſeducere? cur auferendi DEI juſſu, qui euanuiſſent ſponte? & ubi pœna, Serpente redeunte in priſtinum & commodum ſtatum? Unde Satanæ poteſtas, pedes formare, & pectori aptare?

Notat גחון *Ventrem*, ſed & *Pectus*, unde LXX. ἐπὶ τῷ στήθει καὶ τῇ κοιλίᾳ. Utrumque benè, nam ſerpentum pectus eſt etiam Venter & venter Pectus. Quia diaphragmate carent; concauitas a capite ad caudam protenſa Venter dici poteſt & Pectus.

Alterum Pœnæ Serpenti inflictæ Lemma eſt: *Pulveris comeſtio.* Sed prope euaneſcit & hæc pœna, ſi ad Naturam attendamus. Sunt Serpentes Animalia πάμφαγα, omniuora, veſcuntur fructibus, pane, furfure, carne, licet cum his ſæpe & puluerem lingant, id quod aliis quoque competit Animantibus. Imò Terra ſiue puluis in ſe & abſtracte licet conſideratus alimenti ſit expers, tamen cum contentis particulis ſpectatus eſt omnis alimenti mater, fœcunda Plantarum altrix. Terram proin ſi lingat ſerpens, ingerit ſimul mucum, qui Plantis cedit in alimentum, abligurit ſemina in Terra latentia, radiculas, fibrillas, animalcula. Quinimo non ſolus Serpens eſt κονιοφάγος, ſed & alia Animalia, Lumbrici, Scorpiones, Talpæ &c. ubinam Ergo pœna?

Ex jam & ſupra dictis, ex calliditate, ſermone, quem Serpens miſcuit cum Eua, vocatione in judicium, maledictionis grauitate conſtat, ſerpenti naturali vix applicari poſſe, ſed quidem myſtico, ὄφει τῷ ἀρχαίῳ, *qui execratus præ omni jumento, & præ omni beſtia agri ſuper ventrem graditurus* depreſſus quoad ſtatum, prius cœleſtem, nunc Tartaro dignum, quoad Intellectum & Voluntatem, olim diuina, nunc Terrena cogitans, & abjecta; veritate, ſapientia, Sanctitate amiſſis, cœno vitioſitatis immerſus, digniſſimus, qui deprimeretur etiam quoad actiones, ademta potentia Apoc. XII. 9. Parallelus eſt, qui hanc Sententiam explicat locus Pſal. XLIV. 26. *Dejecta eſt ad pulverem anima noſtra, terræ adhæret venter noſter.* conf. Thren. III. 29. ubi & piis pulueris linctus adſcribitur. Sed & impiis metaphora deſumtâ ab antiquo hoſtes deuictos conculcandi more, in Numis Imperatorum Romanorum paſſim obvio, cujus exempla proſtant in Sacris Joſ. X. 24. Pſal. LXXII. 9. Quadrat huc imprimis Jeſ. XLIX. 23. *Erunt Reges nutritii Tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ, vultu ad Terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.*

Exhibet hæc Tabula

N. 1. Satanam ſerpenti, quod Judæi fingunt, inequitantem.

N. 2. Draconem δίποδα.

N. 3. Anguem Æſculapii nigrum Aldrov.

N. 4. Serpentem marinum ex mari Norwegico.

N. 5. Cherſydrum.

N. 6. Anguem Æſculapii vulgarem.

N. 7. Sepem Aetii ex Mathiolo.

N. 8. Ammodyten.

Alios prætereo.

TAB. XXXI.

Geneſ. III. verſ. 18.

Spinam atque Tribulum progerminabit tibi, & manducabis Herbam agri.

Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.

קוֹץ וְדַרְדַּר. LXX. ἀκάνθας καὶ τριβόλους. Ita & Paulus Hebr. VI. 8. Occurrunt eædem voces, quas nos per *ſpinam* atque *tribulum* vertimus junctim Hos. X. 8.

קוֹץ pro *Spina* legitur & alibi Ezech. II. 6. XXVIII. 24. Exod. XXII. 6. Jud. VIII. 7. ſed quæritur, an hac voce indigitentur omnis generis *plantæ ſpinoſæ* dictæ, id eſt, ſpinis ſeu aculeis pungentibus armatæ, Arbores, Frutices, Herbæ? vel certa quædam ab aliis diſtincta genera & ſpecies? vel ſpinæ ſeu aculei ipſi, ex trunco, caulibus, ramis, floribus, fructibus prodeuntes? ſeligerem, ſi daretur optio, ut heic datur, pro *ſpina*, illas inprimis *Plantas ſpinoſas*, quæ agricolis ſunt exoſæ, agris infeſtæ, & vix alii veniunt uſui: quam combuſtionis.

Tribuli τρίβολοι, quod דַּרְדַּר Hebræorum reſpondet, nomen fuit olim certis quibusdam Plantis muricatis proprium. Et apud Dioſc. L. IV. c. 15. duplex eſt, unus *terreſtris* χερσαῖος *foliis ad effigiem Portulacæ tenuioribus, viticulis in Terra ſtratis, ſpinis ſecundum folia rigidis, præduris.* Perhibetur hic *Tribulus Terreſtris Ciceris folio aculeato* C B. *Tribulus Terreſtris* - - Hanc Plantam cum ſuo fructu ſeu capſula ſeminis aculeata exhibet Fig. I. *Tribulus Dioscoridis alter aquaticus*, ἔνυδρος, *in fluminibus natus, comam exerit, aculeos condens: foliis latis, & pediculo longo, caule parte ſumma quam ima craſſiori, adſunt ei & capillamenta quædam ſpicacea: ſemen durum ab altero non abhorrens.* Eſt autem hic *Tribulus aquaticus ſeu Tribuloides vulgare aliquid aquis innaſcens* Tournef. Fig. 2. Τρίβολοι nomen præ priori merens ob triplicem cuſpidem. Hunc intendiſſe Scripturam vix vero eſt ſimile, quandoquidem is in uſum cedit Medicis, in victum hominibus & brutis, utpote ex quo Thraces ad Strymona amnem habitantes, equos ſaginant, & panem conficiunt. Sed *Tribuli* nomine veniunt apud Botanicos aliæ Plantæ. *Tribulus Sylveſtris* Lonic. eſt *Caucalis aruenſis echinata magno flore* C B. Fig. A. *Tribulus marinus quorundam* Lugd. eſt *Crithmum maritimum ſpinoſum.* C B. Fig. B. *Tribulus terreſtris minor repens* Lugd. eſt *Trifolium echinatum aruenſe* C. B. qui *Tribuli* omnes huc non quadrant.

Sed cur nos *Tribulum* דרדר vertimus *Diſtel*, qua voce *Carduarum* genus indigitamus? Nullus, quod conſtat, Carduorum Tribuli nomen fert. Attamen in fauorem noſtræ Verſionis Germanicæ produci poteſt *Cnici*, qui Carduiformis planta eſt, Synonymum Arabicum *Alzardach*, *Dardagi*, quod cum Ebræo דַּרְדַּר apprimè conuenit, & non minori jure ac Plantæ ſupra recenſitæ huc trahi *Cnicus Sylveſtris ſpinoſior polycephalos* C B. perſæpe τρικέφαλος τρίβολοι nomen tunc merens Fig. 3. Omnia hæc incerta. Seruarem ego vocem *Dardar*, ut ſeruata fuit illa *Schoham*, & aliæ, vel ita קוֹץ וְדַרְדַּר reddidiſſem *Dörner und* (andere) *ſtechende Gewächſe*, vel ad exprimendam magis Terræ ſterilitatem, *Dörner und Unkraut.*

Pergo ad *Spinas* ſeu aculeos ex Plantis ſpinoſis prodeuntes, quarum aliquot genera ſiſto, ſub oculo armato depicta ex *Malpigh. Anat. Plant.* p. 136. Fig. 4. nempe ſiſtit ſpinas in *Borraginis* caule & ſuperiore foliorum parte diaphano humore turgidas. a. autem ſpinas priori haſtæ circumlocatas, quæ curuatæ paulum attolluntur, Fig. 5. ſpinas in *Cucurbitæ* caule, floribus & foliis, ſuis internodiis diſtinctas, quibus interſeruntur aliæ minimæ b. ſæpe diaphano coronatæ capitulo Fig. 6. Spinas in *Urticis mortuis*, Lamia dictis, foliis nempe, caule & floribus nodoſas, & veluti articulatas Fig. 7. Spinam *Urticæ urentis*, cauam pariter & ſucco refertam, qui inducta cicatrice uriginem & tumorem, veluti infuſa Aqua Regia, excitat, Fig. 8. Spinas in *Veneris Labro* & *Bardana* apice recuruo, quo veſtibus hærent, Fig. 9. Spinas in *Hieracio* flore & facie Taraxaci circa caulem & folia copioſas geminis ſinubus recuruis munitas Fig. 10. Spinas ſeu aculeos *Ononidis* Fig. 11. *Roſarum* Fig. 12. *Oxyacanthæ.* Harum omnium ſpinarum uſus eſt idem qui Pilorum & Spinarum in Conchyliis, ſiue, Plantas ipſas tueri, ſiue diuerticulo eſſe, ut turgens alimenti incongrua portio erumpat, ac digeratur, id quod probatu haud difficile ex modernis Botanicæ fundamentis. Patet hinc non eſſe ſpinoſas Plantas, ſpinis rigentes ſæpe & horrentes, Excrementa Terræ inutilia, ſed æque nobiles, utiles atque ſunt aliæ. Exemplo ſint Roſæ, Berberes, Ononis, Geniſta, aliæ. Sunt Spinæ partes totius integrales, ad compoſitionem totius abſolutè neceſſariæ, ſi hoc, Plantis & Mundo concreatæ, nec demum poſt lapſum productæ, quod multi



GENESIS Cap.III.v.18.
Spinæ et Tribuli.

I.Buch Moſis Cap.III.v.18.
Dörne und Diſtlen.

I.A. Corvinus sculp

JCB

RPJCB



GENESIS Cap. III. v. 21.
Vestis Corporis Clypeus.

I. Buch Moſis Cap. III. v. 21.
Die Kleider ein Schirm des Leibes.

M. Tyroff sculp.

multi putant. Nil interim decedit ſententiæ à DEO latæ, *Spinam atque Tribulum progerminet Terra*, ſpinoſas plantas Homini moleſtas, majori forte quam ante numero, quæ impedimento ſunt aliis mage neceſſariis, & ſæpe magno labore extirpandæ, quemadmodum videmus Zizania, quæ forte קוץ ודרדר *Spinæ ac Tribuli* nomine venire poſſunt, ſæpe felicius ſuccreſcere Frumento, & agricolis multa faceſſere incommoda.

Sed non in Diluuio demum, execratione Terræ completa, aſſurrexerunt ſpinoſæ Plantæ. Aſſeruo inter meas Diluvianæ Stragis reliquias folium *Meſpili Apii folio ſilueſtris ſpinoſæ ſiue Oxyacanthæ* C. B. cujus Iconem heic Fig. 13. adjungo ex Herbarii mei Diluuiani Tab. III.

Manducabis herbam agri alterum Verſiculi Lemma, ita, ne contradicere videatur uſui Plantarum in ipſo Innocentiæ ſtatu Gen. I. 29. explicari debet, ut cedat Homini in commodum. Vixit hactenus Adamus in Paradiſo, Horto fructibus delicatiſſimis a DEO ipſo creatis, affluentiſſimo: nunc, facie rerum mutata, relegandus eſt peccator in exilium ad *herbas agri*, in cibum adſignantur herbæ extra Paradiſum naſcentes, magno labore, in ſudore vultus colendæ, plantandæ, colligendæ; Ita quoque *Calvinus* in h. l.

TAB. XXXII.

Geneſ. III. verſ. 21.

Fecit quoque DOMINVS DEVS ipſi, Adam & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

Idem.

Est *Veſtis* pudori remedium, nuditati tegumentum, clypeus contra injurias Aeri â lapſu inductas. Pudori ſuffecerant ficus folia, ſed plus poſcebat nuditas, plus Elementorum injuriæ. Sed & heic naturæ facit ſatis *Pellis* Animalis cujusvis, præſertim lanigera, & piloſa. Primas inde & à DEO, factas Veſtes docet textus. Indutos videas priſcos Græcorum Heroas, Apri, Tigridis, Leonis exuuiis, Germanos veteres Rhenonibus, etiamnum Tartaros, Hungaros, Polonos, Lappones, Finnos, Ruſſos, pellibus. Et ſane pelliceis veſtibus nihil commodius. Seruant arctati pellium pori exhalantem corpore calorem; Abigit hæc armatura frigus pariter ac æſtum: Durationem ſi intendas, eliges pelles, quæ ad feros ſæpe nepotes transmitti poſſunt.

Veſtigia ſimpliciſſimæ hujus Veſtis legimus in Natura. Eſt ipſa *cutis* corporis noſtri veſtis, pellis Animalium, ut teſta Cochleis & conchis, cruſtaceum integumentum Cancris, Echinis, Stellis, Folia Plantis, earum Fructibus ac floribus, Arboribus cortices. Neceſſitas non poſcit ornatum, non oſtentationem. Ita ſi rem conſideremus, cuiuis Regioni naturæ ſuæ ſufficient Veſtes, imo cuiuis Familiæ ſui ſuppetent Sartores, pelliones ſui. *Veſtitus inſignis ac mollis ſuperbiæ Vexillum eſt, nidusque luxuriæ Auguſti* dictum apud *Sueton.* Vit. c. 33.

Ex quo corporis imbecillitas tranſiit in tenerrimam ſenſilitatem, & ingenium deflexit ad Experimenta varia, tranſiit quoque uſus in abuſum, qui pulcherrimo *Modi* nomine venit, verſa ſimplicitas in incommodum, tranquillitas in oſtentationem & Luxum. Tributa exacta injuſta à variis Naturæ corporibus, viſcera à Plantis, Lana à pecude, Sericum à Bombycibus, imò & Araneis. De luxu certant veluti populi integri, eo usque, ut una natio fiat veluti alterius ſimia, una alteri reddatur ſubjecta. Certant ſtatus, Perſonæ, Sexus. Ita à priſtina ſimplicitate deflectebant, deflectuntque magis ac magis Adamigenæ. Proh pudor!

Adamum ſacrificaſſe hariolari licet. Nam unde pelliceæ tunicæ non mactatis pecudibus? Imo & carnem comediſſe antediluvianos. Nam perpetuus obtinuit mos, ut qui ſacrificant, de altari viuerent.

TAB. XXXIII.

Geneſ. IV. verſ. 4. 5.

Sed & Habel adduxit de primogenitis ouium ſuarum, & de adipe illarum; & reſpexit DOMINVS ad Habel, & ad munus ejus.

Ad Cain vero & munus ejus non reſpexit: Iratus itaque Cain vehementer, & concidit vultus ejus.

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit DOMINVS ad Abel, & ad munera ejus.

Ad Cain autem & ad munera ejus non reſpexit: iratusque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus.

Aperitur Tragœdia: Vidimus ſupra nobiliſſimam Creaturarum victam â *ſuperbia* & Voluptate, nunc in proſcenio ſe ſiſtunt duo alii affectus Animi grauiſſimi, intimæ admiſſionis amici, ſed & hoſtes acerrimi, *Ira* & *Livor.*

Obſeruat Adamigenarum primus, non placere DEO, quod ex fructibus agri offerebat ſacrificium, gratius eſſe Abelis, & excandeſcit *Irâ.*

Laxantur habenæ, panduntur vela, exponitur nauigiolum ſpumoſo mari, tollitur æquilibrium inter fluidum nerueum & ſanguinem; Torrentis adinſtar devoluuntur Spiritus, Animales dicti ad Cor ex Cerebello, contrahitur ſolito fortius princeps hæc Corporis Machina, expellit hydracontiſterium hocce ſanguinem extraordinario prorſus impetu in extremos corporis tubulos: hinc rubore ſuffunditur vultus, oculi micant, os ſpumat, labra tremunt, omnia corporis membra in motus anomalos rapta ſeſe ad pugnam parant. Latiniori ſtylo ſi inſanum hunc Affectum deſcriptum velis, adi *Senecam* de *Ira.*

Sed amant alterna non Camœnæ duntaxat, verum & Furiæ. Eſt Abel pietate erga DEVM conſpicuus, tranquillo animo, floridi vultus. Sed æſtuans ira Cain mox pallet invidiâ, quæ furor non minori jure dici poteſt, quam Ebrietas animæ. Inundauit miſerum corpus æſtuans ſanguis, prædominante motu Cordis: nunc ſtat victoria penes neruoſum Syſtema, contrahitur cutis, tardius procedit per extrema latex ſanguineus, opprimitur Cor, & maſſam fluidi vitalis ægre, ac cum ſuſpiriis pellit; torquet Hominem diu noctuque Liuor, interrumpitur ſomnus, abſcedit appetitus, contabeſcit corpus, pallet vultus

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.

Exprimit Scriptor Sacer hunc diræ paſſionis affectum his verbis? וַיִּפְּלוּ פָּנָיו & *concidit*, vel conciderunt *vultus ejus.* Accidit nempe inuidis, ur ſeipſos conſumant: ſicut Ferrum conſumit Rubigo, ὥσπερ ὑπὸ τοῦ ἰοῦ ὁ σίδηρος, οὕτω οἱ φθονεροὶ τοῦ ἰδίου ἤθους κατεσθίονται *Antiſthenes.* Idem vult Hiſpanorum Veriverbium. *Al hierro el orin, y la embidia al ruin.* Et quî quæſo reſiſteret tenerrima corporis ſtructura tot armatis? quî debilitatæ jam ab ira fibræ torrenti ſpirituum? extenſi antea nimis tubuli nunc contrahuntur nimis, impeditur in extremis ſecretio, partium nutritiarum adhæſio, ad acrimoniam diſponitur ſanguis, & obſtructiones, unde tandem Tabes. Ita fit fratricida αὐτόχειρ.

In ornamentis ſeſe offerunt

N. 1. Triſtitia.
N. 2. Deuotio, Pietas.
N. 3. Gaudium.
N. 4. Deſperatio.
N. 5. Odium, Ira.
N. 6. Inuidia.

TAB.



GENESIS Cap. IV. v. 4. 5.
Cain Irâ fervens, Invidia pallens.

I. Buch Moſis Cap. IV. v. 4. 5.
Der zornig- und neidige Cain.

H. Sperling sculp.

RPJCB

RPJCB



Genesis Cap. VI. v. 14.
Arca ex Gopher.

I. Buch Moſis Cap. VI. v. 14.
Arch Noä gebauet aus dem Holtz Gopher.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. VI. v. 14.
Arca ex Gopher.

I. Büch Moſis Cap. VI. v. 14.
Die Arch gebaüet aüs dem holtz Gopher.

I. A. Friderich sculp.

TAB. XXXIV. XXXV.

Geneſ. VI. verſ. 14.

Fac Tibi Arcam de Lignis [1] Gopher, in [2] manſiones interſtingues Arcam, & bituminabis eam intus & extus.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus.

1. *Gopher quidam Pinum, quidam Cedrum, quidam Cupreſſum exponunt.*
2. *Hebr. nidos facies ipſam Arcam.*

ANſam dederat *Terra violentia repleta* comminationi terrificæ, *ego perdam eos (univerſam carnem) cum ipſa Terra.* Nunc proſtratum timore Noachum erigit optimus παντοκράτωρ. Cui æque facile fuiſſet, Noachidas ſeruare per miraculum in mediis Diluuiialibus undis, ac Danielis tres ſocios in mediis flammis. Sed placuit medium ex ingenti Naturæ Theſauro petitum, magna cura tum à Noachigenis, tum ab aliis elaborandum. Erat id תֵּבַת κιβωτὸς, *Heſychio* λάρναξ ξυλίνη, ἢ σορὸς, *arca lignea vel capulus*, quia λαρνακὸς ſiue Κίςης Ciſtæ adinſtar undique fuit clauſa. Hinc & *Thebæ*, θήβη πόλις βοιωτίας καὶ κιβώτιον, *Ciuitas Bœotiæ & arcula*, à rate vel nauigio, qua Cadmus transfretauit in Europam. Vſum ſi ſpectes, conueniet *Nauigii* Vox qua uſus Autor L. Sapientiæ C. XIV. 6.

Materia ex qua Nauigium hocce, ſeu Arca conſtrui debebat, eſt *lignum Gopher* גֹּפֶר, Vox ex ἅπαξ λεγομέναις, variis interpretationibus expoſita, ut optimè fortean agant, qui cum Latina noſtra Hebraicam *Gopher* ſeruant. Scopulos euaſiſſe ſibi videbantur LXX. Si non tam ad Arboris genus vel ſpeciem attenderent, quam ad artificialem, qua Architectus uti debebat, formam, dum nempe עֲצֵי גֹפֶר vertebant per ξύλα τετραγώνια, *ligna quadrangula*, ubi non tam intelligendæ ſunt Arbores, quarum rami ex uno loco in quatuor angulos vel plagas ſe explicant, uti id faciunt coniferæ, quam Ligna â lignicidis in quatuor hedras priſmatis in modum ſecta. *Ligna quadrata Auguſtin. Civ. DEI* L. XV. c. *ult.* *Ligna lævigata* vulgatæ. Voſſius τό גֹּפֶר explicat vel Puem vel Reſinam, manet adeo generatim in Arboribus reſiniferis, *fac tibi Arcam ex Arboribus Reſinæ vel reſiniferis.*

Quodſi à genere deſcendere lubet ad ſpecies, placere videbis Chaldæo Paraphraſtæ & pleriſque Rabbinis *Cedrum.* Quia autem hæc quoque Genus conſtituit, ſeligi poſſet *Cedrus magna* ſiue *Libani conifera* I B. *Cedrus conifera foliis Laricis* C. B. multoties in Scripturis memorata. Junius & Tremellius *Cedrelaten* habent, quæ tamen non eſt diverſa inter Cedrum & Abietem, κέδρον καὶ ἐλάτην, ſpecies, ſed ipſa illa Cedrus magna. Ita Plinius L. XXIV. c. 5. *Cedrus magna quam Cedrelaten vocant dat Picem, quæ Cedria vocatur.* Seligunt *Munſterus* & *Avenarius Lex. Pinum*, quæ tamen à rerum naturalium perito excludetur facile, utpote tortuoſa nimis & nodoſa, conſtruendo tanto navigio minus apta, imo minus *Abiete* Fig. C. quæ, quod miror, Commentatoribus non venit in cenſum, ſi vernaculam noſtram excipias. *Caſtalionis Terebinthus* huc prorſus non quadrat, ad frutices potius pertinens, quam Arbores. Palmam forte omnibus præripit *Cupreſſus* Fig. D. κυπάρισσος, vel in prima Syllaba κύπαρ condens Ebr. גֹּפֶר, Arbor longe durationis:

> Quæ nec Secula centies peracta
> Nec longæ cariem timet ſenectæ.

Martial. L. VI. *Epigr.* 49. Orientalibus regionibus familiaris, nauibus conſtruendis perapta, Claſſi quoque illi adhibita, quam Alexander M. in Babele parari juſſit *Arrian.* in *Alex. Strab.* L. XV. Et manſit forſan Cupreſſi memoria inde à Diluuiana ſtrage apud Gentiles, apud quos fuit *Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad fores poſita* Plin. L. XVI. c. 33. imò verò fuere Athenis funera eorum, qui occubuere pro patria, recondita in *Cupreſſinis feretris*, ἐν λάρναξι κυπαρίσσου *Thuc.* L. II. Quicquid ſit horum omnium, ſiue palmam tradamus Cedro, ſiue Cupreſſo, certum id ſaltem, fuiſſe hoc generis humani Aſylum conſtructum ex claſſe Arborum coniferarum, utpote ê quibus ab omni æuo, & adhuc parari ſolent nauigia. Et quid ſi & Cedro atque Cupreſſo concedatur locus, quum ex ſacro codice haud conſtet, adfuiſſe unam duntaxat ſpeciem Arborum?

Per multum intereſt eorum, qui Maria ſulcant, ut nauigia ab omni putredine & vermibus præſeruentur, & Aquarum omnis ingreſſus

I 2

ſus arceatur. Hunc utrumque in finem *bituminata* fuit Arca *intus & extus*; & ſic quoque *bitumine ac pice oblita arcula arundinea*, qua Moſes infans Nilo fuerat expoſitus. Exod. II. 3. Utrobique vox כֹּפֶר *Copher*, non notat *Camphoram*, reſinam illam Indicam pretioſam, picandis nauibus prorſus ineptam, neque etiam compoſitionem ex calce & arena, vel luto, Ædificiis adhiberi ſolitam. Accederet potius ad ſcopum noſtrum *Aſphaltum* ſeu *Bitumen foſſile*, quale cæmentandis inſeruiit Turris Babylonicæ muris. Sed intelligenda venit *Pix Pini* vel *Reſina Cupreſſi*. Ut pice adhuc oblini ſolent omnis generis nauigia, quibus trajicimus Maria. Vires & uſum deſcripta videſis in Vitruv. L. II. c. 9.

Ut hodieque Naues Mari exponi ſolitæ ſuas habent pro mercibus, victu, Hominibus manſiones, Cubicula: ita & Arca habuit ſuos nidos קִנִּים juxta Vulgatam, *manſiunculas*, noſtram Tigurinam, *manſiones*. Debebat non ſola Noachi Familia commode locari, ſed omnia Animantium genera, imò ſufficienti victu & pabulo illis pro integri Anni itinere ſeu decurſu proſpici. De numero & præciſo tum ſitu, tum magnitudine harum manſionum nil conſtat ex S. codice. Liberum proin eſt Architecto, Pictori, Sculptori, Arcæ frabricam diuidere juxta regulas Artis, dummodo maneant ſtructuræ tres contignationes. Vero autem eſt ſimile non fuiſſe omnes manſiones ejusdem præciſe dimenſionis in longum, latum, & profundum, & ἀπροσδώνυσον, Canibus, Leporibus, Felibus ſpatioſam æque dare manſionem ac Elephantibus & Rhinocerotibus, Lacertis ac Crocodilis: licet æqualitas manſionum architecturæ regulis quadraret magis. Attamen ad Symmetriam reducitur ſtructura, ſi, quod mox patebit, Tabulata faciamus ejusdem altitudinis, & in eodem plano, imò & pro minoris generis animantibus ſtabula, una aliis in eadem contignatione ſuperimpoſita. Neque dubito accepiſſe Noachum à ſupremo Architecto DEO tum Arcæ totius, tum in manſiones diuiſæ perfectiſſimam Ideam ſeu Exemplar, quale habuit pro Arca Moſes Ex. XXV. ult. Dauid pro Templo I. Paral. XXVIII. 19.

Ad marginem videre licet fructus

E. Cedri ſeu Laricis.
F. Ejusdem Folia.
G. Pini Conum.
H. Ejusdem Flores.
I. Folium.
K. Abietis Conum.
L. Cupreſſi, ut & alios ejusdem Arboris characteres.

TAB. XXXVI.

Geneſ. VI. verſ. 15.


Et hoc modo facies eam, Trecentorum Cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta Cubitorum latitudo ejus & triginta Cubitorum altitudo ejus.

Idem.

Dignum eſt perfectiſſimum ſtructuræ Naualis Exemplar, quod aſpiciamus, imo introſpiciamus propius, & ad normam Arithmeticæ, Geometriæ & Architecturæ naualis examinemus, tanto quidem magis, quia Fabricam hancce in ludibrium trahunt ἐμπαίκται ἄθεοι, utpote ἀλλόκοτον ἅπαντα ἔνδον ἔχουσαν, quæ verba ſunt *Celſi* apud Origenem L. IV. ut taceam *Marcionis*, *Valentini*, *Gnoſticorum* cauillationes. Id quoque dolendum, hujusmodi cauillatoribus non, ut decebat, reſtitiſſe pientiſſimos Eccleſiæ priſcæ Patres, quorum ἀγεωμετρία ineptas prorſus & gentilibus ridiculas peperit opiniones, ut adhuc committi ſolent ejusmodi παροράματα à Theologis Matheſeos ignaris, qui, ne quem apicem Sacri Codicis ignorare videantur, aliquando abſurda proponunt, καὶ πὺξ καὶ λὰξ defendunt, ſic autem αὐθεντία Scripturæ & orthodoxiæ plus nocent, quam proſunt.

Non ſatis ſane fecit Gentilibus *Origenes Hom.* II. in *Gen.* & *Lib.* IV. contra *Celſum* Cubitum fingens Geometricum ſiue Ægyptiacum vulgari ſextuplo majorem, quod inuentum haud diſplicuit ipſi *Auguſtino* Civ. DEI L. XV. c. 27. Sextuplicis hujusmodi ſeu Geometrici Cubiti nulla extat apud Scriptores veteres mentio. Et monſtroſa ſic naſceretur ex monſtroſo errore magnitudo Arcæ, nempe longitudo 1800. Latitudo 300. Altitudo 180. cubitorum; ſoliditas 97200000. cubitorum cubicorum. Conuerte Cubitos in pedes, & videbis, nimia ſuâ mole corruere fabricam, quæ

TAB. XXXVI.




GENESIS Cap. VI. v. 15.
Arcæ Architectura. Cubitus.

I. Buch Moſis Cap. VI. v. 15.
Die Arch ein Meiſterſtück der Baukunſt. Die Ehle.


P. G. Harder sculp.

JCB


TAB. XXXVII



TAB. XXX



TAB. XXXIX



GENESIS Cap. VI. v. 15.
Arcæ Ichnographia, Orthographia, Scenographia.

I. Buch Moſis Cap. VI. v. 15.
Grundriß, Profil und Aufriß der Arch.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

328. milliones ſuperat pedum. Conſequentias abſurdas alias ſilentio prætereo. Hunc Origenis errorem ſiſtit Fig. II. Arcam vero talem, qualem Textus habet Fig. I.

Alium errorem errat Div. *Auguſtinus Civ. DEI* L. XV. c. 25. triplicando omnem arcæ dimenſionem. Prodeunt, ſi ſtereometrice procedas pro vera arcæ ſoliditate 450000. cubiti, quæ ipſa prodiret, tripla latitudine 150. cum longitudine 300. multiplicata, & producto 45000. cum $\frac{1}{3}$ altitudinis 10. vel etiam latitudine ſimpla 50. multiplicata cum tripla longitudine 900, & producto cum $\frac{1}{3}$ altitudinis. Ita ſi triplicaſſet Diuus Pater non erraſſet. Sed triplicando omnes dimenſiones errorem commiſit 11700000. cubitorum cubicorum, quibus Auguſtini arca excedit illam Noachi. Errorem ſimilem *Deliorum* illi apud *Vitruuium* L. III. c. 3. §. 19. qui ex Apollinis conſilio, Aram duplicaturi quamlibet duplicarunt dimenſionem, ſic autem non duplam fecere ſed octuplam, errorem hunc ſiſtit Fig. III.

Sed danda eſt clara, quam fieri poteſt idea menſuræ, quæ eſt אַמָּה *Cubitus*, cujus præciſa longitudo controuertitur, ut & Cubiti in *Sacrum* & *communem* diſtinctio. Sufficiat impræſentiarum potiores de hoc Cubito Hebraico, ejusque neceſſaria reductione proferre ſententias, & unam ex illis ſeligere, quæ ipſa erit Cl. *Eiſenſchmidii* de *pond.* & *mens. vet.* qui cubito dat 2384. partes pedis Pariſini in 1440. diuiſi, ſiue 1. ped. 944. ſiue $1713\frac{1}{2}$. rotundo numero 1714. partium milleſimarum pedis Rhinlandici.

Cl. *Leonh. Chriſto. Sturmius Mar. Æn.* p. 16. cubitos 10. ſacros (nam diſtinguit is inter ſacrum & vulgarem) æquiparat pedibus Rhinlandicis 20. pollicibus 3. ſcrupulis 4. $\frac{18}{25}$. unde colligo, ex hac hypotheſi cubitum ſacrum ipſi fore 2. ped. 0. poll, 3, $\frac{59}{125}$ ſcrup. Sed idem p. 107. 10. pedes Rhenolandicos 1. pollicem $\frac{736}{1000}$ in 5. partes æquales diuidit, unamque pro Cubito aſſumit, qui proin erit 2. ped. 0. poll. 1. $\frac{217}{625}$ ſcrup. ſacer nempe, qui palmo excedit vulgarem, id eſt $\frac{1}{6}$. ſcil. 3. poll. 3. $\frac{684}{750}$ ſcrup. ex una 3. poll. 3. $\frac{2092}{3750}$ ſcrup. ex altera, ut proin Cubitus Hebræorum vulgaris laudato Viro foret 1. ped. poll. 9. $\frac{6450}{9375}$ ſiue $\frac{2}{3}$. ſcrup. quam proximè. Ad Pariſinas menſuras redactus cubitus ſacer dabit 2810. $\frac{426}{1000}$ ſumtis 202. ſcrup. pro Cubito.

Quod ſi ex Cl. *Bernardi* Hypotheſi Cubiti ſacri ratio ad pedem Rhinlandicum ſit ut 13500. ad 6198. erit ille æqualis 2. ped. 1. poll. 7. $\frac{5034}{6198}$ ſiue rotundo numero 8. ſcrup. Si reductionem tentes ad menſuras Pariſinas, inuenies 2807. $\frac{247}{500}$ partes.

Celebris *Villalpandus* apud *Eiſenſchmidium* p. 116. pro Cubito Babylonico, cui Iſraelitæ fuerint in Captiuitate Babylonica adſueti, ponit $2328\frac{1}{2}$. pro Cubito autem Hebraico ſacro, qui Cubitum habeat Babylonicum cum additione Palmi $2716\frac{1}{2}$. partes Pedis Pariſini.

Quartam horum ſingulorum partem ob oculos pono in præſenti Tabula, ut tantò diſtinctior fieri poſſit notio menſuræ ſacræ, & cum pede Pariſino, qui etiam adeſt, imo quibusuis aliis, comparari.

ab $\frac{1}{4}$. Cubiti Ebraici ſacri juxta Bernardum.
cd. - - - Leonh. Chr. Sturmium.
ef. - - - Villalpandum.
gh. - - - Eiſenſchmidium.
ik. $\frac{1}{4}$. Pedis Pariſini.

TAB. XXXVII.

Ad id imprimis vel ad Atheorum convictionem, incumbendum nobis eſt, ut ſufficientiſſimam demonſtremus Arcam, recondendis tum Animantibus, tum aliis neceſſariis. Qua in re quia omnibus aliis Commentatoribus præcellit laudatus ſupra, Architecturæ imprimis peritiſſimus Sturmius, bona ejus venia eodem cum illo incedam tramite, exhibiturus, qualem ille habet, Ichnographiam tam ſupremæ contignationis A. tam mediæ B. cum ſpatiis cuiuis Animantium generi ſuffenis.

Longum autem nimis foret, Catalogum texere ſingulorum: ſufficiat ſummatim dixiſſe, requirere juxta celebris Viri computum, quo 4. admittit ex immundis, 14. ex Animalibus mundis, ſpatium Cubicorum pedum 47028. Aſt, pergit ille, conſtat, Arcam Noachi longam fuiſſe ad minimum 600. pedes Rhenolandicos, latam 100, altam 60. pro quibus, abſtrahendo circumcirca parietes 596. 96. 54. pro capacitate proin integra 2819664. inuenit pedes cubicos. Hujus quartam partem ſi ſtabulis Animantium adſignemus prodeunt 704916. quindecuplum circiter ejus ſpatii, quod deſideramus. Subtrahatur porro pro parietibus inteſtinis & intergerinis quintuplum ſtabulorum, reſtabit nihilominus noncuplum ejus, quod nobis eſt neceſſe. De ſerpentino genere & ἑρπετοῖς non eſt cur multum ſimus ſolliciti, ablegantur hæc commodè in ſentinam, alias pondere ſufficienti onerandam, qua etiam in habitacula ſua diſtingui poterat. Patet adeo ex hactenus dictis, quod ſi haberemus duplum quadrupedum, inuenirent & hæc commodam in Arca habitationem.

Sed proſpiciendum nobis quoque de penuario, recondendis pro anni decurſu alimen-


tis & pabulis neceſſario. Ad hunc finem oſtenditur in Arca ſpatium 26. pedes altum, 90. latum, 598. longum, 1399320. pedum cubicorum, capiendis 1160298. modiis frumenti aptum. Sed & adſunt in binis ſuperioribus contignationibus conclauia, quibus alimenta varii generis, indi, æquilibrium ædificii in aqua fluitantis conſeruari, & Noachidæ commodiſſimè locari poterant. Penu ouium aliorumue Animantium, quæ Hominibus & Carniuoris beſtiis pabulo ſint, haud opus habet Autor noſter, exiſtimans, Patriarchas ante Diluuium eſu carnium abſtinuiſſe, & ipſos Leones, Tigrides, aliasque hujus generis rapaces beſtias non fuiſſe carniuoras, id quod precarium mihi videtur, & ipſi ſtructuræ Animantium incongruum. Quodſi hæc valeret opinio, pro victu tum hominum tum Animalium haud opus fuiſſet niſi frumenti, fœni, ſtraminis, foliorum exiccatorum ſufficienti copia.

De potu quoque ſingularem fouet opinionem Cl. *Sturmius.* Conſtat ex hodiernis nauigationibus, aquas dulces non conſeruari poſſe absque fœtoris & putredinis diſcrimine ultra tres menſes. Placet proin illi, adimere Mari antediluuiano ſalſedinem, vel, ſi hoc non arriſerit, (uti ſane Mare dulce haud admittunt Animantia in ſalſo natantia, ſerpentia, viuentia, quorum adhuc ſuperſunt reliquiæ) confugere ad ſecretum, quod anxie quæritur, Noæ à DEO reuelatum, quo potuerit is aquam marinam dulcificando reddere potabilem (vel, addo, aquam dulcem à putredine præſeruare.) Poſita ſic Maris dulcedine, haud Noacho difficile fuit per Antlias Aquam ſugere, & Canalium ductu per totam Arcam diſtribuere, putreſcentem una cum aliis impuritatibus extra Ædificium deriuare, Dolia vacua reficere, Aquam ſic puram ſemper conſeruare.

Arcæ Noachicæ præciſa Figura, contignationum ſingularum altitudines, contalationum in cameras, ſtabula, conclauia, diviſiones, quia in Sacris non ſunt expreſſæ, liberum eſt utique cuique, fingere, pingere, ſculpere, modo id fiat juxta Architecturæ tum Ciuilis tum Naualis regulas. Hinc alii formant ſimpliciter λάρνακα, Arcam, Ciſtam, Ædificium forma Parallelopipedi Tecto ſuo coopertum cum fundo plano, Nauigium alii. Placet mihi iterum præ aliis *Sturmius*, qui ædificium ſtruit nauigii-forme, fundi ventricoſi, ut fluctibus & ventis tanto facilius reſiſtere poſſet, & quidem ventris admodum ampli, quia juxta Hydroſtaticæ Regulas media fere Arcæ pars Aquis fuit immerſa. Proræ dat arcum conuexiorem, puppi minus conuexum, id quod videre licet in Ichnographiæ lineis punctatis, ſed clarius in ipſa Orthographia & Scenographia, quam formare juſſi ex Orthographia. Contignationes autem binæ ſuperiores junctim ſumtæ infimæ, quoad altitudinem æquales formam habent Parallelogrammi in ſuis baſibus, 300. cubitos longæ, 50. latæ, prominentes aliquantum ultra imam contignationem, quo ipſo obtinentur circumcirca foramina & tubi, quibus veluti latrinis excrementa mediæ contignationis, hîc copioſa ſatis, poterant foras eliminari. Id videre licet in Sectione, quæ mox ſequetur orthographica. Contignationi ſupremæ X altitudinem dat 7½ cubitorum ſiue 15. pedum, latitudinem 46. cubitorum, longitudinem 296. A. ſiſtit cœnaculum Noæ 22. cubitos longum, 12½. latum, in quo & regi poterat gubernaculum, concipitur id 4. feneſtellis illuminatum, & adſtat huic utrinque Conclaue Noæ & Conjugi dicatum, utrumque 13. cubitos longum, 8. latum. B B. duo conclauia pro Semo & conjuge, utrumque 13. cubitos longum, unum 9½. alterum 8½. latum. E regione ejusdem ſunt amplitudinis bina alia CC. pro Japheto. Inhabitat Chamus conclauia DD. in oppoſito Arcæ angulo, quibus adſtat culina E. 12½. cubitos longa, 11. lata, huicque rurſus alia camera F. pro mobilibus pretioſioribus adſeruandis. In repoſitoriis GHI. jaceant ſuppellectilia uaria, quibus in Nouo orbe opus habebant Noachidæ, Inſtrumenta varia, Adminicula pro Carpentis, Linteamina, Panni. KK. ampla Penuaria, ſingula 40. cubitos lata, 24. longa, pro annua ſuſtentatione. Pro auibus aquaticis in eadem contignatione adſunt 4. conclauia L. L. L. L. ſingula 16. cubitos longa, 13. lata, quibus & inſunt viuaria. Præterea Auibus ſunt deſtinatæ cellæ 52. ab M. ad N. ſingulæ 13. cubitos longæ, 5½. latæ omnes 7½. altæ, 26. maſculis quidem earum deſtinatæ fœmellis, 26. maſculis, quod vero ſit ſimile, fuiſſe ſeparatos ſexus ne in Arca commiſcerentur, ut & Noachidas ipſos abſtinuiſſe à coitu. Aues ſingulas recenſere hujus non eſt nec loci nec ſpatii. Sufficiat monuiſſe, etiam pro duplo Auium numero ſufficiens adfore ſpatium. Excrementa Auium commode per emunctoria exterioris parietis ejici, & ſic caueæ expurgari poterant, imo & Aquæ ex Aqualibus mediæ contignationis ſurſum trahi, & huic per Aquæ ductus quaquaverſum deriuari. Ad O. ſunt penuaria ſeu Granaria 6. pro Auuium Alimento annuo plusquam ſufficientia. Noctiuagæ quædam, ut Ululæ, Veſpertiliones locari percommodè poterant in contignatione ima.

Quadrupedum in ſecunda ſeu media contignatione Y. ſtabula ſunt omnia 7½. cubitos alta, quam quidem altitudinem vix 6. genera poſcunt, ut proin poſſint reliqua omnia commode in ſua altitudine biſecari adeoque una aliis ſuper imponi. Et ſuperſunt in quouis latere ſtabula tria mediocria, 5½. cubitos longa & lata; & 4. minora 5½. cubitos longa ac 2½. lata, in quibus commode plura omnis generis Animalia locari poterant. Immundi porci ſeparati ſunt, & ad angulos X relegati, & é regione

RPJCB




GENESIS cap. VI. v. 15.
Arcæ Scenographia.

I. Buch Moſis cap. VI. v. 15.
Perſpectiviſche Vorſtellung der Arch.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. VI. v. 15. I. Buch Moſis Cap. VI. v. 15.

Arcæ præſentationes variæ. Unterſchiedl. Vorſtellungen der Arch.

D.G. Heuman sculp.

é regione in binis aliis ſingulis ſunt Latrinæ duæ pro hominibus, ſed potiora Alimenta reconduntur pro Quadrupedibus in Z.

Poſſem equidem ex Amplioribus meis in S. Biblia Commentariis, quorum heic non ſiſto niſi nucleum, exhibere omnem Arcæ dimenſionem juxta varias de Cubito Hebraico Hypotheſes, in menſuris variis hodiè uſitatis, ſed ſufficiat Computus factus ex Hypotheſi, quam ſupra ſelegi, *Eiſenſchmidii* in Pedibus Pariſinis per orbem notis.

Arcæ longitudo in Pedibus.		Digitis.	Lineis.
	496.	8.	0.
Latitudo - -	82.	9.	4.
Altitudo - -	49.	8.	0.
Baſis -	41112.	138.	96.
Capacitas	2041950.	8353.	576.

TAB. XXXVIII.

CLariorem dabit Arcæ Noachicæ Ideam Orthographica Sectio, in qua ABCA. denotat ſupremam, quæ ſub Tecto eſt, contignationem, in qua commode nidi quarundam Auium a. a. a. locari poterant, ambulacris duobus b b. intermediis. Alta hæc 5. Cubitos.

ACDD. tertia eſt Arcæ contignatio, deſtinata auibus a. a. a. ambulacris b b. habitaculis tandem & granariis c. c. c. alta 7½. Cubitos.

D D E E. Secunda eſt contignatio, ubi præter Ambulacra b b. ſunt ſtabula pro quadrupedibus f. f. & in medio pro maximis g g. utrinque in angulis videre licet machinam Aquæ ſuctoriam ſeu tractoriam h. Alta hæc 8. Cubitos.

HIKH. Eſt contignatio prima ſeu ima & capaciſſima, & in ea i. i. i. penuaria ampla. Altitudo 14½. Cubitorum, tandemque k. k. ſentina ſiue Carina 5. Cubit.

Patebit, ablatis Tecto & Carina remanere pro altitudine trium contignationum 30. cubitos, in Sacris expreſſos.

Illuſtrant hæc ea, quæ leguntur Gen. VI. 16. obſcura in verſionibus. Ita enim LXX. κατάγεια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν. Vulgata: *Deorſum cœnacula & triſtega facies in ea.* Noſtra Tigurina: *infimis, ſecundariis & tertiariis* (interſtitiis) *facies eam.* Clarius vernacula. Ubi videntur LXX. per διώροφα καὶ τριώροφα, & *Leo Judæ* per *Cœnacula & triſtega* non tam intellexiſſe contignationes, quam harum ſubdiviſiones, ſtabula una aliis ſuperimpoſita.

TAB. XXXIX.

FUndamentis hactenus jactis nixus dimidiam exhibeo arcam in hac & ſequenti Tabula ſcenographice, prouti quidem ea mihi ex Sturmianis principiis repræſentanda videtur, quæ Cl. Autori ex parte ſaltem ſatisfaciet, ſi non ex toto. Inde ſaltem qui redundat, applauſum non mihi tribuo, ſed ipſi.

Tab. XXXIX. A. En Arcam Aquis innatantem, Diluuialibus Pluuiis complutam; ſed quoque ſcenographicam repræſentationem mediæ contignationis Fig. I. & ſummæ Fig. II. ubi datur in ipſa conclauia, ſtabula, Pennaria, proſpectus. Conf. etiam Tab. ſeq.

TAB. XL.

NEque erit abs re, neque Lectori ingratum, ſi ſiſtam ὡς ἐν ἀποτομῇ alias aliorum repræſentationes Arcæ Scenographicas.

A Sturmiana Hypotheſi B. haud abſcedit multum A. Icon, quæ eſt conciuis mei *Chriſtoph. Mureri*, qui fuit *Joſiæ Mureri* filius, Hiſtoriæ, Poeſeos, Matheſeos amantiſſimus, Pictor percelebris. Floruit is circa finem Seculi XVI. Hanc ex Originalibus, quæ mihi ad manus ſunt, ſiſto.

Communiſſimam λάρνακος, Arcæ ſeu Ciſtæ Fig. D. quæ fundo inſiſtit plano parallelogrammo rectangulo.

In Scenographica noſtra Icone Tab. XXXIX. obſeruanda ſunt nonnulla, quæ cum ſacro codice neceſſario ſunt conferenda.

Aperturas poſcebat intromiſſio Luminis neceſſaria, & in omni quidem contignatione, ventilationi halituum, rebus agendis. Qui cum Tigurinis nobis Gen. VI. 16. unicam ſibi fingunt aperturam, *feneſtram facies Arcæ*, non tam commodum Noachidis & Animantibus ſtruunt habitaculum, quam ſqualidum & obſcurum carcerem. Sed admittunt verſiones ipſæ noſtræ ſanam interpretationem, forte & correctionem, ſi per צֹהַר in textu intelligamus, ut quidem S. Linguæ genius poſcit, non tam *feneſtram* quam *Lucem*, eamque meridianam. Ut juxta hanc Hypotheſin tot poſſis admittere feneſtras, quot ſunt cellæ, vel quot lubueritcunque, proinde rejicere *Rabbinorum* quorundam *feneſtellam* unicam, palmum latam, imò pro feneſtella hac Lapidem pretioſum, haud dubii Carbunculum, qui lucem ſuam vividiſſimam in omnes arcæ trajecerit angulos. Tolerabilis foret *Furtembachii*, *Buteonis* aliorum unica feneſtra, ſi unica fuiſſet Hyems tranſigenda Urſis, muribus alpinis, Serpentibus, quæ hiemem tranſigunt dormiendo; Veſpertilionibus item & Noctuis noctu duntaxat viuentibus, ſed incompatibilis prorſus oculorum ſtructuræ, qua alia gaudent Animantis incommodum; præſertim Noachidis, quorum vita ſimillima fuiſſet damnatorum ad cuniculos & metalla. Imò periculum incidiſſent cœcitatis Animantia pleraque, exacto Anni curriculo in dias luminis auras ex obſcuro carcere protracta. Concedi poſſet, qualem habet *Pelleterius* clathratam, unica ſub Tecti prominentia feneſtra cubitum alta, ſed 300. cubitos longa. Sed conuenientius Architecturæ regulis, Arcæ Feneſtras dare in plurali, lucemque admittere in omnia ſtabula & conclauia, vel, uno verbo, *Lucem*, ſicuti nos Germani hac voce utimur pro feneſtra, διαφανὲς *Symmacho*. Fuere in tantæ molis ædificio neceſſria ſpiracula, cur non & feneſtræ? Sed altum de materia, an lapidis fuerit ſpecularis, vitrum, vel charto oleo tincta, in ſacris ſilentium, uti quoque de Valuis, quod nec nos rumpemus.

Dimenſionem equidem *Feneſtrarum* exprimit S. Codex, ſi verba וְאֶל אַמָּה תְּכַלֶּנָּה מִלְמַעְלָה *& ad cubitum eam conſummabis supernè* ad Feneſtram referri debet, quæ quadrata & cubitalis fuiſſet *supernè*, id eſt in ſuperioribus contignationibus. Hinc ita vertit *Sturmius: Licht ſolt du an der Arche machen, und nach der Elle vollkommen machen.* Ita & ad literam intelligi poſſet noſtra Tigurina. *Feneſtram facies Arcæ, & ad cubitum eam ſuperne conſummabis.* Sed ſunt, qui citata verba referunt potius ad Arcam ejusque tectum, quam ad Feneſtram, conſiderantes fœmininum תְּכַלֶּנָּה referri debere non ad maſculinum צֹהַר ſed ad fœmininum לַתֵּבָה Arcam. Hi proin Tectum conſummant vel faſtigiant in altitudinem unius Cubiti, idoneum ſic defluuio per Plana duo inclinata. Ita rem concipiunt *Buteo*, *Heideggerus*, *Reyherus* autem *Math. Moſ.* p. 54. cubitum illum intelligit de *Lorica*, qualem & hodie habent Naues *Boorte*, ne quis ambulando in ſuprema naue vitæ incurreret periculum. Id quod illuſtrat Præcepto Deut. XXII. 8. Alius is huic Loricæ adſignat uſum, quod colligi potuerint Aquæ dulces pro potu Animalium, quæ fiſtulis ad Aqualiculos deriuatæ fuerint. Fuerit ita Arcæ Tectum vel mobile, vel tale, ut aperiri potuerit, & in eo Noachus cum Uxore & liberis deambulare, Aſtrorum motus obſeruare, & ex iis Diarium ſuum inſtituere, veſtes aliaue ſiccare. A qua ſententia ego ſane non abhorreo.

Sequitur פֶּתַח *Oſtium* Arcæ, quod ex mandato ſummi Architecti debebat locari, non in angulo quodam Arcæ, verum בְּצִדָּהּ *in latere ejus*, in medio lateris, imo in contignatione media, vi. C. in Ichnographia & Scenographia. De amplitudine nil extat, dictant regulæ Architectonicæ conformem magnitudini ædificii & uſui. Vult ratio ſaltem 10. cubitos altum, 8. latum, per quod Elephantibus patuerit ingreſſus. Amplum certe fuiſſe, & ita, ut id Noa cum ſuis claudere non potuerit, colligere licet ex Gen. VII. 16. ubi DEVS dicitur *clauſiſſe poſt eum*; Targum addit: *per Verbum ſuum.*

TAB. XLI.

Proportionibus Arcæ tum illuſtrandis tum verificandis inſeruit, quod dentur hodienum Naues, quæ illas ſeruant. Taceo onerariam illam, quam ad imitationem Arcæ Noachiæ ſtrui juſſit 1647. *Petrus Janſen* Mennoniſta, ciuis Hornanus, longam 120. latam 20. profundam 12. pedum. Naues *Fluiten* Belgis dictæ Fig. E. imam longitudinem habent 80. pedum, Superiorem 95. mediam proin ferè 90. altitudinem 9. latitudinem 16. vel ex *Nic. Witsen Scheepsbow* p. 159. longitud. 130. latitud. 26$\frac{1}{2}$. profundit. 13. ped. 5. pollic.

Jungo Nauigiola, quibus in extrema Thule unicus Groenlandus fluctibus ſæuientis Maris ſe impunè exponit Fig. G. longitudo eſt 10. altitudo 1. latitudo 1$\frac{2}{3}$.

Hæc



Genesis Cap. VI. v. 15.
Arca collata cum Navibus hodiernis

I. Buch Moſis Cap. VI. v. 15.
Die Arch verglichen mit heütigen Schiffē.

I. A. Fridrich sculp.

RPJCB

RPJCB

TAB.XLII



GENESIS Cap.VII.v.7.8.9.
Animantium in Arcam introitus.

I. Buch Moſis Cap.VII.v.7.8.9.
Eingang der Thiere in die Arch.

G. D. Heuman sculp.

Hæc non eum in finem adfero, ut prætendam, eſſe Arcam cum ſuis, quas habet, dimenſionibus hodie imitabile Nauigium. Sane neque bellicæ Naues, neque onerariæ juxta hunc modulum elaboratæ in Oceano ſubſiſtere, ejusque fluctibus reſiſtere poſſent, utpote, qui vel proram vel puppim inæquali ſuo ad ædificium alliſu facile frangerent. Ut hinc præſumere ὡς ἐν παρόδῳ liceat, non fuiſſe mare Diluuii tempore adeò turbulentum, in fluctus ſpumoſos eleuatum, ſed, iis ſaltem locis, ubi Arca natabat, tranquillum. Et concipi poteſt haud difficulter, denſiſſimos primos imbres lapſos fuiſſe absque inſigni commotione Aeris, quemadmodum nunc præuii omnino ſunt ut plurimum, non ſocii, Procellarum vehementes Venti. Aquas etiam ex Abyſſo prorumpentes, tantò minores fluctus excitaſſe, quo Aqua fuerit profundior, uti eſt in Maribus; Subſidio venire poſſunt huic ratiocinio ipſæ Diluuii reliquiæ teſtaceæ, cruſtaceæ, quarum equidem innumeras inuenimus paſſim confractas in minutias, ſed & plurimas, etiam delicatiſſimæ texturæ, integras prorſus. Pondus addit conſideratio Plantarum, quarum ſemina & Radices reſuccreſcere debebant iis in locis, Prouinciis, Climatibus, ubi creuerant ante. Non ſane conueniebat Indico ſolo natas tranſportari in Europam, vel deferri ad ultimum Septentrionem, ſicuti Plantæ noſtrates non germinaſſent in Zona Torrida. Hoc ſi ita ſit non opus habuit Nauarcha gubernaculo, niſi forte primis ſeptimanis ad ſcopulos euitandos. Sed forte nec hos euitare erat neceſſe, gubernante ac dirigente machinam optimo & prouidentiſſimo Numine, ne vel allideretur ſcopulis, vel à fluctibus abſorberetur, vel à ventis disjiceretur.

Sed quidem ex allatis hactenus inferre licet, fundo arcæ figuram competere potius arcuatam, conuexam, quam Parallelipedorum planam: non debebat illa inſiſtere Terræ, ut ædificia ſolent, ſed innatare Aquis, in quibus facilius longe mouentur corpora conuexa, quia minus inueniunt reſiſtentiæ, & obuium fluidum vincunt facilius, quam plana, angularia, quæ in angulis ſuis, ſeu rectis, licet fortioribus, ſeu acutis, debilioribus facile à fluctibus Aquæ, imo quouis allabente fluido patiuntur, ac deſtruuntur; unde olim, ac in mediis ſeculis, in Architectura Militari Turres rotundæ, cylindricæ, præferri ſolebant quadratis. Vitruv. L. I. c. 5. §. 16. Quæ quidem ſtructuræ rotundæ nunc, ſed ex alio principio mutatæ ſunt in Propugnacula angulata. Imò vero periculum fuiſſet, ut Arca ſusque deque verſa à ventorum leui occurſu periiſſet.

TAB. XLII.

Geneſ. VII. verſ. 7. 8. 9.

Venit itaque Noah, & filii ejus, uxor ejus & Uxores filiorum ſuorum cum eo ad arcam, propter Aquas Diluuii.

De jumento mundo, & de jumento immundo, & de volucre, deque omni eo, quod reptat ſuper Terram.

Bina venerunt ad Noah in Arcam, mas & fœmina, quemadmodum DEVS mandauerat ipſi Noah.

Et ingreſſus eſt Noe & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluuii.

De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur ſuper terram.

Duo & duo ingreſſa ſunt ad Noë in arcam maſculus & fœmina, ſicut præceperat DOMINVS Noe.

SEntentia erat à DEO lata de perdenda Terra: *Ecce ego perdam eos cum ipſa Terra* Gen. VI. 13. *Ecce ego, ego inquam adduco defluxum Aquarum ſuper Terram ad perdendam omnem carnem, in qua eſt Spiritus vitalis ſub cœlis, quicquid eſt in Terra expirabit* v. 17. Sed & conſtitutum, reædificare nouam. Terræ deſtructio ſubſequum habuit interitum omnium viuentium, renouatio poſcebat nouos incolas. Æque facile fuiſſet DEO, creare de nouo omnis generis Animantia, atque in prima Κοσμοποιΐα. Sed voluit, uti ex Hominum, ita ex Brutorum omnigenere viuas ſeruare reliquias. Quapropter injunxit Noacho, *ut ex omni Animante, omnique carne bina, de ſingulis ducerat in arcam, ut viua ſeruarentur ſecum, mas & femina erunt. De volucri quoque juxta ſpeciem ſuam, & de omni reptili Terræ juxta ſpeciem ſuam v. 19. 20.* Potuiſſet & hæc Animantia, hos Homines

mines in ipſa Arca conſeruare per miraculum; Sed voluit nutriri juxta ordinem ab ipſo in Naturam introductum. *Tu tolle tecum ex omni cibo, qui comeditur, & colliges ad te ut ſit tibi & illis in eſcam.* v. 21. Debuit Arca eſſe ζωοτροφεῖον, & tale quod orbis non ante vidit, nec poſt: Hominibus & Brutis Aſylo.

Arcam non intrabant, quæ vitam in Aquis conſeruare poterant Animalia, Piſces, Teſtacea, Cruſtacea, marina, lacuſtria, fluuiatilia. Concedi inſuper poteſt, haud in Arca fuiſſe, quæ ex diuerſa naſcuntur Animalium ſpecie, ut ſunt Muli. Sed inſectis, quibus aditum denegant Theologi, præeunte *Auguſtino* Civ. DEI L. XV. c. 27. ὀρθοδοξώτατοι Dogmate illo æquivocæ Generationis ineſcati, aditum ego æque conceſſerim ac Elephantibus vel Aquilis. Haud quippe dubium eundem illum DEVM. qui hodie tot variis & miris modis per metamorphoſes plane ſtupendas etiam minimi puncti Animalcula conſeruat, & eodem ſemper modo propagat, ſollicitum quoque fuiſſe de eorum conſeruatione in Diluuio, licet non habeamus cur ſolliciti ſimus de loco, qui ſufficit abunde.

Neque dubium Noachum Arcæ intuliſſe Eſcam variam, cuique Brutorum Generi adæquatam, ne carnivoris daret promus condus grana, granivoris carnes, κυνὶ ἄχειρα, ὄνῳ δὲ ὀςέα. De ſpatio non eſt cur ſimus, uti Patres fuere, ſolliciti. Vidimus id ſupra plusquam ſuffenum. Id equidem verum facilius adſueſcere poſſe carnivora Vegetabilibus, quam fœnivora carnibus, ut videmus Stomachum Hominis ἀδιάφορον ad carnes & fruges. Non proin heic confugiendum ad miraculum, non ad famis torturam, quæ etiam inaſſueta admittit. Debebant Animantia, Diluuio finito, ſibi & juri ſuo reddi.

Speciale admiſſionis mandatum extat Gen. VII. 2. 3. *Ex omni jumento mundo accipies Tibi ſeptena, marem & fœminam ejus, de jumento vero immundo bina, marem & fœmellam ejus. De volucre quoque cœli ſeptena, marem & fœminam ad ſeruandum Semen ſuper omnem Terram.* Ubi occurrit diſcrimen inter *munda* & *immunda* 800. penè annis poſt in Legem datum non *incerta Numinis voluntate*, quod celebres prætendunt viri, ſed & Naturâ fundatum Munda Sethitis in cibum venere & victimam. Immunda, *fœda & profana Tacito*, quæ carne vel rapto veſcuntur, neque hominum menſæ inferuntur. Diſcrimen proin Noacho cognitum. Et cur non? DEVS, *quæ præceperat, idem & ſcire ea manifeſtê fecit* Chryſoſt. Hom. XXIV. in Gen.

Ex mundis admittere debebat Noachus שִׁבְעָה שִׁבְעָה *Septena* & *Septena*, vel *ſeptem* & *ſeptem* ἑπτὰ ἑπτὰ LXX. Bis ſeptem, id eſt quatuordecim volunt *Juſtinus*, *Origenes* alii, loquendi more adhuc Gallis uſitato, qui pro *ſeptuaginta* dicunt *ſoixante* & *dix*. Sed ſeptem duntaxat admittunt *Joſephus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*. Ita & noſtra latina *ſeptena*.

Ita venerunt ad Arcam & Noachum inſtante fatali totius Terræ inundatione, Animantia omnia, pedibus, alis, ventre. Venerunt diuino & imperſcrutabili prorſus, miraculo. Qui adhuc quæuis animantia ducit ad ſuum pabulum, qui automata hæc viua regit, ab injuriis conſeruat, maris ad fœminam adjunctione propagat, juſſu prorſus extraordinario Brutorum inauditum propagavit concilium, ſeruaturus ea ab inſtanti exitio. Juſſit, qui creauit. Obediunt creaturæ ratione carentes, & vel hoc ipſo rebelles Homines de ſua & Impietate, & impœnitentia, & vix concipiendo ſtupore conuincunt. Neque dubium eſt, feras omnis generis belluas tunc fuiſſe manſuefactas, quales fuere in Statu Innocentiæ Adamo adductæ Gen. II. 19. Duplex proin patratum miraculum, unum in conuocatione, in manſuefactione alterum. Quæ poſt lapſum rebellia, homini inimica, per orbem diſperſa, ex ſyluis, montibus, cryptis, Aquarum profundis ſeſe cœco quodam ducta impetu colligunt, Amicitias & fœdera veluti ineunt, Noachum quærunt futuri orbis Patrem, vitam ſuam emendicant, & neſciunt cur? prudentia ſuperiore illa impiorum illorum mortalium, qui per 120. annorum decurſum præſcire poterant internecinam cataſtrophen. Digito DEI τῶν ἀλόγων ductore.

TAB. XLIII.

Geneſ. VII. verſ. 11.

In anno ſexcenteſimo vitæ Noah, menſe ſecundo, decimo ſeptimo die menſis, eadem ſcil. die, rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ, & feneſtræ cœli apertæ ſunt.

Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt.

Adeſt



GENESIS Cap. VII. v. 11.
Diluvii initium.

I. Buch Moſis Cap. VII. v. 11.
Anfang der Sündfluth.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

ADeſt tempus, quo liberari debebat Noachi familia à ſcelerata reliquorum hominum ſocietate, & internecioni tradi totum genus humanum. Intrauit Noachus Arcam hinc à ſeptiduo, tum ſua familia & Animantibus, quo demum finito, & forſan ἐμπαίκταις Noam cum Arca ſua naſo adunco irridentibus. *Et factum eſt* (poſt) *ſeptem dies venerunt Aquæ Diluuii ſuper Terram* Gen. VII. 10. conformiter Prophetiæ Noacho factæ v. 4.

Diſtingui commode poteſt omne tempus ab orbe condito ad CHRISTVM natum in IX. Epochas. Prima harum eſt ab Adamo ad Diluuium Annorum 1656. En calculum

Adam genuit Seth anno ætatis -	130.
Seth genuit Enoſch A. Æ. -	105.
Enoſch genuit Cainan A. Æ. -	90.
Cainan genuit Mahaleel A. Æ. -	70.
Mahaleel genuit Jared. A. Æ. - -	65.
Jared genuit Enoch A. Æ. - -	162.
Enoch genuit Methuſalah A. Æ. -	65.
Methuſalah genuit Lamech A. Æ.	187.
Lamech genuit Noah A. Æ. -	182.
A Noachi geneſi ad Diluuium -	600.
	1656.

Sunt *Anni*, qui in Textu memorantur, haud dubiè *Solares*, conſtantes ex menſibus Solaribus, quorum ſinguli dierum 30. tales quippe menſes crediti ante Diluuium, quorum 5. puta à 17. ſecundi menſis ad 17. ſeptimi menſis confecerunt dies 150. Patet id ex collatione loci præſentis cum Gen. VIII. 3. 4. *Imminutæque ſunt Aquæ poſt 150. dies ſeptimo vero menſe, decima ſeptima menſis reſedit Arca ſuper montes Ararat.* Sic prodit Annus dierum 360. quibus additi finem dies 5. ut Annus eſſet dierum 365. ſex horis minor Juliano.

Duplex autem Anno Hebraico fuit initium. *Sacro* menſis *Niſan* ſeu *Abib*, incipiens cum Nouilunio, quod proximum Æquinoctio verno. *Ciuilis* principium fuit menſis *Tisri*, incipiens à Nouilunio, quod proximum Æquinoctio Autumnali. Ab illo in rebus Eccleſiaſticis initium ſumtum, inde ab exitu ex Ægypto. Ab hoc in politicis ex obſeruantia antiqua & Patriarchali. Mouit hocce Anni diſcrimen ingentem difficultatem Interpretibus in computo Diluuiali. Pro *Autumno* quippe ſiue *Anno civili* ſtant & rationes & magnorum virorum Autoritates: Annorum nempe Patriarchalium conſtitutio ſolaris: mundi ortus in Autumno: Chaldæorum, Perſarum, Ægyptiorum, Hetruſcorum mos Annum inchoandi ab Autumno. Aſt pro *Vere* id imprimis militat, quod Anni forma fuerit mutata occaſione Exodi, ciuilis nempe in ſacrum: Moſen autem ſcripſiſſe poſt hanc mutationem; proin nemo Judæorum non menſem *primum*, *ſecundum* aliter explicare potuerit, quam juxta anni ſacri nouiter recepti formam. Juxta quam *ſecundus* in Textu noſtro memoratus menſis eſt אייר Jiar, זיו Ziv. 1. Reg. VI. 1. qui reſpondet Aprili, præcipue Maio. Autoritatibus ſi pugnare velis, adi *Scaligerum*, *Alſtedium*, *Langium*, *Caluiſium*, *Waſmuthum*, alios. Cui ſententiæ pondus inſuper addo ex *Ratione* & *Natura*. Certum Diluuium duraſſe per Annum, vel, integro Anno commoratum fuiſſe Noachum in Arca. Finis proin ſi cadit in Autumnum, cadet & initium. Prius non vult deductio ad abſurdum. Adſcribi debuiſſet pené miraculo Vegetabilium regerminatio. Quî, quæſo Noachi familia inveniſſet vergente anno, quo ſe nutrire potuiſſet. Quî Animantia Bruta ſeſe diſpergere per Terrarum orbem, ſingula ad ſua Climata? Quî plantæ radices ſuas agere, germinare, & ad fructificandum ſe diſponere? nonne repreſſiſſet omnia frigus, enecaſſet Animantia calidiori climati adſueta, Plantas in prima germinatione ſuffocaſſet Algor, Pruinæ, Niues? Triſtis fuiſſet Naturæ non renaſcentis ſed emorientis facies! Opus habebat Terræ cortex limoſus, cœnoſus non algore, ſed calore, qui humiditatem nimiam expelleret, fibras Vegetabilium nimio humore laxatas firmaret, ſemina foueret, germina protruderet, ſuccis nutritiis motum daret, circulationem promoueret, viuentia omnia ſqualore ſemimortua reſuſcitaret. Negatiuæ huic argumentationi ſubjungo poſitiuam, quæ ex æquo quadrat initio & fini. Ex innumeris, quas hodie magno ſtudio colligimus & recondimus, Reliquiis Diluuianis, ſunt bene multa, ex quibus manifeſté colligere licet Diluuii initium cecidiſſe in Vernum Tempus, nominatim menſem Majum. Et ex proprio Muſeo produxi alias, & produco nunc Fig. I. *Spicam Hordei* non plene maturam, deſcriptam amplius in *Herbario Diluuiano* Fig. II. Auellanas tenerorum corticum. Ex Animali Regno Fig. III. *Libellam*, eà figura, qua Majo ſuam acquirit perfectionem. Et in uniuerſum quas habemus cunque Plantas, quæ Inſecta, (horum autem Metamorphoſes inprimis largiri poſſunt characteres chronologicos) huic, quod urgeo, reſpondet tempori. Viden' teſtimonium, quod his ipſis Illuſtris Actorum Societatis Regiæ Gallicæ collector dat *Hiſtor. de l'Acad. Roy.* A. 1710. p. 28. Edit. Belg. *Voila de nouvelles eſpeces de medailles, dont les Dates ſont, & ſans comparaiſon plus anciennes, & plus importantes, & plus Sûres, que celles de toutes les medailles Grecques & Romaines.*

TAB. XLIV.

Diluuii cauſas duas memorat Sacer codex. *Rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ, & feneſtræ cœli apertæ ſunt.* תְּהוֹם Abyſſus ἄβυσσος Gennadio Ἄβυδος, ὕδωρ πολὺ, οὗ τὸ βάθος ἀκατάληπτον ἀνθρώποις, ἢ σφόδρα δυσκατάληπτον, non idem quoad formam concipitur ab omnibus, ſed quidem idem ferme quoad locum, quem inferiorem ſtatuunt, vel imum in viſceribus Terræ. Philoſophamur hîc ſicubi in obſcuro. Iis ego accedo, qui ramis ſaltem ſuis ſeu Aquæductibus diffuſam volunt per omnia penetralia Terræ, & hic ibi congeſtam in Hydrophylacia. Quæ de *Erebo* & *Tartaro*, Abyſſi Synonymis, ſcripſere veteres, heic omitto.

De modò ruptionis, tacente Scriptura, philoſophari licet, ſed ita ut ratiocinia phænomenis Terræ congruant. Ab hac qui diſcedunt regula, in auia deflectunt Th. *Burnetio Theor. Tell.* L. I. c. 6. Terra primæua fuit Æolipila à ſole calefacta, ſenſim hiulca reddita, Abyſſo ſive annulo aqueo Terram inter habitabilem & interiorem nucleum medio, inædificata, Diluuii Tempore rupta, fracta, inæquali ſitu in Abyſſum delapſa. Aquis interea ex Abyſſo ſurſum preſſis, & Terræ Globum hac occaſione in præſentem hanc, quam videmus inæqualitatem redactum, inundantibus.


Attentionem excitat hodie Syſtema, quod fouet *Whiſton. Theor. Tell.* p. 444. *Cluuer. Geol.* c. 12. p. 171. Hi quia in Terræ globo non inveniunt cauſas ſuffenas aſcenſui Aquæ ex Abyſſo, tum & pluuiæ quadrageſimali, eas ex cœlo accerſunt, & nominatim à *Cometa* terram prætereunte, quemadmodum & conflagrationem Terræ ultimam Cometæ venturo adſcribunt. Et hunc quidem Cometam adeo deſcribunt graphice, ejusque Trajectoriam determinant, ac ſi ipſi fuiſſent præſto, & omnia diſtinctè obſeruaſſent, vel ipſe Noachus Aſtronomus Schedas ipſis reliquiſſet. Ecce enim Fig. I. Cometæ integrum curſum 150. dierum. In a. ſecundi menſis die primo, in b. decimo, in l. die 17. tranſeuntem prope Terram, exiſtentem tunc in orbita ſua annua q h. in 12. gradu Tauri, in c. vigeſimo, in d. trigeſimo, in e. tertii menſis die decimo, in t. in perihelio, ſiue proximum Soli H. in f. die tertii menſis trigeſimo, in g. die quarti menſis decimo, in h. die ejusdem menſis vigeſimo, altera vice tranſeuntem juxta terram exiſtentem tunc in Cancro, in I. die trigeſimo, in k. die quinti menſis decimo. Ut proin a t k. ſit ipſa Cometæ Trajectoria, t n. axis trajectoria. H. Focus, q h. Ecliptica.

Quomodo rupti fuerint Fontes Abyſſi magnæ oſtendit clarius Fig. II. ubi Terra a b d c. mota in Ecliptica G H. à G. verſus H. ante adventum Cometæ ſphærica. Cometa b i D h. ad Perihelium ſuum deſcendens in Trajectoria E F. ab E. verſus F. Æſtum approximando cauſans ſeu Fluxum & refluxum tum in Oceano ſuperiori, tum in Abyſſo, eumque tanto majorem, quo acceſſit propius: quo ipſo Terræ orbis ſphæricus mutatus fuerit in ſphæroidem, qualem Ellipſeos circa Axim longiorem a b. circumvolutio producit, in rimas paſſim fiſſus, mole inſuper Aquarum preſſus. Per haſce autem fiſſuras ſurrxere Aquæ è fontibus Abyſſi & proſiliere eâ & continuata celeritate, ut inundatus fuerit orbis, & Atmoſphæra vaporibus repleta, nec terra preſſa duntaxat, ſed juxta Leges hydroſtaticæ depreſſa. Illuſtrandæ huic rei inſeruit Experimentum ſequens. Fig. III. ſit A B C D. vas ligneum, cujus concauæ ſuperficiei preſſè ſed tamen mobilis adaptatur cylindrus A E F B G H. marmoreus, juxta Axeos longitudinem foraminibus E H M L. pertuſus, & ad I K. usque oleo repletus. Depreſſo hoc cylindro in vas O. clarum eſt, aquam magis magisque aſcenſuram ſupra I H. Et oleum per foramina E L. N P. extruſum iri, quæ extruſio inundationem in ſuperficie A B. repræſentabit. Fuit itaque Cometa vel Tractor, vel Preſſor, Terra ſubjectum patiens, quod haud caruit ſuis fiſſuris à prima creatione, & forte ſtrata habuit minus ſolida, veluti ſponte ſubſidentia. Ruptos fuiſſe fontes confirmatur Job. XXXVIII. 8. *Et quis cohibuit mare valuis, quum erumperet, ut egrederetur ex Utero?*

Liberum eſto cuilibet, alias proruptioni aquarum adſignare cauſas, qualis eſſe poterat ſubitanea motus centralis Terræ cohibitio, qua juxta Leges Motus non potuerunt non Aquæ abyſſi irruptione ſua fiſſuras, forte à prima gyratione Terræ inductas magis dilatare, nouas paſſim formare, in altum aſſurgere. Aquæ primum Oceani, & poſt Abyſſi, imo Terram inundare & ſolvere. Quam hypotheſin illuſtrare poteſt vas quoduis cylindricum in gyrum motum, in quo, ſi ſubito ſiſtatur, Aqua motum ſemel impreſſum continuatura, quia ſeſe diffundere nequit in latum, aſſurget in altum ad margines vaſis.

Non ſunt hæc omnia, & alia, quæ excogitari potuerunt, inundationis maximæ media ita aſpicienda, ac ſi fuiſſent Naturæ opera & motus. Qui hæc ipſa, multis ſine ratione ſuſpecta, attentis introſpicit oculis, is claré videt motus extraordinarios prorſus, imo miracula.

Miracula



GENESIS Cap. VII. v. 11.
Fenestræ Cœli apertæ.

I. Buch Moſis Cap. VII. v. 11.
Eröffnung der Fenſter des Him̃els.

G. D. Heuman sculp.

CB

Miracula vidimus in Terra creata, videmus in deſtructa, renouanda & renouata.

Pergimus ad *Feneſtras Cœli* אֲרֻבּוֹת הַשָּׁמַיִם quas apertas ſcribit Sacer Scriptor. Non ſunt hæ καταῤάκται τοῦ οὐρανοῦ, vel Symmachi & Aquilæ Θυρίδες οὐρανοῦ, Aſtra certa Aquifera, ut Aſtrologi ſomniant, qualia ſunt Cancer, piſces, Pleiades, Orion, Mars, Venus, Luna. Ita vult *Mechlinius Comm. in magnas Albumaſaris conjunctiones.* Præceſſiſſe Diluuium Noeticum conjunctionem Jouis & Saturni magnam in fine cancri, è regione Argolicæ Nauis. Quam opinionem à *Tiberio Calabro* defenſam atro hæreſeos ſtigmate notauit, & peculiari volumine refutauit *Hieron. Armellinus* Dominicanus. Nos miſſis his nugis per Cataractas Cœli intelligimus Atmosphæram Aquis prægnantiſſimam, cœlum aereum, non, quod quidam volunt aſtriferum. Lucem fœnerantur loca Luc. IV. 25. II. Reg. VII. 2. Et ſane haud incommode aſſimilatur *Aer feneſtris* transmittens radios lucis, pluuiales guttas, niueos floccos, omnis generis meteora. Quis eſt, qui ignoret, pluente ningenteue cœlo feneſtras cœli, Aeris poros aperiri, dilatari? ſereno contra ſtringi ac claudi? Preſſiorem ſignificatum dant ſupra nominati *Whiſtonus* & *Cluuerus*, quorum Cometa cum ſua cauda Terram undique inuoluens profuſiſſimas dederit pluuias.

Graphicè Cataſtrophen Diluuianam deſcribit *Philo* p. 335. & futuram quandam Inundationem *Seneca Nat. Quæſt.* III. 27. 30. qui videantur omnino. Sed quæ habent hi de turbulentiſſimo rerum ſtatu abſunt longè à meteoro ſimplici Moſaicæ deſcriptionis. Et ecquis mortalium, niſi θεόπνευστος triſtiſſimam Globi Terr-aqu-aerei illius temporis deſcribet, depingetue conditionem? Quis tenebras nouas Abyſſo inſidentes, quales non fuit experta terra inde à Creatione? Quis occultationem Solis intra Tentorium ſuum? Quis tenebroſiſſimam Atmoſphæram fulguribus fulminibusque interfuſam, tonitruum tremore vibratam Globos igneos cadentes, lampades volantes, innumera Meteora alia ignita? Hiatus Terræ apertos atque profundos? proruentes undique, & ſummo cum impetu Torrentes ac flumina? ſpumantes, initio ſaltem ac progreſſu Diluuii, fluctus? fremitus ſaxorum & montibus deuolutorum? Animalium fugam? gemitus clamoroſos & ejulatus Hominum? Terram ſub pedibus nutantem? corruentes ædes, inundatos campos, natantes confuſo ordine creaturas tum viuas, tum mortuas? conjurata in exitium mortalium Elementa? Habet heîc, quo ſe exerceat Animus, cogitando potius, quam os loquendo, vel manus ſcribendo. Eloquentia ſumma devotum ſilentium.

Gen. VII. 16. legitur DOMINVS *clauſiſſe poſt eum*, Noachum, in Arca jam degentem, Aquis undique cinctum. Et explicantur communiter hæc verba de Oſtio Arcæ, cui claudendo Noachus cum ſuis fuerit inſufficiens. Sed malim ego cum Cl. *Sturmio* ſtatuere, Aquas in vicinia Arcæ maximo impetu eructantes, & alias eleuatas, abſtuliſſe Pontem penſilem, quo Animalium ingreſſui fuerat neceſſarius, nec tamen cum Arca unitus, ſicque ἐμπαίκταις omnem ad arcam aditum præcluſiſſe, chachinnis in lamentationes verſis & ejulatus, clauſiſſe proin DOMINVM non tam oſtium Arcæ, quam viam ad eam Sap. V. 1. 2. 3. 4.

TAB. XLV.

Geneſ. VII. verſ. 17.18.19.20.

Stagnauitque Diluuium quadraginta dies ſuper Terram, & auctæ ſunt aquæ, ſuſtuleruntque Arcam, ut eleuaretur ſuper Terram.

Factumque eſt Diluuium quadraginta diebus ſuper Terram, & multiplicatæ ſunt aquæ, & elevauerunt arcam in ſublime à Terra.

Invaluerunt autem Aquæ, auctæque ſunt vehementer ſuper Terram, inceſſitque Arca ſuper Aquas.

Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in ſuperficie Terræ, porro Arca ferebatur ſuper aquas.

Inualuerunt itaque Aquæ ſupra modum in Terra, opertique ſunt omnes Montes excelſi, qui fuerunt ſub uniuerſo cœlo.

Et aquæ præualuerunt nimis ſuper Terram, opertique ſunt omnes Montes excelſi ſub univerſo cœlo.


Quindecim cubitis inualuerunt Aquæ ſupernè, ut operirentur Montes.

Quindecim cubitis altior fuit Aqua ſuper montes, quos operuerat.

Hydrometram agit accuratum Moſes incrementa Aquarum ſucceſſiua præciſe denotans, ad cubitos uſque tandem. Primum id fuit, quo Arca Terræ inſidens fuit *ſublata* & *ſuper Terram eleuata* v. 17. ſecundum, quo *auctis ſuper Terram vehementer Aquis inceſſit Arca ſuper Aquas* v. 18. Quæ incrementa debebantur *tum ruptis Abyſſi magnæ fontibus, tum feneſtris cœli apertis*, pluuiæ quadrageſimali: qua finita perrexerat, ſed tardius, prorumpere Aqua ex viſceribus Terræ, & ſuperne effundi per pluuias, licet interruptas, ad usque finem 150. dierum. Gen. VIII. 3. memoratoram, qui locus inſeruit explicandis verſibus 19. & 20. præſentis capitis.

Sed ubi quæſo, inueniemus in toto Globo Terraquaerio tantam Aquæ copiam, quæ inducendo Diluuio & cooperiendo Terram ad montium usque cacumina, & ultra par eſſe poterat? Hic Rhodus, hic ſaltant ἐμπαίκται & hoſtes αὐθεντίας Codicis ſacri; ut fuerint, qui exhauſtis omnibus Terræ, Marium, Aeris Theſauris ſeptem inſuper, calculo ſubducto requirant Oceanos, pro Diluuii quale deſcribitur inductione, & noua prorſus hi illiue finxerint Syſtemata. Pugnandum heic iisdem, quibus Adverſarii utuntur, armis, ineundus computus, oſtendendum, ſatis adeſſe aquarum tum in viſceribus Terræ, tum in promtuariis Aeris ad Globum inundandum. Effectui dedi id *Diſſ. de Diluuio*, & nunc, ne actum agere videar, hoc opere ſuperſedeo. Omni calculo ſi addatur depreſſio ſtratorum, diminuetur valde diameter ſolidæ Terræ, urgebuntur ſurſum majori impetu Fontes Abyſſi, nec ullum remanebit dubium de poſſibilitate Cataclyſmi. Imo ex ipſo ſtratorum, qualia nunc ſunt ſitu, grauitati ſpecificæ plerumque reſpondenti, colligere neceſſe eſt, ingentem fuiſſe fluidi altitudinem, per quam corpuſcula terreſtria ſoluta deſcenderent. Ut proin nos non prorſus morentur *Voſſius, Clericus, Stillingfleet, Peyrerius* Præ-Adamitarum ille Patriarcha, qui tædioſum forte effugituri calculum confugere maluerunt ad *diluuium particulare*, quos omnes vel ſolæ reliquiæ Diluuii in Summis Alpium Helueticarum jugis obviæ abunde refellunt & ſolidè, λείψανα taceo innumera in omni parte orbis reperiunda. Sed nec opus confugere ad Aquarum Diluuialium creationem & cataclyſmò finito reannihilationem. Qui hanc fouent opinionem eos ablego ad D. *Auguſtinum* Lib. II. de Gen. ad lit. *Nunc quemadmodum DEVS inſtituerit naturas rerum, ſecundum ſcripturas ejus nos quærere conuenit. Non autem, quod ipſe in iis vel ex iis miraculum omnipotentiæ ſuæ velit operari.*

Cui proin condere lubet Syſtemata, ut licitum eſt cuiuis, ei ſuadeo, ut pro baſi ponat non intellectus præcipites raptus, & vaga μετέωρα, ſed Scripturam Sacram, Experientiam, Terræ imprimis præſentem ſtructuram, & ipſa inundationis fatalis monumenta: Phænomena ſoluat ita, ut nec Scripturæ inferatur vis, neque cogitata cum natura rerum diſſentiunt: ſegreget certum ab incerto, hocque ſuſpendat, donec diſſipatis obſcuritatis tenebris lucem inducat Veritatis. Ad miracula tandem non confugiat



GENESIS Cap. VII. v. 17-20.
Diluvii fatalis Progreſsus.

I. Buch Moſis Cap. VII. v. 17-20.
Fortgang der Sündflüth.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB

fugiat, niſi id poſtulet vel expreſſum DEI Verbum, vel ineuitabilis neceſſitas, & operis omnes Naturæ vires excedentis magnitudo.

Ab his bonæ Hypotheſeos regulis haud abſceſſurum me confido, ſi ſtatuero:

1. Terram, quæ quidem punctulum eſt, collatam cum aliis Corporibus totalibus plus ſatis continere Aquarum, quibus inundari poſſit ad altitudinem milliaris, non Aquam irrigatam tantum, ſed totam perfuſam. Hydrophylaciorum ingentium, quorum quidem locus præciſus haud conſtat, promum condum quæ inter & Oceanos, aliasque Aquas, Aerem, terram, conſtans eſt circulatio & Æquilibrium.

2. Certum, prorupiſſe aquas ex his Abyſſi Fontibus, incertum autem modum, an id fuerit factum Ignis ope? an ſubitaneo gyrationis Terræ arreſto? Cometa mediante? mediis aliis? quorum infinita ſunt in DEI immediatè agentis arbitraria & potentiſſima manu.

3. Probabile, potiorem ad hanc inundationem contuliſſe partem Aquas Abyſſinas, quæ primo etiam loco nominantur, minorem cœli feneſtras.

4. Incertum, an primi Orbis Montes depreſſiores fuerint noſtratibus, ſed id certum, cacumen montis Ararat depreſſius fuiſſe Aquis Diluuialibus: certum quoque eſſe, & noſtros montes, etiam altiſſimos productum Diluuii & ex alibi demonſtratis conſtare.

5. Certum, & vel ex Stratorum ordinatiſſima διαθέσει demonſtrabile, diſſolutam fuiſſe prorſus Terræ primæuæ ſaltem corticem, partim nempe à Violentia Aquarum è fontibus Abyſſi undique proſilientium, partim à vi Aquarum pluuialium, Pluuiæ tum quadrageſimalis, tum nonageſimalis: diſſolutas terreſtres particulas in Aquis aliquandiu ſuſtentas, poſt juxta grauitatis Leges præcipitatas. Unde ſequitur, fuiſſe in hoc ſtatu Terræ nucleum undique Aquis circumfluum, qualis fuerat olim in Creatione, & nunc iterum exhibetur Fig. I. attamen in ſua ſtrata diuiſum.

6. Hæc ſi ita ſe habuerint, pronâ fluit conſequentia Diluuio executioni dato Terram hancce nouam *informem* ac *vacuam*, ut redderetur arida, habitationi apta, fuiſſe fractam, ſtrata eleuata, & ſic ſtructuram prodiiſſe inæqualem in montes valleſque diuiſam, quæ primo intuitu ſpeciem habet ædificii in proprias collapſi ruinas. Sed abſit, ut cogitemus, facta hæc fuiſſe caſu fortuito. Eſt eleuatio hæc ſtratorum ſapientiſſimè ordinata, Ædificii extructio, non caſus productum. Heic autem minimè ſuffecerant Leges Naturæ Mechanicæ, applicata vis divina, uti in prima Terræ Creatione. Hunc novæ Terræ ſtatum, quomodocunque exprimit Fig. II. Sectione facta per circulum maximum Æquatorem.

7. Hac ipſa Stratorum Terræ eleuatione, Montium erectione, Vallium depreſſione, eaque graduali ad littora usque, imo fundum, Maris, ortæ fuere in viſceribus Terræ cauitates, in quas ſeſe recipere poterant Aquæ Diluuianæ, Fluminibus, Fontibus, Nubibus ſcaturigines ſuas daturæ.

8. Clarum ex his, rebus ſtantibus, columnis interaneis hanc Terram ſuſtinentibus, Montes ſuffulcientibus, Terram ex naturalibus cauſis non amplius inundatum iri, ſed tunc demum, ſi DEO jubente, ruinoſæ columnæ ſubeſæ in Terræ cauitates delaberentur, Aquas Abyſſinas denuo proſilire, Terramque inundare poſſe.

9. Fuiſſe montes ante Diluuium conſtat non tam ex Textu, quàm Prov. VIII. 24. 25. Joh. XV. 7. Pſal. XC. 1. 2. quo veluti triſulco fulmine proſternitur, quicquid contra Montium Antediluuianorum exiſtentiam produci poſſet. Poſcebat illos vel ſolus Aquarum per Plana inclinata defluxus.

10. Poſcebat Aquarum ſupra montes eleuationem ad 15. cubitos ſiue 24$\frac{5}{8}$. Pedes Pariſinos πανολεθρία viuentibus deſtinata, Arcæ in monte Ararat ſubſidentia, partium terrearum præaltam Aquæ columnam præcipitatio. An vero ea fuerit Aquarum altitudo, quæ non ſolum montes Aſiæ, ſed & altiſſimas Europæ Alpes in eo, quo nunc ſunt ſtatu obtegere potuiſſet, certo affirmare non auſim.

TAB. XLVI.

Geneſ. VII. verſ. 21. 22. 23.

Et expirauit omnis caro, quæ reptabat ſuper Terram, volucrium, jumentorum, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ repunt ſuper Terram, Uniuerſi denique Homines.

Et quicquid erat, in cujus naribus ſpirabat flatus vitæ, de omnibus, quæ in ſicco (degunt) mortua ſunt.

Deletumque eſt omne, quod ſubſiſtebat, quodque erat in ſuperficie humi, tam Homines quam jumenta, reptilia, volucres denique cœli, deleti inquam ſunt de Terra, ut ſolus Noah ſuperſtes maneret, & quæ cum eo erant in Arca.

Conſumtaque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper Terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper Terram.

Uniuerſi Homines & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra mortua ſunt.

Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper Terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli, & deleta ſunt de Terra: remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in Arca.


PRoſternunt hi tres verſiculi omnes Particulariſtas, quos & refutat muta ſimul ac eloquentiſſima natura, ubique terrarum hanc gerens inſcriptionem

ET HEIC CATACLYSMVS ADEST.

Adſunt nempe ubique veſtigia diluuianæ illius Cataſtrophes: ſed & ubique præjudiciis excœcati, qui apertis oculis nihil vident, imo videre nolunt ante oculos pedesque jacentes Diluuii reliquias, quas referre malunt ad caſum fortuitum, Naturæ, neſciunt quem, luſum, Ideas Plaſticas, alia ejusmodi ignorantiæ Aſyla, quam ad genuinos fontes Infeliciores ipſis tum Gentilibus, tum Judæis, qui ſolo Naturæ filo ducti, hanc, quam aſſeremus & diuerſis conſecutiue Tabulis exhibebimus Veritatem agnouerunt. Teſtimonia lege apud *Strabonem* Geogr. L. I. p. m. 45. Edit. Baſ. *Philonem de Mundo* p. 1168. Edit. Pariſ. Patres ſi velis teſtes, adi *Tertullianum* de *Pallio* p. 530. Ed. Baſil. Si Reformatores, *Lutherum* Com. in Gen. f. 22. Taceo longam modernorum & perſpicaciſſimorum virorum phalangem, qui Hypotheſin hanc ad Veritatis demonſtratæ redegerunt certitudinem, Felicius longe philoſophari videas ſimpliciſſimos ex ruſtica progenie, qui de foſſilibus Lignis profunde ſub Terra demerſis, Piſcibus, Plantis, Conchyliis in Saxis reperiundis ex tempore & bene judicant, Diluuii eſſe reliquias. Felicius, inquam, illis Pſeudophiloſophis, qui Sophismatum ſubtilitate veritates etiam clariſſimas obſcurare, & difficultatum tricis omnia irretire tentant.

Inſcriptum Diluuii teſtimonium quibusuis, etiam Marpeſiis, cautibus. Conſidera *Montium* ſtructuram, in ordinatiſſima ſtrata diſpoſitam, imo ex iis extructam, videbis, indices eſſe ſedimenti in altiſſima Aquæ columna facti, ut & rupturæ ex poſt introductæ, certiſſimos. Judicabis ex horum ſtratorum parallelismo, fracturis, curuaturis, mire variantibus, τὲν μέν γῆν ὑπόςασιν ἐιναι, καὶ τρύγα τοῦ ὕδατος, quam veritatem ex natura rerum elicuit *Metrodorus* apud *Plutarch.* de *Placit. Philoſ.* L. III. c. 9. pluribus hanc veritatem demonſtratam dedi in *Oreographia* mea *Helvet.* Interim heic ſpeciminis loco Lectori exhibeo miræ configurationis Strata prouti ea viſuntur in circuitu Lacus Urii, verſus ortum imprimis & occaſum.

TAB.




Genesis Cap. VII. v. 21. 22. 23.
Cataclysmi Reliquiæ.

I. Buch Moſes Cap. VII. v. 21. 22. 23.
Überbleibſelen der Sündfluth.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB


JCB



I. A. Corvinus sculp.


JCB

TAB. XLVIII.



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



Sceleti hujus longitudo integra 18. poll. 2. lin. Pariſin.

I. A. Corvinus ſculp.

TAB. XLVII.

PErgo ad reliquias ex *Regno Vegetabili*, offerunt ſe heic *Ligna*, *Folia* , *Fructus*, *Plantæ integræ* , Lapidibus impreſſæ, in ſtratis ſubterraneis obviæ, fibrillarum etiam minimarum ſtructurâ analogis ſuis æmulæ, imo originales ipſæ in ſtrata occaſione diluuii demerſæ, diſtinguendæ probè â Dendritis, Jaſpidibus, Marmoribus Florentinis. Animus non eſt ſiſtere, quas collegi, omnes, ſed ſelectiores duntaxat, & quæ imprimis pro veritate, quam defendimus, militant. Qui integram, quam haberi poteſt, deſiderat Plantarum hujus generis Hiſtoriam, adeat *Herbarium* meum *Diluuianum* ſecundæ Edit. Lugd. Bat. 1725.

Ex Graminum Familia adſit

Fig. I. *Gramen* quoddam frequenter geniculatum, foliis è geniculis prodeuntibus in extremo bi - & trifurcatis.

Fig. 2. *Graminis panicei* ſpica, ſi non Julus eſt *populi nigræ*.

Fig. 3. *Arundinis* cujusdam folia, quæ *Neurophylli*, *Striatulæ* aliis veniunt nominibus, una cum *Gallio albo* eidem Lapidi impreſſo.

Fig. 4. *Equiſetum* Paluſtre polyſpermon breuioribus ſetis C. B.

Fig. 5. *Filicis* ſpecies, breuioribus foliis.

Fig. 6. *Filix* mas folio dentato C B. in qua inprimis notatu digna puncto aterrimi coloris in foliis conſpicua, irrefragilia Plantæ epiphyllo - ſpermæ indicia.

Fig. 7. *Filix* foliis longis duodecies pinnatis ſeu conjugatis, impari claudente extremum ſcapum.

Fig. 8. *Filicula* Fontana major ſeu Adianthum album Filicis Folia. C B.

Fig. 8. a. Hordei ſpica immatura.

TAB. XLVIII.

Fig. 9. *Caryophyllus marinus* ſiue Fungus marinus lapideus pyxidatus.

Fig. 10. *Fungus* terreſtris lapideus.

Fig. 11. *Populi nigræ* folium.

Fig. 12. Folium *Tiliæ*.

Fig. 13. *Hyacinthus botyroides* ſeu racemoſus & ramoſus flore arbuteo cœruleo.

Fig. 14. 15. Populi albæ folia.

Moris. Planta una ex rariſſimis Foſſilibus; item os aliud ſaxo immerſum Muſei Eſcheriani Fig. 16.

TAB. XLIX.

PPomoueo pedem à Plantis ad *Hominem* πανωλεθρίας illius cauſam primariam, cujus peccata luere debebant innocentes aliæ victimæ. Hujus quod mirum, ſuperſunt pauciſſima monumenta. Non poſſedi hactenus niſi *Vertebras* binas *dorſales* Fig. 14. lapidefactas prorſus & atro ſplendore nitentes. Sed A. 1725. ἀγαθῇ τύχῃ Muſeo meo ex Oeningenſi dioeceſeos Conſtantienſis Lapicidina illatum inter alia μνημόσυνον attentione tanto dignum magis, quia indubium, quia non unam exhibet partem, ſed bene multas, imo pene dimidium Sceleton. Quia non duntaxat impreſſa figura, ex qua vaga & ſuperba imaginatio fingere poſſit quidlibet ex quolibet, ſed ipſa lapidi immerſa ſubſtantia Oſſium, imo carnium, & partium carnibus molliorum, præciſa in magnitudine proportio: verbo, λείψανον maledictæ illius & Aquis ſepultæ Gentis, unum ex rariſſimis. Idque duplex ex parte ante, & ex parte poſt. Sufficiat heic poſterius inſeruiſſe, utpote completum magis, neque id tamen naturali, ſed contractiori magnitudine. Viden' igitur in

Fig. 15. a. b. c. peripheriam Oſſis frontalis. d d. orbitas oculorum e. foramen infra orbitale deſtinatum tranſitui neruorum quinti paris. f. reliquias vel ipſius Cerebri, vel tegentis id Duræ Matris. g. orbitarum ocularium fragmina lacera. h. Oſſa cribroſa & ſpongioſa. i. Os vomeris Naſum diſterminans. k k. Os jugale. l. Oſſis quarti maxillaris latam, quæ genas conſtituit portionem. m. Naſi reliquias. n. Maſſeteris portionem ſat amplam. o p. o p. Orthographicam ſectionem, quæ tranſit per apophyſin condyloden, maxillæ inferioris ad angulum usque hujusdem maxillæ. Vertebras porro numero 16. ſuis ordine numeris 1. 2. 3. &c. notatas, quarum pleræque ſuos habent proceſſus transverſos, nunc denudatos, nunc tectos. q. Proceſſum ſcapulæ Coracoidem. r. Coſtam primam cute lapidea tectam. s. Hepatis haud obſcura ex ſitu conjicienda λείψανα.


TAB. L.

EX *quadrupedum* Familia multo plures oſtendimus reliquias quam ex Hominum; Oſſa integra in Stratis depoſita, imo & Saxis immerſa, quorum ſubſtantia, præciſa magnitudo, Figura Apophyſes, Epiphyſes, Cauitates, Foramina, δοκιμασία inſuper chymica nos dubitare non ſinunt, de prima ex Animalibus, imo ex hoc illoue. Quadrupedum genere, origine. Habemus λείψανα é genere Equino, Bouino, Ovillo, Ceruino, Elephantino, Lacertarum, ipſorum denique, quæ Quadrupedibus annectuntur, Serpentum: Sufficiant in præſentiarum nonnulla ſpecimina.

Fig. 17. Dens *Elephantinus* molaris, Muſei Kiſneriani.

Fig. 18. Tab. XLVIII. Dentes aliorum Quadrupedum Foſſiles.


TAB. L.



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB


RPJCB



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB


20



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

TAB. LIII.



I. A. Corvinus sculp.

TAB. LI.

Fig. 19. *Hippopotami* marini, *Roſmarus* dicti Monumentum Bononiæ repertum, à Cl. *Monti* deſcriptum.

TAB. LII.

Fig. 20. *Crocodili* duò Monumenta, unum majus ex Muſeo Linkiano, alterum minus ex Muſeo Speneriano.

TAB. LIII.

Fig. 21. *Viperæ* Sceleton ex Muſeo proprio, cujusdem ſunt pleraque hactenus recenſita, pleraque etiam ex iis, quæ porro delineanda veniunt.

Qui *Auium* conſiderat texturam, Oſſa, plumas, pennas, omnia ad levitatem diſpoſita, is non mirabitur, pauciſſima ſupereſſe & pene nulla ex illis diluvii monumenta. Interim ſiſtit ex proprio Muſeo

Fig. 22. *Caudæ Auis*, vel remigem, *pennam* lapidi fiſſili Oeningenſi affabré impreſſam.

Sunt &, ex cauſa jam allegata, rara in Muſeis *Inſecta* diluuiana. Submerſioni ob levitatem vix erat locus. Sed hæc ipſa leuitas, facilis ad corpora grauiora adhæſio, multorum glutinoſitas, in cauſa fuere, ut adhuc ex iis, quæ ante Diluuium vixere, nonnulla ſuperſint. En

Fig. 23. *Scarabeum* in lapide fiſſili Oeningenſi.

Fig. 24. *Libellam* ex Agro Veronenſi.

Fig. 25. *Libellam* in fiſſili Oeningenſi.

Arca *Piſces* erant excluſi, viuebant in ſuo Elemento Aqua, ſed ne Piſcibus triſtiora ſubirent fata Animalia alia, pereundum fuit & illis, non ſeruatis, niſi Generibus & Speciebus. Tanta certe occurrit Piſcium ante-diluuianorum copia atque varietas, ut periiſſe magnam, imo forte maximam exiſtimem partem; marinos, qui miſcelam Aquæ dulcis ferre non poterant: lacuſtres & fluuiatiles, quorum ſtructura Aquæ ſalſæ fuit incompatibilis: ſuffocati plurimi in craſſamento cœnoſo atque lutoſo, cui forte ſeſe immergebant, effugituri mortem mortis factæ victimæ. Sequebantur magno numero alii alios, & gregatim in ſcyllam, volentes euitare Charybdim, unde in eadem ſæpe fodina, vel Lapicidina inuenias ejusdem generis bene multos, in aliis nullos. Nec, quod notari velim, ſupereſt umbratilis quædam Piſcium figura, ſed tota penè ſtructura, caput, cauda, pinnæ, vertebræ, ſpinæ, imo Caro ipſa. Ut nullum prorſus reſtet circa Monumentorum certitudinem dubium. Et quomodo poterat, quæſo, hoc Animantium genus, marinorum in ſpecie, ad loca à Mari remota, ad Montium præaltorum, ut ſunt Heluetici, viſcera deferri, niſi Inundationis illius uniuerſalis occaſione? Preſſius hæc & alia Argumenta ſtringo in *Piſcium Querelis atque Vindiciis*. Monent me & locus, & tempus, ut oculis exhibeam nonnulla hujus generis Monumenta.

Fig. 26. Dens eſt *Carchariæ* Piſcis maximus ſerratus Melitenſis.

Fig. 27. Dens piſcis falcatus & ſerratus Hildeſienſis:

Fig. 28. Dens piſcis maximus orâ non ſerratâ Carolinenſis.

Fig. 29. Dens piſcis tricuſpidatus paruus Faringdonenſis.

Fig. 30. Dens piſcis recuruus terretior Sheppejanus.

Sunt *Bufonitæ* ipſius *Piſcis lupi* dentes.

Fig. 31. *Bufonites* rotundus.

Fig. 32. *Bufonites* oblongus ſeu ſcaphoides.

Fig. 33. exhibet Piſcis ipſius Lupi Mandibulam cum Dentibus.

Fig. 34. Piſcis *Rhombo* vel *Ranæ* Braſilienſi ſimilis ex Agro Veronenſi.

Fig. 35. a. pertinet ad cruſtacea, *ſtellæ marinæ* caput cylindrico-coenoideum, extremitatibus contractis cum pedunculo Aſteriis ſeu Trochitis conſtante.

TAB. LIV.

FIg. 35. *Rhombus* minor ex Haſſia. Sunt Rhombi ex Piſcibus cartilagineis, ouiparis ſpinoſis, qui in latus projecti natant.

Ex claſſe Piſcium anguilli-formium, læuium, lubricorum, plerumque oblongorum adeſt.

Fig. 36. *Anguilla* in lapide fiſſili Glaronenſi, figura contractiori, quam eſt in Archetypo.

Fig. 37. *Muſtela* fluuiatilis ex Comitatu Mansfeldenſi.

Ex Piſcibus non-aculeatis, quibus duæ in dorſo pinnæ eriguntur, adſint

Fig. 38. *Albula* ex Landgrauiatu Haſſiæ.

TAB. LV.

FIg. 39. *Carpio* in fiſſili Oeningenſi.

Fig. 40. *Trochus* transuerſim reticulatus.

Fig. 41. Ex *Valuatis* albida plana ſeu leuiter ſtriata.

Fig. 42. *Valuata* reticulatis ſtriis.

Fig. 43. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina articulata, ſtriis alternatim ſingularibus & ab initio ſpiræ bifurcatis, ad marginem ſpiræ excurrentibus, ac ibi verſus caput lapidis reflexis, triplici quadrupliciue tuberculorum ordine exaſperatum.

Fig. 44. *Bulla* transuerſim & in longum ſtriata, hinc veluti reticulata.

Fig. 45. *Cochlea* ſpiris teretibus læuis.

Fig. 46. *Pectunculus* ſtriatus amplo in ora media ſinu donatus, inter marina vix obuius, inter foſſilia frequentiſſimus.

Fig. 47. *Buccinum* ſtriatum ſtriis crebris transverſim euntibus.

Fig. 48. *Dentalia* foſſilia.

Fig. 49. *Pectunculus* Pentagonus, ſtriis rarioribus, ſed profundius exſculptis, paruus, transuerſim quoque ſubtiliter ſtriatus.

Fig. 50. *Porcellana* ſeu *Concha Veneris* lapidea.

Fig. 51. *Tubulus* lineis annularibus Aſteriam fere referens craſſior.

Fig. 52. *Tubulus marinus* foſſilis paruus inſtar cornu Ammonis in ſeipſum reuolutus.

Fig. 53. a. *Tubuli* vermiculares contorti minimi.

Fig. 54. *Strombus* ſtriatus ſimul & tuberculoſus.

Fig. 55. *Buccinum* exiguum, transuerſim ſtriatum.

Fig. 56. *Strombus* transuerſim & in longum denſe ſtriatus, granulatus.

Fig. 57. *Buccinum* ſtriatum ſtriis tenuiſſimis transuerſim undulatis.

Fig. 58. *Buccinum* ſtriis transuerſis ſubtiliſſimis & coſtis à ſummo ore ad apicem elatioribus præditum, ſpiris in medio acuminatis, & velut tuberculoſis.

Fig. 59. *Tubulus marinus* foſſilis craſſior & productior.

Fig. 60. Concha curuiroſtra à cardine ad oram productior, dorſo elatiori.

TAB. LVI.

FIg. 61. Piſcis ſingularis prorſus, roſtro acu-formi prælongo inſtructus, ad *Acum* forte referendus, ſi non eſt *Xiphias*, in fiſſilibus Glaronenſibus obuius.

Fig. 62. *Piſciculus* ex minimis, vix niſi armato oculo conſpicuus, ſed cum ſpinis ſuis in fiſſili Oeningenſi.

Sunt Animalia cruſtacea, cortices imprimis ſiue cruſtæ, quibus pro ſui defenſione obteguntur, miræ leuitatis, ut non mirum, ſupereſſe ex *forcipatis* pauca, in proportione ad Teſtacea, ex *punctulatis* plura, quoniam hæc facilius impleri poterant materia vel arenoſa vel cretacea. Neque eſt dubium, primis à Diluuiana Inundatione annis Cruſtaceorum reliquiis Terræ ſuperficiem fuiſſe paſſim obtectam.

Fig. 63. Tab. 56. *Pagurus* lapideus.

Fig. 64. *Aſtacus* fluuiatilis.


Fig. 65. *Echinus* Ouarius.

Fig. 66. *Echinus* Vertice planiore, ſtriis è Tuberibus quibusdam grandioribus conflatus.

Fig. 67. *Echinus* galeatus.

Fig. 68.


TAB. LIV.



I.A. Corvinus sculp.


RPJCB

TAB. LV.



I. A. Corvinus sculp.


RPJCB



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

JCB



I. A. Corvinus sculp.

Fig. 68. *Echinus* cordatus ſ. ſulcatus.

Fig. 69. Siſtit *Echinorum* varias *ſpinas* & Sceleti interioris oſſicula, quorum ſpeciali enumeratione ſuperſedeo.

Fig. 70. Sequuntur *ſtellarum marinarum* obuii ſparſim articuli.

Numeroſa eſt imprimis *Teſtaceorum* à Diluuiana ſtrage reſiduorum ſeges, de quarum prima ex Mari & fluuiis origine nemo ferè hodie dubitat, nec dubitare ſinunt quenquam Teſtæ ipſæ in ſubſtantia reſiduæ, figura, circumuolutiones, muſculorum veſtigia, ſtrata ſuperſtrata, aliæ circumſtantiæ eædem prorſus cum fluuiatilibus & marinis analogis, locatio quoque in ordine ad ſpecificam grauitatem; Ex plurimis ea præprimis ſeligam, quorum analoga hactenus vel nondum ſunt cognita, vel rarò obuia, proin Hiſtoriæ conchyliorum inſignem poſſunt affundere lucem.

Ex Cochleis uniualuibus in ſe retortis ſiſtat ſe

Fig. 71. Nautilus in ſuas concamerationes diſtinctus.

Cornua Ammonis ſunt ex iis, quorum analoga pauca ſunt cognita ex Hiſtoria maris, ut dubium haud ſit, eſſe, quæ reſpondent noſtris mirè variantibus foſſilibus ἐμβύθια ſiue pelagia, imi Maris incolas, qui etiam grauiſſimis tempeſtatibus non ejiciuntur ad littora, diſtinguo in *ſpinata* & non *ſpinata*.

Fig. 72. *Cornu Ammonis* non ſpinatum craſſius ſeu ſpiris teretibus læue, tuberculorum unico ordine utrinque in ſummo orbe cinctum.

Fig. 73. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriatum ſtriis nunc ſimplicibus, nunc bifurcatim totam ſpiram extimam trajicientibus.

Fig. 74. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum ſtriis infaſtigium acutum eleuatis & bifurcatim orbem extimum trajicientibus.

Fig. 75. *Cornu Ammonis* ſpinatum ſpina prominula craſſiori & nodoſâ ſtriis ſimplicibus, recta ad marginem excurrentibus, initio & fine craſſioribus, & in ipſo margine in tubercula eleuatis, ibique verſus caput lapidis reflexis.

Fig. 76. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina extima ſenſim ad ſpinam decliui, ſtriis plerumque bifurcatis, in ſpina elatiori ad angulos valde acutos concurrentibus.

Fig. 77. *Cornu Ammonis* ſpinatum ſpinæ loco in ambitu crenatum, valde compreſſum, læue, ſpira latiori unica terminatum.

Fig. 78. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ſimplicibus undatis, ad ambitus marginem in tubercula eleuatis, indeque bi- & trifurcatim atque arcuatim trajicientibus.

TAB. LVII.

Fig. 79. Singulari attentione Tabulaque dignus *Lucius* meus in fiſſili Oeningenſi.

Fig. 80. *Chama* transuerſim rugoſa ſeu ſtriata.

Fig. 81. *Concha* foſſilis *Tellinoides* poroſa læuis.

Fig. 82. *Cochlea* Cylindroides maxima.

Fig. 83. *Chama* rotunda transuerſim rugata & ſtriata compreſſa.

Fig. 84. *Chama* valde conuexa roſtro adunco, transuerſim rugata & ſtriata, alata.

Fig. 85. *Concha* rhomboidalis ſiue inæqualis rotunditatis.

Fig. 86. *Pecten* latioribus ſtriis.

Fig. 87. *Pectunculi* ſtriati.

Fig. 88. *Bucardites* ex utraque parte conuexus, & ſpina eminente donatus.

Fig. 89. *Chama* cordiformis valde conuexa.

Fig. 90. *Tubuli* vermiculares contorti minimi vid. fig. 53.

Fig. 91. Ex *Turbinatis* teſtaceis corpore breuiori, orbe primo amplo, ore rotundo, adeſt heic Cochlea ſeu *Trochus* lapideus, conf. quoque Fig. 40.

Fig. 92. *Pectunculus* exiguus capillaribus ſtriis præditus.

Fig. 93. *Chama* læuis utrinque valde conuexa, roſtro valde adunco.

Fig. 94. *Chama* læuis ſubrotunda.

Fig. 95. *Chama* ex altera Cardinis parte valde producta & acuminata, ex breuiori rotundata.

Fig. 96. *Chama* cordiformis ſtriis transuerſis & longis quaſi reticulata, roſtro minus recuruo, parte altera planiore, quam in aliis Cartiſſis.

Fig. 97. *Muſculus* anomius ſubrotundus, valua inferiore unica lacuna præditus. Notandum de his anomiis, inter marinas hactenus, quod ſciam haud inueniri.

TAB. LVIII.

FOſſilibus detegendis facem præferre poteſt

Fig. 98. *Caput Meduſæ*, Diluuii unum ex maxime egregiis Monumentis, ex Agro Ducatus Wirtembergici, quod publicæ luci expoſuit Exc. *Eberh. Frider. Hiemer* Sereniſſimo Duci à Conſiliis Sacris & Aulicis. Sed ſunt monendi imo rogandi Hiſtoriæ naturalis Cultores, ut ex ſpeciali variarum ſtellarum Anatome, penitius inquirant in analoga his aliisque foſſilibus marina.

Fig. 99. *Pecten* valde compreſſus denſe ſtriatus.

Fig. 100. *Muſculus* anomius a cardine ad extremam oram longior.

Fig. 101. *Muſculus* anomius a cardine ad oram breuior rotundatus.

Fig. 102. *Concha* ab uno latere breuiſſima, ab altero longiſſime excurrens ſtriata.

Fig. 103. *Strombi* majoris ſecundum longitudinem ſtriati ſpira, impreſſionibus foliaceis inſignita.

Fig. 104. *Muſculus* longus & anguſtus.

Fig. 105. *Muſculus* ventricoſus transuerſim ſtriatus, vel rugoſus, figura muſculorum ex fluuiatilibus.

Fig. 106. *Muſculus* maximus è fluuiatilibus.

Fig. 107. *Conchæ* cordiformis ſeu *Cartiſſæ* ſpecies roſtro recuruo.

Fig. 108. *Pectunculus* ſubſphæricus.

Fig. 109. *Muſculus* anomius duabus in longiore, tribus in breuiore valua lacunis excauatus.

TAB. LIX.

SEquuntur reliqua *Ammonis Cornua.*

Fig. 110. *Cornu Ammonis* non ſpinatum læue, valde compreſſum ſpirâ latiori unica horizontaliter excurrente terminatum.

Fig. 111. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, in extimo ambitu ſulcatum ſtriis ſimplicibus ad ſulcum uſque excurrentibus.

Fig. 112. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis rectà ad marginem uſque excurrentibus, & plerumque in binos tuberculorum ordines eleuatis, ſuturis vero ſerpentino ductu ſpiram & ambitum extimum trajicientibus.

Fig. 113. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio ſpiræ bifurcatis.

Fig. 114. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, denſè ſtriatum, craſſius & teretius ſtriis à media ſpira extima bifurcatis.

Fig. 115. *Cornu Ammonis* non ſpinatum dorſo planiori, ſtriis in tubercula eleuatis, indeque bifurcatim orbem extimum trajicientibus.

Fig. 116. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, in extremo ambitu ſulcatum, ſtriis aliis ſimplicibus, aliis bifidis, rectà ad ſulcum uſque excurrentibus ibique in capitula paulo tumidiora terminatis.

Fig. 117. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, denſè ſtriatum, craſſius & teretius, ſtriis bifurcatim & trifurcatim ſpiram extimam trajicientibus.

Fig. 118. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio in tubercula eleuatis, indeque bi- & trifurcatim orbem extimum latiorem & planiorem trajicientibus.

Fig. 119. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſed ſpinæ loco in planitiem conuexam eleuatum, tribus tuberculorum ordinibus exornatum, ſtriis arcuatis & bifurcatis vel trifurcatis.

Fig. 120. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio ferè in tubercula eleuatis, indeque trifurcatim & quadrifurcatim orbem extimum veluti ſulcatum trajicientibus.

Fig. 121. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio elatioribus, & in media ſpira, bi-tri-quadri-quinque- & ſexti-partitis, ambitum trajicientibus.


Fig. 122. a. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriatum ſtriis quadri-partitis quinque-partitis, in 6. vel 7. etiam ramulos diuiſis, & ſic ſpiram & ambitum extimum trajicientibus.

Fig. 122. b. *Cornu Ammonis* ſpinatum, tæniola ſpinæ loco ſpiram extimam ambiente, valde compreſſum, læue vel undatis ſtriis partim eleuatis donatum, unica circumvolutione terminatum.

Fig. 123. *Cornu Ammonis* ſpinatum læue, teres, corona tuberculorum in extremo margine cinctum, ſpina acuta parum prominulâ.

Fig. 124. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpinæ loco in ambitu extremo acutâ prominulâ, plurium circumvolutionum, ſingulis ſpiris depreſſione quadam veluti per totam longitudinem diuiſis, ſtriis ſimplicibus undatim in forma literæ S ad oram extimam excurrentibus, parum ultra ſuperficiem planam eleuatis.

Fig. 125. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina in ambitu extremo acutâ prominula plurium circumuolutionum ſtriis ſimplicibus arcuatim ad



I. A. Corvinus sculp.


RPJCB



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

RPJCB



I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. VIII. v. 6. 7.
Corvus evolans.

I. Buch Moſis Cap. VIII. v. 6. 7.
Der ausfliegende Rabe.

I. G. Pinz sculp.

ad oram excurrentibus, craſſioribus & elatioribus.

Fig. 126. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpinæ loco tæniola cinctum, ſtriis ultra planam ſuperficiem parum eleuatis, verſus marginem ſpiræ euaneſcentibus.

Fig. 127. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina binos inter ſulcos eminente, ſtriis ſimplicibus recta ad marginem excurrentibus, ibique paulo incraſſeſcentibus, & ad caput lapidis reflexis.

Fig. 128. *Cornu Ammonis* ſpinatum craſſius, ſtriis undatim & bifurcatim ſpiram trajicientibus, & in tænia veluti articulata concurrentibus, angulosque varios, acutos, obtuſosque formantibus.

TAB. LX.

Fig. 129. *Pinna* lapidea.

Fig. 130. *Oſtreum* lapideum ad oram extremam profunde plicatum.

Fig. 131. *Oſtreum* plicatum majus.

Fig. 132. *Oſtrenm* rugoſum dorſo eleuato, cauitate magna præditum.

Fig. 133. *Oſtreum* rugoſum valde & inæquale, roſtro longo intus lacunato.

Fig. 134. *Oſtreum* rugoſum valde & aſperum recuruiroſtrum, cum ſuo operculo.

135. *Oſtreum* dorſo in acutum faſtigium eleuato, eodemque muricato; recuruiroſtrum, ſinu laterali juxta ductum dorſi profundo donatum.

Fig. 136. *Oſtreum* anomium rugoſum, roſtro ſubtereti & inſigniter adunco donatum, inter marina rariſſimum, inter foſſilia frequentiſſimum.

Fig. 137. *Oſtreum* biualue paruum, rugoſum, valde compreſſum & echinatum.

Fig. 138. *Oſtreum* prorſus ſingulare tranſuerſim plicatum, ſeu rugoſum, anguſti roſtrum, quod adſpexi hactenus pro caudæ cujusdam Animalis fragmento; non enim vidi niſi fragmina, e quibus ſolidiſſimæ petræ in ſummis Alpium Helueticarum jugis compactæ conſtant. Integrum poſtea vidi, idque unicum inter Nob. *Heſſii*, amici optimi, rariora.

Vidimus innocentium imprimis πανωλεθρίας victimarum ingentem numerum ſed ſelectum, majorem longe producturi σὺν ΘΕΩ, in *Theatro Reliquiarum Diluuii*, indubios, mutos licet, Diluuianæ illius inundationis teſtes, qui & Antiquitate, & nobilitate & ſinceritate Numismata, Obeliſcos, Pyramides, Inſcriptiones, aliaque priſci æui monumenta ſuperant, quantum lenta viburna Cupreſſi. Horreat iterum animo, qui juſtiſſimam à juſtiſſimo DEO Terræ & Terricolis inflictam pœnam ſibi repræſentat, imprimis ſi Mathematico calculo ſubducat Hominum, qui tunc temporis viuere poterant, & Aquis ſuffocari numerum, qui ad 11000. Milliones facile adſcendit, ad 80000. Milliones juxta *Grauens.* Calculum ipſum, ne prolixior ſim juſto, aliis linquo.

TAB. LXI.

Geneſ. Cap. VIII. verſ. 6. 7.

Factum eſt autem poſt quadraginta dies, ut Noah aperta feneſtra Arcæ, quam fecerat, coruum emitteret.	Cumque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noë feneſtram arcæ, quam fecerat. Dimiſit coruum.
Qui egreſſus [a] ultro citroque volitabat, donec ſiccarentnr Aquæ ſuper terram.	Qui egrediebatur & non reuertebatur donec ſiccarentur Aquæ ſuper terram.

(*a*) Exibat & redibat Ebr.

POſtquam *Aquæ magis magisque decreſcebant — & decimo menſe prima* (die) *menſis viſa ſunt cacumina montium* v. 5. nunc, elapſis 40. diebus, nimirum undecimo die undecimi menſis, vel 27. Febr. *Coruus* emittitur, ut ſpecularetur, an forte cadaueribus in terra alicubi nudata relictis, inſidere, vel à fœtore carnium allici poſſet, ſaltem ab oſſium nudatorum ſceletis, Teſtaceis, Piſcibus, imo & a frugibus, quibus quoque veſcitur.

Litem meam non facio, an, quod Hebræus vult Textus, redierit emiſſarius, vel non redierit, aſſerente hoc Græca Verſione, & ſubſcribentibus omnibus, præter *Procopium*, Patribus, & ipſo acri alias Hebræi Textus Vindice *Bocharto*, conſpirantibus & Ethnicorum fabulis de Coruo, qui ab Apòlline Aquatum miſſus non rediit, niſi poſt ficus maturas. *Ovid. Faſt. L. II.*

Immemor Imperii ſediſſe ſub Arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.

Imò & Judæis, qui volunt, Coruum emiſſum, quod Arcam intempeſtiua libidine polluiſſet. Mitto alias, quas recutiti habent, nugas, Coruum non deſiiſſe Arcam circumvolitare, nec iuiſſe, quo miſſus fuerat, de conjuge ſua ſollicitus, ne ab alio, ſe abſente, iniretur, id eſt, ne fieret Hanreus: colloquium Noæ cum coruo in *Bereſith Rabba* Sect. 33. Mihi non tanti videntur vel Autoritates vel rationes, ut ab originali textu deflectere opus habeamus.

Poterat & heic & in proximé ſequentibus Tabulis, Arca repræſentari fluido adhuc innatans.

TAB. LXII.

Geneſ. Cap. VIII. verſ. 8. 9.

Emiſit quoque Columbam à ſe, ut videret, ſi imminutæ eſſent aquæ ſuper Terram.

At Columba non inveniens, quo pedem reponeret, reuerſa eſt ad eum in Arcam, erant enim aquæ in ſuperficie univerſæ Terræ. Ille vero exerta manu recepit eam, introduxitque eam ad ſe in Arcam.

Emiſit quoque columbam poſt eum, ut videret, ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem Terræ.

Quæ cum non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reuerſa eſt ad eum in arcam, (aquæ enim erant ſuper uniuerſam terram) extenditque manum ſuam, & apprehenſam intulit in arcam.

SPeculatorem nuper egit, ſed infidum, *Coruus*, carniuora Auis, immund a rapax, nec eſui, nec ſacrificio apta: agit nunc *Columba*, auis graniuora, munda, mitis, & eſui & ſacrificio adhibita, quæ id ſingulare habet, ut ex locis etiam remotis ad nidum ſuum reuolet. Cadauerum reliquias anquirere debebat ille, & forſan oſſa vel carnes reportare, grana hæc σπερμολόγος Auis. De Coruo dubia mouimus, an redierit? Columbam rediiſſe, & mox, ut videtur, certum; addita à Moſe ratio. In Terra λιμναζομένη, ut *Joſephus* loquitur, ſtagnante, lacunoſa, ſaltem & uliginoſa, *non inuenerat, quo pedem reponeret. Erant enim Aquæ in ſuperficie Univerſæ Terræ.* Cacumina ſi excipias montium Aquis exerta.

De Tempore, quo emiſſa fuerit hæc Columba, ſilet Scriptor ſacer. *Joſeph. Scaliger* 40. dies ponit inter emiſſionem Corui & Columbæ. Probabilius emiſſam hanc fuiſſe vel ſimul cum Coruo, vel ſtatim poſt eum: & probabilius adhuc, ſeptiduo poſt Coruum emiſſam fuiſſe Columbam. Colligi id poteſt ex v. 10. *Quum expectaſſet alios adhuc ſeptem dies, rurſus emiſit Columbam ex Arca.* Eſt ſane heic σχέσις ad dies ſeptem præcedentes. Incidit proin hæc emiſſio in diem 4. Martii juxta receptam ſupra Hypotheſin.



GENESIS Cap. VIII. v. 8. 9.
Columbæ emiſsio.

I. Buch Moſis Cap. VIII. v. 8. 9.
Die aüsgelaſſene Taube.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. VIII. v. 10. 11.
Folium Olivarum.

I. Buch Moſis Cap. VIII. v. 10. 11.
Das mitgebrachte Oelblatt.

G. D. Heüman sculp

TAB. LXIII.

Geneſ. Cap. VIII. verſ. 10. 11.

Porro quum expectaſſet alios adhuc ſeptem dies, rurſus emiſit Columbam ex Arca, quæ veniens ad eum ſub veſperam.

Folium oleæ decerptum in ore ſuo (geſtabat) cognovit ergo Noah, quod Aquæ diminutæ eſſent ſuper Terram.

Expectatis autem ultra ſeptem diebus aliis, rurſum dimiſit columbam ex arca.

At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo; intellexit ergo Noë quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram.

Septiduo à primæ *columbæ* emiſſione elapſo evolat nunc ſecunda, nempe d. 11. Martii, & lætum noui Orbis parenti adfert nuntium. *Rediens ſub ejusdem diei veſperam folium oleæ decerptum in ore ſuo geſtabat*, non certe ex arbuſtetis Terræ Israelis, aut monte Olíueti, aut campis Aſiæ ſuperioris, quod voluere *R. Abba* Fil. *Cahana* & R. *Leui* in *Breſith. Rabba* c. 33. item *Peyrerius Syſt. Theol.* L. IV. c. 8. Falſa Diluuii particularis hypotheſi nixi, & ſiniſtra explicatione loci Ezech. XXII. 24. Clarum ex Textu, fuiſſe allatum Oleæ ramum, Aquarum ſuper terram imminutarum, indicium, & quî fuiſſet, ſi in Terra non Aquis tecta fuiſſet decertus? Aliis rationibus recenſendis ſuperſedeo, ut & refutandæ ridiculæ illi opinioni, quam legere licet ex dictamine recutitorum Doctorum in *Vajekra Raba* c. 31. qui volunt, decerptum fuiſſe ramum in Paradiſo terreſtri, quem finxerant Ebræi ſupra montium vertices, ab omni diluuio & tempeſtatibus immunem, & poſt illos nonnulli quoque Patrum.

Sed ubi felix illa ἐλαιόφορος Regio, quæ primum renati Orbis indicium Noacho dedit? Placet *Aſſyria Bocharto Hieroz.* P. II. L. I. c. 5. quod habeat oleas & oleum 2. Reg. XVIII. 32. & ne deſit ὁδηγὸς viatori, Columbæ is aſſociat Aquilonem, qui Auem ſponte quidem Regionem magis Auſtrinam quærentem illuc pulerit. Abſterreret me longa nimis via, ſi ibi Mons Ararat fuit, ubi volunt Armeni & Perſæ, & teſtibus peregrinatoribus nullæ creſcunt oleæ. Mihi dubium hocce nullam figit crucem. In Regiones illas, ubi alias non creſcunt, Aquarum ductu deferri poterat Olea, ut haud adeo longé ab Arca decerpi potuerit ramus. Sint Diluuianæ reliquiæ tranſportationis hujusmodi teſtes, Pinus in Anglia, Piſces, teſtacea marina in montibus Helvetiæ, Elephanti, Crocodili in Germania. Et probabile eſt admodum oleam hanc in Terra Aquis ex parte tecta recubuiſſe, ramis interim extra ſuperficiem extantibus, é quibus fuit folium decerptum, & judicaſſe inde Noachum, in tantum eſſe Aquas diminutas, ut Arbores ſeu ſtantes, ſeu jacentes apparere, extraue Aquas prominere cœperint.

Quod Columba Noacho attulit non fuit *ramus* Oleæ ſed *folium* עֲלֵה זַיִת טָרָף φύλλον ἐλαίας κάρφος, *folium oleæ decerptum* vel *carptum*, quod decerpi poterat ex Arbore ſtante vel cubante, imo & ex ramuſculis forté in Terra jacentibus, imo folium in terra jacens á columba ſuſtolli. Obſeruandum heic, eſſe hujus Arboris folia texturæ tenacioris, ut diu etiam ſub Aquis perdurent, Aquæ veluti & Solis radiis inuicta: ut communiter ſunt Arborum in Climatibus Orientalioribus folia: hinc uti hodie Indi tuguria ſua obtegunt foliis Palmæ, Ichthyophagi olim texerunt foliis Oleæ. Strabo Lib. XVI. vocat Μάνδρας, στεγαστὰς ἀπὸ φυλλάδος ἐλαίης, *Caſas Oleæ folio tectas.* Potuit quoque progerminare hoc folium ex Arbore foliis ante nudata, conſtat quippe, hanc Arborem facillimé protrudere noua & germina & folia, *Virgil.*

Traditur é ſicco radix oleagina ligno.

Et facilius tanto, ſi fuit hæc Arbor limo Diluuiano ex parte immerſa, partibus nutritiis admodum fœcundo.

Agnoſcimus folium Noacho allatum pro vero *Oleæ*, & quidem *ſativæ* Fig. O. folio, non *Oleæ* illius *ſubmarinæ*, de qua *Theophr. Hiſt. Plant.* L. IV. c. 8. *Plin.* L. XIII. c. 25. neque *Potamogeti anguſto ſalicis folio* C. B. quod ab Oleæ foliis haud multum abludit. Sane ex hujusmodi Plantæ vel ſubmarinæ vel Aqua-

ticæ ἀποσπασματίῳ non potuiſſet conjicere Noachus, quod quidem conjecerat.

Cognovit nempe Noachus ex allato ſibi Oleæ folio, quod *Aquæ diminutæ eſſent ſuper Terram*, non ſuſidiſſe duntaxat infra montium vertices, ſed & Aquis eſſe leuata τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, loca inferiora; prominere colles mitiores; memor loci natalis olearum, quæ non amant altiorum montium culmina, nec loca ima prorſus campeſtria, τὰ τῆς γῆς χήματα προσκλινῆ καὶ ὑψιλά, ut Florentinus loquitur L. IX. Cap. περὶ ἀέρος ἐπιτηδείꝫ ἐλαίας καὶ γῆς χημάτων vi. Columell. L. VI. c. 6. Pallad. L. III. c. 18. Talis fuit ſitus montis illius Oliuarum in Hiſtoria Paſſionis CHRISTI celebris. Paterentur nempe Oleæ in editioribus jugis à frigore & pruinis, in campis planis ab æſtu & nimio humore. Spem porro faciebat lætus Columba nuntius Noacho nunc per Anni feré integri decurſum incarcerato, non periiſſe Terram cum omni Vegetabilium, unde viueret, apparatu, ſupereſſe Arborum frugiferarum, germinaturarum reliquias. Inferre poterat inſuper, inueniſſe Columbam loca, ubi requieſceret, & non voláſſe auem tota die, nam ſub veſperam, quæ mane forte fuerat emiſſa, redierat. Debebat tentari optimi Viri judicium & patientia, ſed & dejectus animus erigi.

Et hæc forſan *Columbæ* adeo auſpicata legatio occaſionem dedit Orientalibus populis, quos dehinc ſecuti alii, Columbis utendi tanquam Legatis ſeu nuntiis, qui noua ab uno loco in alium portarent Plin. L. X. c. 37.

Ad marginem exhibet

Fig. A. Oleæ ramum oliuis onuſtum.
B. Florem Arboris hujus monopetalum veluti infundibili-formem quadripartitum cum calyce.
C. Eundem ſine calyce.
D. Fructum ouatum mollem.
E. Eundem oſſiculo fœtum.

TAB. LXIV.

Geneſ. Cap. VIII. verſ. 13. 14.

Factumque eſt ſexcenteſimo primo anno (menſe) primo, ejusdemque primo (die) exiccatæ ſunt Aquæ de Terra, amouitque Noah operculum Arcæ, & proſpexit, & ecce ſuperficies terræ erat ſiccata.

Porro in menſe ſecundo, vigeſimo ſeptimo die menſis, arefacta eſt Terra.

Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper Terram: & aperiens Noe tectum Arcæ aſpexit, viditque, quod exiccata eſſet ſuperficies terræ.

Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die menſis, arefacta eſt Terra.

LEgatorum eſt, Principibus ſuis fidelem narrare rerum, quas in commiſſis habebant, ſtatum, aſt noſter, *Columba ſecundo emiſſa non ultra eſt reuerſa ad Noachum* v. 12. ſed ipſa abſentia, ſilentium ipſum Patriarchæ fuit reſponſi loco. Inferre poterat inueniſſe Auem locum, ubi commode poterat & quieſcere & viuere. Noluit tamen præceps exire foras & carceres, ut ita loquar effringere, nec ſibi fidens, nec Terræ. Sana dictabat ratio temporis ſat magni decurſu opus eſſe ad exiccandam, quam forte præ oculis habebat, Terram πηλώδη, lutoſam & partim euaporatione, partim refluxu Aquarum in priſtinos & imos alueos. Proceſſerat illa lente, hæc lentius, quo defluebat magis Aqua ad Regiones campeſtres, inundatas haud dubie aliquandiu poſt egreſſum ipſius Noachi ex Arca, propter Stratorum ſoliditatem. Non plus vaporum ſurgere poterat in Atmoſphæram, quam par erat capiendis, hinc euaporatio tarda, & magis quidem ac magis. Sed nec voluit ſibi fidere Noachus, *ingreſſus fuit cum domo ſua in Arcam* vi mandati Diuini expreſſi Gen. VII. 1. Nunc præſtolatur ab eodem ſummo Legislatore mandatum, rogat & obtinet Gen. VIII. 15. 16. *Egredere ex Arca, tu & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.* Expertus hactenus optimam & prouidentiſſimam DEI manum per totum Diluuianæ Inundationis decurſum, Eidem DEO ſuo & Creatori & Conſeruatori in ſacrificium offert patientiam, Fidem, Spem, ſubmiſſionem pientiſſimam.

Eſt



GENESIS Cap. VIII. v. 13.
Tecti remotio.

I. Buch Moſis Cap. VIII. v. 13.
Das abgenom̄ene Archen Dach.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. IX. v. 12._17.
Signum Iridis.

I. Buch Moſis Cap. IX. v. 12._17.
Der Regen-bogen ein Gnaden Zeichen.

B S. Sedlezky sculp.

Eſt DEVS ordinis DEVS. Noluit ut areſceret Terra miraculo, ſed juxta Naturæ reſtabilitæ Leges, ſenſim ſine ſenſu. Teſtimonium gradualis hujus exiccationis dat Textus. Tò חָרְבוּ verſ. 13. vertimus per *ſiccum*, τò יָבְשָׁה *per arefacta eſt terra.* verſ. 14. ſcilicet magis ac magis euaporabat Aqua ex Terræ lutoſæ & humidæ poris, ſed & magis ac magis per plana inclinata defluebat.

Claudenda venit heîc Chronologia Diluuii. Conſtat ex Gen. VII, 11. initium Inundationis cadere in diem 17. menſis ſecundi, qui reſpondet 3. vel 4. Junii 1657. *Nunc amouet Noa operculum Arcæ* die 1. menſis primi, proin in ipſo Æquinoctio verno. Et arefacta eſt Terra die 27. menſis ſecundi, qui incidit in 13. Jun. 1658. Juxta hunc calculum latuit Noachus in Arca per Annum integrum & 9. inſuper dies : ſi addideris inſuper 7. dies, quos ante intrauit Arcam Noachus, quam irruit Diluuium, erit mora integra Patriarchæ 16. dierum ſupra Annum. Habent *Joſephus* & LXX. Annum.

TAB. LXV.

Geneſ. Cap. IX. verſ. 12. – 17.

Et dixit DEVS : hoc erit ſignum Fœderis, quod ego do inter me & inter vos, & inter omnem animam viuentem, quæ vobiſcum eſt, in generationes perpetuas.	Dixitque DEVS ad Noë : Hoc eſt ſignum fœderis, quod do inter me & vos & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas.
Arcum meum poſui in Nube, eritque ſignum Fœderis mei inter me & Terram.	Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.
Eritque, quum obnubam Nubem ſuper Terram, tum conſpicietur Arcus in ipſa Nube.	Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus.
Tum recordabor Fœderis mei, quod eſt inter me & inter vos, deinde etiam inter omnem animam viuentem in omni carne, nec erunt ultra aquæ in Diluuium, ut diſſipent uniuerſam carnem.	Et recordabor fœderis mei vobiſcum & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt ultra aquæ diluuii ad delendam uniuerſam terram.
Quin Arcus in Nube erit, quem cum videro, recordabor Fœderis perpetui (quod eſt) inter DEVM & inter omnem animam viuentem, in omni carne, quæ eſt ſuper Terram.	Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter DEVM & omnem animam viuentem uniuerſæ carnis, quæ eſt ſuper Terram.
Dixitque DEVS ad Noah : Hoc eſt ſignum Fœderis, quod conſtitui inter me & omnem carnem, quæ eſt ſuper Terram.	Dixitque DEVS ad Noë : Hoc eſt ſignum fœderis, quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram.

SUnt, qui heîc, & alibi, naturalem Verborum ſenſum excludunt prorſus & aquilinis velut alis ſuper Æthera lati myſticè omnia explicant : ſunt & qui Naturæ omnia tribuunt eamque invitam ſæpe, quocunque libet trahunt, truduntue, ſunt tandem, qui medio tutiſſime eunt, Naturam conciliantes cum Scriptura, myſticam exegeſin cum ſenſu literali.

Ex prima Interpretum Claſſe eſt *Ambroſius*, qui per קֶשֶׁת *Arcum* non intelligit *Iridem*, ſed virtutem inuiſibilis DEI, quæ arcum

Juſtitiæ Diuinæ nunc tendit, nunc, ne rumpatur relaxat. *Lib. de Arca & Noe* c. 27. Ad ſecundam Claſſem relegandi ſunt *R. Leui Ben Gerſon, Thomas Aquinas, Cajetanus, Cardanus, Gerb. Job. Voſſius, Valeſius*, qui Iridem ſignum eſſe volunt ſignati, non amplius venturi Diluuii, naturale. Statuimus in tertia eorum phalange, qui Iridem viſam dicunt Noacho, ſed non fuiſſe ſignum naturale Diluuii in poſterum non venturi, ſed arbitrariam, ut fuit ſignum Circumciſionis, Paſchatis, Sanguinis Fœderis, Aquæ in Baptiſmo, Panis & Vini in Euchariſtia. Heidegg. Exerc. de Paling. mundi Th. 29.

Hoc ſi ita ſit, ſi Iris hæc ſignum fuit non amplius venturi Diluuii, κατὰ συνθήκην ex inſtituto, conſpecta quoque fuit ante Diluuium, contra quod volunt poſt *Aben Ezram* multi Doctores Chriſtiani, & hos inter ipſe noſter, ſæpe hactenus laudatus *Sturmius Ausleg. Heil. Schrifft* p. 115. *Burnet Theor. Tell.* L. II. c. 5. utpote cujus Terra prima alia longe fuit ab hodierna. Sane ſi, quod euicimus, primus orbis idem prope fuit cum eo, quem nunc incolimus, ſi fuere montes, valles, pluuia, nubes, non video, quid impediat, quo minus comparuerit Iris, nam adfuit & Sol & oculus ſpectatoris. Neque ex Textu elici poteſt Arcus nouus, antea non viſus, ſed nouus duntaxat uſus, nouus ex inſtituto diuino ſignificatus.

Accedamus propius, viſuri hoc prorſus ſui generis Fœderale Diploma, & monadicum, non Æri, non Marmori, non Pergameno, ut Principum ſunt & Populorum, ſed Aeri fluidiſſimo inſcriptum, durabilius tantò, quia in momenta delebile, producibile in momenta. Ærugini illa, Blattis, Tineis, interitui obnoxia, hoc ejusdem cum mundo durationis. Sunt Viæ DEI aliæ a viis hominum. Heic inſcribit T. O. M. Inſtrumentum Fœderis cum Noacho & Genere Humano pacti, Nubi tenui, roridæ, ſtylus ſunt vel penna radii ſolares, & ipſi πολύμορφοι, variè colorati, atramentum guttulæ pluuiales, & ordinatiſſimi in iis colores, lineæ, ornamenta varia, radiorum refractio atque reflexio, Cancellarius potentiſſimus ipſe DEVS: *Arcum meum poſui in Nube.*

Fuit hoc μετέωρον, μέγα λίαν Θαυματέργημα, admirationi ipſis Gentilibus, θαύμαντος ἔκγονος, *Thaumantis filia* inter Diuas relata, apud *Platonem in Theæteto, Plutarch. Placit. Philoſ.* III. 5. *Apollodor. Biblioth.* L. I.

Παῦρα δὲ Θαύμαντος θυγατὴρ πόδας ὤκεα ἶρις
Ἀγγελίη πωλεῖται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.
Ὅππότ' ἶρις καὶ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρηται.

Raro vero Thaumantis filia, pedibus velox, Iris
Nuntia verſatur ſuper lata dorſa Maris,
Quando lis & contentio inter Deos exorta fuerit.

Neque mirum in admirationem fuiſſe abreptos ex conſpectu Meteori multis nominibus admirandi, quod cito fit, cito perit; picturæ, quæ coloribus elegantiſſimis & ordinatiſſima ſerie, in ſecundariâ inversâ inimitabili prorſus artificio elaborata ſuperbit: ubi penicilla ſunt Radii ſolares, ipſi, ut dixi πολύχροοι, Tabula Aeris Elementum fluidiſſimum; ubi admirandum, nec unquam ſatis, comparere forma exactè circulari, comparere ſimul & ſemel ejusdem picturæ multas milliones, imo tot diuerſas Irides, quot ſunt in eodem Horizonte ſpectatores, horumue oculi; tot nouas, quot paſſus facit ſpectator, imo quot capitis nictus mutat; admirandum quod ὠκὺς ſit πόδας, celeripes, quod citius quis curſu delaſſetur, quam picturam aſſequi poſſit, niſi quis in ipſa congerie guttularum conſiſtat, & complui ſe patiatur, quo ſitu Iridis ipſius circulari peripheriæ inſiſtit ſpectator.

TAB. LXVI.

Alius eſt loci, alius temporis, integram ſiſtere Iridis Hiſtoriam; Voluminis id foret, non concentratæ, ad quam alligati ſumus, exegeſeos, opus. Theoriam reducere cœpit *Carteſius* ad Mathematicam certitudinem, & ad ſummum tandem demonſtrationis culmen euexit Philoſophorum omnium, quotquot fuere unquam, ſubtiliſſimus & accuratiſſimus *Iſaacus Newton.* Viden' totius Theoriæ Epitomen!

Fig. I. Oculus eſt in O. OP linea radiis SE. SF. parallela POE. POF. POG. POH. anguli à $40^{\circ}.\ 17'.\ 42^{\circ}.\ 2'.\ 50^{\circ}.\ 57'.$ ad $54^{\circ}.\ 7'.$ qui anguli circa lineas OE. OF. OG. OH. ducti margines conſtituunt duarum Iridum AFBE. CHDG. Guttis igitur E. F. G. H. poſitis in circulo conicarum ſuperficierum formatarum a lineis OE. OF. OG. OH. & illuſtratis à Sole per radios SE. SF. SG. SH. erit angulus SEO. æqualis angulo POE. $40^{\circ}.\ 17'.$ maximus eorum, in quibus radii maximam ſuſtinent Refractionem, & poſt unicam Reflexionem tendunt ad oculum, per conſequens omnes guttæ in linea OE. radios ſiſtent maximè



GENESIS Cap. IX. v. 12.17.
Iridis demonſtratio.

I. Büch Moſis Cap. IX. v. 12.17.
Unterſüchung des Regenbogen.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB

mè refrangibiles, id eſt colorem cœruleum, vel violaceum. Et ſic angulus SFO æqualis angulo POF. 42° 2' maximus erit, in quo radii minimam refractionem ſuſtinent ex iis, qui poſt unicam Reflexionem peruenire poſſunt ad oculum, ſicque guttulæ omnes in linea OF. rubedinem immittent oculis. Par ratio eſt Radiorum, qui intermedios habent refrangibilitatis gradus, & in guttulis inter E. & F. mediis ſiſtunt ab E. aſcendendo ad F. colores, violaceum, Indicum, cœruleum, viridem, flauum, aureum, rubrum. Sic in Iride ſecundaria angulus SGO. æqualis τῷ POG. 50° 57' minimus erit angulorum, in quibus radii minimè refrangibiles poſt binas reflexiones ex guttulis ad oculum perueniunt. Proin omnes guttulæ in linea OG. ſiſtent colorem rubrum. Et angulus SHO æqualis POH. 54° 7' minimus eorum in quibus radii maximè refrangibiles poſt duas Refractiones refracti ad oculum pertingunt, & proin omnes guttulæ in linea OH. oculo immittunt colorem violaceo-cœruleum, & Guttæ mediæ inter G. & H. aſcendendo à G. ad H. ordine rubrum, aureum flauum, viridem, cœruleum, Indicum, violaceum. Sic obtinebimus binos arcus coloratos, interiorem & ſplendidiorem, formatum unica reflexione, exteriorem duabus. Eritque latitudo interioris. EOF. 1° 45' exterioris GOH. 3° 10' interuallum FOF. 8° 45' Sic nempe ſeſe res haberet, ſi foret Sol unicum punctum. Auget autem latitudo Solis latitudinem Arcuum, minuitque latitudinem interualli. Eſt enim latitudo arcus interioris 2° 15' exterioris 3° 40' interualli 8° 25' Angulus interioris Arcus maximus POF. 42° 17' minimus exterioris POG. 50° 42'.

Meum non eſt ἀλληγορίζειν, neque officii mei ratio, neque inſtituti id poſcit. Id tamen non poſſum non monere, Allegorias, ſi quæ populo prædicanda ſint, non niti debere falſis, ſed genuinis, quos Hiſtoria dat Naturalis, conceptibus. Et habet ſane heic Verbi Diuini Præco, quod ex admirandi Phœnomeni conſideratione plenis buccis decantet infinitas DEI perfectiones, Sapientiam, Potentiam, Juſtitiam, Miſericordiam, τὴν χρηςότητα καὶ ἀποτομίαν ΘΕΟΥ· Rom. XI, 22. Habet, cur ſerio moneat Homines, ne unquam adſpiciant Iridem, niſi memores, & pia deuotione memores, tremendi illius Diluuiani judicii, quo finito DEVS Symbolum hoc gratiæ & Fœderis in Nubibus, ceu magnifico Theatro poſuit. Si cui placet Iris, tanquam typus CHRISTI, inſeruient ei, quæ legimus Apoc. X, 1. IV, 3. Sic quidem oſtendet Auditoribus, locum Iridis Nubem eſſe roridam, Nubibus CHRISTVM uti pro vehiculo; Viſum in V. T. formâ columnæ Nubis: Nubis forma ſeſe demiſiſſe haud ſemel ſuper Arcam propitiaonis, Nube adſcendiſſe in Cœlum: deſcenſum Arcus Cœleſtis ad Terram uſque comparabit cum CHRISTI deſcenſu ex altiſſimo Cœli ſolio in hanc Terram: Sublimem Meteori ſitum cum conditione eminenti Saluatoris, dati in ſignum omnibus gentibus, eleuati ſuper omnia, eleuati etiam in infimo humiliationis ſuæ ſtatu in Cruce, in Serpentis æneì antitypum; communem eſſe omnibus, proprium fidelibus ſingulis, at ſinguli ſpectatores vident propriam ſuam Iridem. Colores Iridis elegantiſſimos conferet cum CHRISTO Hominum pulcherrimo & gratioſiſſimo, Refractiones quas patiuntur Radii, cum Paſſione CHRISTI, Reflexiones cum gratia ſua corda Hominum irradiante. Eccleſiaſtic. XLIII, 12. *Contemplare Arcum ſplendore ſuo perquam elegantem, & authori ejus gratulare. Glorioſa curuatura ſua cœlum ſuccingit circulo, manibus Altiſſimi eum extendentibus.* Guttulis ex Aere deciduis, in quibus formatur Iris, Prophetia illa Jeſ. XLV, 8. *Rorate Cœli è ſupernis, & Nubes ſtillent Juſtitiam, aperiatur Terra & fructum edant ſalutem & juſtitiam, quas progerminare ſimul faciet.* Item antiphonia illa Angelica Luc. II, 14. Δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

Καὶ ταῦτα μὲν περὶ ταῦτα.

TAB. LXVII.

Geneſ. Cap. IX. verſ. 20. 21.

Cœpit autem Noah vir agricola plantare vineam.
Quumque de Vino biberet, inebriatusque eſſet, nudauit ſe [a] in tentorio.

Cœpitque Noë vir agricola exercere terram & plantauit. vineas.
Bibensque vinum inebriatus eſt & nudatus in tabernaculo ſuo.

(a) *Ebr. in medio tentorii ſui.*

TErræ redditus Homo, Homini reddita Terra, ſed ea non ſponte fruges proferens. Non ſublata maledictio Homini peccatori indicta, & Terræ ipſi Geneſ. III, 17. 18. 19. Imo vero licet in Diluuiana ſtrage imprimis fuerit execrationi data, magis aucta, fœcundiſſima nempe, quæ fuerat, nunc ſterilis reddita. Labore nunc opus, qui impedimenta remoueat, id eſt, Agricultura, quæ non demum cum Noacho cœpit, ſed primos mortales habet inuentores. *Cain fuit agricola.* Gen. IV, 2. Memor Noachus & Maledictionis illius juſtiſſimæ, ſed & Promiſſionis recentiſſimæ Gen. VIII, 22. *Adhuc erunt omnes dies Terræ ſementis & meſſis*, cœpit colere agrum, non emulgere agricolas, horum labores alto ſupercilio deſpicere, ſed ipſe operi manum admouere, eſſe *agricola.*

Sed & *Vinitor. Cœpit plantare Vineam.* Vini uſum primo Orbi ignotum à Noacho primùm, & quidem per incuriam & accidens inuentum pertendunt ex Hebræis *Maimonides, Kimchi*; ex Patribus: *Cyrillus, Theodoretus, Hieronymus, Chryſoſtomus*, qui hinc Janus οἰνότριος cluet. Aſt ignoraſſe Vini confectionem & uſum primi orbis incolas vix eſt credibile. Erant vites, eæque præcellentes ubique: allicuit fructuum dulciſſimorum atque gratiſſimorum conſpectus, nec erat opus niſi expreſſione ſucci, ut proin ſit Vinum juxta Pomacea, Pyracea, Turcarum Sorbet, Chinenſium potum ex Oryzo, Indorum Vinum Palmites, potus unus ex ſimpliciſſimis. Et inebriaſſe ſe τοὺς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ conſtat ex Matth. XXIV, 38. ut τὸ וַיָּחֶל & *cœpit*, non tam innuat primam, ut Agriculturæ, ita Viticulturæ inuentionem, ſed harum Artium βιωτικῶν nouam ad uſum reuocationem.

Nolo Lectorem morari fuſa *Ampelographia*, quam dedit *Sachſius*. Sed quidem contemplandus propius Noachus, non ebrioſus, ſed ebrius. *Is, quum de Vino biberet, inebriatusque eſſet, nudauit ſe in tentorio.* En corpus viribus ſuis ſolutum! Animam veluti cardinibus ſuis motam: Æquilibrium corpus inter & Mentem labefactatum! triſtes Aeris compreſſi, qui potibus inebriantibus ineſt, in ſanguinem & Arteriolas, in primis cerebri effectus! in motu Sanguinis & Spirituum, progreſſiuo & circulatorio anomaliam! dolorem capitis grauatiuum ac ſomnolentiam! vacillantes corporis vires! nutantes pedes! incertus greſſus! Intellectum à nimio potu obrutum! ſui ipſius oblitum! inordinatos geſtus! incompoſitas actiones! inarticulata verba, ut quid dicat, vel agat neſciat ebrius! fatalem corporis ſtatum, cujus vires dejiciuntur, Animæ, cujus facultates prænobili uſu priuantur; Hominis totius, qui è throno nobilitatis ſuæ dejicitur turpi donorum, ipſi conceſſorum abuſu! Graphicam magis ſi deſideres vitii hujus & triſtium effectuum deſcriptionem, adi *Swalue Ventriculi Querelas & opprobria.* p. m. 179.

TAB.



GENESIS Cap. IX. v. 20. 21.
Noa Agricola et Vinitor.

I. Buch Moſis Cap. IX. v. 20. 21.
Noe Wein und Ackerbau.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. XI. v. 3
Laterum et Mortarii coctio.

I. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Gebakene Steine u. Mörtel bereitet.

M. Tyroff sculp.

TAB. LXVIII.

Geneſ. Cap. XI. verſ. 3.

Dixeruntque (a) alter ad alterum, Agite ducamus lateres, & incendamus incendium, fuitque illis later pro lapide, & argilla pro cæmento.

Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.

(a) Dixerunt unusquisque ad proximum ſuum.

EX nihilo produxit Omnipotens DEVS vaſtiſſimum hoc Mundi ædificium, imo mundos in tenuiſſimo Æthere natantes. Terram ipſam ex nihilo pependit. Hominibus materiâ opus eſt ad extruendas ædes, eaque durabili, firmâ, ut prodeat ſtructura firma. Regulam hanc Architecturæ ciuilis fundamentalem obſeruant Pyrgopolynices noſtri, magno promiſſores oris hiatu. *Colligunt ſeſe, quum proficiſcerentur ab Oriente, in campo plano, in Terra Sinear.* v. 2. Ubi nec ſaxorum copia fuit, nec ſilicum. Lignum non quadrabat æuiternæ, quam meditabantur, ſtructuræ, & id forte, quod habebant, deſtinabant culinario uſui, vel laterum coctura.

Fuit illis הַלְּבֵנָה לְאָבֶן *Later pro lapide.* Intelligi namque debent Lateres parallelepipediformes, quales & hodie uſui veniunt in extruendis Caminis, Ædibus, ſternendis conclauibus. Percommodi in Architectura ciuili, tum propter durationem, tum propter formam, quoniam apte inuicem ſuperimponi & muri cito extrui poſſunt; Sed quoque in Militari, quia non, uti ſaxa in fruſta diſſiliunt, ſed Tormentis horumque globis diu reſiſtunt. Placuit hoc lapidum genus Magiſtris illis Architecturæ Græcis atque Romanis, quod conſtat ex *Plinio* L. XXXV. c. 14. *Vitruuio*, aliis.

Parallelepipeda magnæ molis probe læuigata, inprimis marmorea, inuicem ſuperimponere, & ſtructuras etiam duraturas inde erigere licet, quæ etiam absque glutine intermedio firmiter cohærent. Exempli loco eſt Templum Salomoneum, perfectiſſimum illud Architecturæ ciuilis Exemplar, ut taceam ſtructuras Romanas paſſim obuias. Sed lateribus coctis id non quadrat. Sunt hi inuicem colligandi, inprimis pro tantæ molis, qualis hæc fuit, de qua ſermo, Turris. Adhibebant noſtri Architecti הַחֵמָר לַחֹמֶר *argillam pro cæmento.* Ita nos vertimus autoritate Arabis, Syri, Chaldæi, & Hebræorum nixi, qui חמר interpretantur טין *Lutum*, excepto forte Kimchio, qui habet *cæmentum* mixturam ex calce & arena. Sed præualet longe verſio LXX. *Vulgata, Junio-Tremelliana*, quæ habet *bitumen*, ſed diſtingue inter *bitumen liquidum & ſolidum*: eſt illud εἰς οἰκοδομὴν ἄχρηστον teſte *Diodoro Tarſenſi* in *Catena Patrum*, hoc ædificationi aptiſſimum, quia glutinis ad inſtar ſaxa colligat, ſpatia intermedia ac fiſſuras omnes replet. Hujusmodi autem bitumen ſive Aſphaltum foſſile in *Babylonia* extare Scriptores autoritate ſimul & Antiquitate graues, imo ipſi Babelis muri, teſtantur. Adi *Herodotum*, *Strabonem* L. XVI. *Juſtinum Epit.* L. I. c. 2. *Vitruuium* L. VIII. 3. *Curtium* L. V. 1. Conſtat hinc pro *Argilla* ſeu *luto* poni debere *bitumen* ſ. *Aſphaltum*, Lutum ſiue *Argilla* vix idonea eſt caſulæ ruſticæ ædificandæ materia, nedum tanti æui ſtructuræ, qualis fuit illa Babelis.

Sed & חֵמָר *Chomær* expreſſeris potius per *Mortarium* quam per *cæmentum.* *Cæmenta* ſunt ſaxa ipſa, è quibus muri compaginantur, calce ſiue mortario interlita: imo lapides rudes & informes, contradiſtincta ſic Saxis quadratis; Vid. Liuium L. XXI. c. 11. *Mortarium* vero arenatum eſt cum calce. Niſi velis חֵמָר exprimere per *lutum* & חֹמֶר per *cæmentum*, ut ſenſus ſit: inſeruiiſſe illis lutum, Argillam, ſed igne durandam, pro cæmento. Sed placet prior interpretatio.

TAB. LXIX.

Geneſ. Cap. XI. verſ. 4.

Dixeruntque: Agite, ædificemus nobis ciuitatem & Turrim, cujus caput (pertingat) ad cœlos usque, faciamusque nobis nomen, ne forte diſpergamur in univerſam Terram.

Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum, antequam diuidamur in uniuerſas terras.

Conſultum ducunt Noachidæ, inprimis Chamitæ, vitâ in tuguriis hactenus diſperſâ relictâ, coire propius, formare Societatem, ex ruſticis fieri Ciues, imò verò ſub auſpiciis forte Nimrodi, condere Monarchiam, aliarum Gentium dominatricem. Dixerunt proin, Semitis licet, Noacho ipſo, Semo, Arphaxado, Sala & Ebero non conſentientibus, *Agite*, nos qui majora damus vota, nos Domini futuri Vniverſi, Senatus & Conſules, Pyrgopolynices nos, *ædificemus nobis ciuitatem & Turrim, cujus caput (culmen) pertingat ad cœlos usque.* Potiſſima videtur hæc, ſi non eſt ſola & unica conſilii & auſi cauſa. Facile præuidere poterat Nimrodus, ſtructuræ magnificæ ἀρχηγέτης, uti *Joſepho* cluet, & cum ipſo Miniſtri ſtatus, vel ex rationis lumine, non poſſe tantam, qua quidem opus habebat, Hominum turbam collectam manere in unâ eademque Societate, absque quod coiret in *Ciuitatem*, neque hæc ſeipſam contra vicinos quosuis defendere extra locum munitum, neque alias gentes ſibi ſubjugare, absque plauſibili prætextu, talique fabrica. Poterat ſane *ciuitas* muris cincta terrere quosuis exteros, & *Turris* tanquam Caſtellum coercere ipſos Ciues; imo debebant *ſibi facere* conditores hi *nomen*, celebrem nempe Senatum ſiue Parlamentum, quod reſideat in Ciuitate Babele, *ne forte diſpergerentur in uniuerſam terram*, & ut ſeruarent Sacra Majorum depoſita, doctrinam πατροπαράδοτον. Patet id ex pœna à DEO indictâ v. 6. 7. 8. *Dixitque DOMINVS, en populus unus eſt, idemque labium iſtis omnibus, & hoc cum cœperunt facere, poſthac nihil prohibebit eos, quin ſic pergant conſummare omnia, quæcunque temere apud ſe ſtatuerunt. Agite dum, deſcendamus & confundamus ibi labium ipſorum, ne alter alterius labium percipiat:— — Et dixit: Ecce unus eſt populus, & unum eſt labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui.* Volebat nempe Monarchici, imo Tyrannici Regiminis Conditor in Babele ſua concentrare omnia jura, Naturæ, Gentium & Ciuilia, imo forte Diuina, ut ſolus ipſe regnare poſſet. Aſt ſummi DEI ſcopus erat fundatio diuerſarum, quæ hinc inde eſſent diſperſæ, Rerumpublicarum, & huic fini exequendo conuenientiſſimum adhibebat remedium, Linguarum confuſionem, qua nemo alterum intelligere poterat, & omnes in ſententiarum abirent diuortia.

Allegant alii, vel fingunt auſi ſtolidi alias cauſas, quas ſuis Autoribus linquo. *Joſepho*, *Glycæ*, *Manaſſi*, *Patricidi*, quod debuerit eſſe hæc ſtructura Aſylum in futuro quopiam Diluuio, aliis, quod memorialis eſſet Inundationis illius fatalis. *Diodoro Siculo* L. XXI. quod eſſet obſeruatorium Aſtronomicum, ut ſané conſtat fuiſſe Chaldæos in ſpecie Babylonios, ab omni æuo ſideribus obſeruandis intentiſſimos: aliis, quod reuera ſibi propoſuerint extruere *Turrim, cujus Caput pertingat ad Cœlos usque.* Id quod placet *Abydeno* apud *Cyrillum* & *Euſebium.* Tale quid legitur de Imperatore Sinenſium *Hiaouo* apud *Martinum Martinium Hiſt. Sinic.* Dec. I. p. 365. acceſſum ſibi paraturo ad Lunam ad *Changoæ* ſuæ complexus, quam ibi uiuere impoſtor Magus ipſi perſuaſerat. Placeret magis, ſi qui vellent ex *Ciuitate & Turri Ciuitatem* formare *turritam*, turribus pro ſui defenſione munitam, in cujus centro forte fuerit turris quædam præalta, aliis & fortior & eminentior, quæ Caſtelli vice eſſet. Babelem ſane magno turrium numero cinctam fuiſſe vel ex *Diodoro* patet, qui

Semi-



GENESIS Cap. XI. v. 3.
Uranomachi.

I. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Rieſen Fabeln.

I. B. Probst sculp.

RPJCB

Semiramidem ſolam turres 250. extruxiſſe teſtatur.

De ſtructura Turris Babylonicæ, & ſic de ſenſu verborum Textus atque οὐρανομάχων intentione varii varia. Seligemus quæ noſtri ſunt fori. Abſurdiſſima eſt eorum opinio, qui Literæ nimis pertinaciter inhærentes cœlos intelligunt ſtelliferos. Abſurditatem detegunt vel prima Matheſeos rudimenta, turrim οὐρανομήκην ſubuertunt, & cœlo præcipitant. Pone, ſtolidos illos auſum ſuum extendiſſe duntaxat ut ille Hiaouus usque ad lunam, quæ diſtat à nobis 50. ſemi-diametris terræ ex minima, Perigæi, hypotheſi. Si vel modica fuiſſet in imo, enormis in ſumma prodiiſſet craſſities; ſtructura, quæ Terram ipſam orbita ſua extruxiſſet, materia quinquageſies forte Terra ipſa major. Vim argumenti ſuo jam tempore cepit *Philo Judæus* in Libr. Moſ. de confuſ. Lingg. Clarum nempe ſtructuram tanto fore majorem & craſſiorem, quo latior eſt baſis. Monſtroſitatem ſimul & impoſſibilitatem ſtructuræ exhibent Fig. I. Conus Fig. 2. Pyramis inuerſa. Si quis pro altitudine ſeligeret vel unam ſemidiametrum, & pro ædificii baſi integrum Terræ ambitum, obtineret is Fig. 3. circulum Annulo illi Saturnino ferê ſimilem, Terram undique circumdantem, quæ ſtructura æquiponderaſſet toti Globo terreno.

De præciſa Altitudine & Forma hujus Turris nil ex Sacris conſtat. Licet proin profanos ſalutare fontes, Architectis ſua exercere ingenia, imo pene dicam fabulari. Ut ſane fabulantur Judæi in libro *Jalkut* aſſignantes altitudinem 27. milliarium, in *Pirke* milliarium 70. Hieron. L. V. Comm. in Eſajam ex teſtimonio αὐτόπτων 4000. numerat paſſus. *Ado* in *Chronico* habet 5174. Antiquiſſimum, quod poſt Scripturam S. habemus, Monumentum *Herodotum* in *Clio* L. I. c. 32. ex octo Turribus inuicem ſuperimpoſitis conſtans, quarum ima ſtadii habebat longitudinem & latitudinem, σταδίου τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος, quod ſi per εὖρος intelligas, præeunte *Stephano*, altitudinem, fuerit ea 574. pedum Pariſinorum, non major proin Turri Argentinenſi. Sed de hac ipſa Herodoti Turri incertum, an fuerit Babylonica noſtra, an alia Belo ſacra? Ad duplam, nempe 900. pedum altitudinem ſurgit *Benjamin* in *Bocharti Phaleg.* c. 13.

Meum non eſt, integrum de Turri Babelis conſcribere tractatum, non quæ in magni molimis opere congeſſit *Kircherus* exſcribere, ſed quidem pro honore Architecturæ Ciuilis, quid hæc Scientia Practica præſtare potuiſſet ex Cl. Viri *Leonh. Chriſt. Sturmii Unterſuch.* p. 142. etc. indicare, ſupponit is, præliminarium vice 1. pro infantili illa Architecturæ ætate habendam eſſe Turrim hancce ad Pyramidum Ægyptiarum exemplum, pro ſtructura regulari quidem, ſed rudi, ornamentis & ſubtili proportionum ἀκριβείᾳ deſtituta. 2. Attendiſſe nihilominus, vel Natura dictante, Architectos ad murorum gradualem contractionem, & imis quidem craſſitiem potius majorem conceſſiſſe, quam minorem nimis. 3. Aream ſupremam deſtinatam fuiſſe non duntaxat Monumento aliquo inſigni, aut Templo, forte per peregrinationes religioſas, & diuitiarum affluxum frequentando, ſed & Ædificiis aliis pro Sacerdotibus, Theſaurariis locandis, imo & condendis ipſis Theſauris. 4. Altiori forte loco attolli debuiſſe hoc Monumentum, quam Arca natauit in Diluuio, tum in facti ſingularis memoriam, ſtructuræ majorem celebritatem, tum Templi & Theſauri ſecuritatem majorem, ſi forte rurſum terra obrueretur aquis; tum denique ut hæc ipſa ſtructura Caſtelli inuincibilis loco eſſet contra aggreſſores quoſuis. Proinde ad obturandum os quibusuis Scripturæ ἐμπαίκταις Turri huic Altitudinem dat ad minimum 25000. pedum, qui ultra $\frac{5}{4}$. milliaris germanici exurgunt.

Tendit autem eò Sturmii labor triplex, ut oſtendat 1. Structuram ipſam poſſibilem & durabilem, in juſta partium proportione. 2 Numerum hominum extruendo ædificio, & agro ſimul colendo neceſſarium. 3. Poſſibilem eorum per annos 175. quot inde à Diluuio ad Turris extructionem effluxere, generationem.

TAB. LXX. LXXI.

PRimo poſtulato, ut ſatisfaciat, exhibet Fig. I. Ichnographiam Areæ Turris ſupremæ circularem 198. Pedum in diametro, cui & Templum A. in ejus centro & circa id 4. ædificia, locandis etiam familiis idonea inædificari poterant C. C. C. C. Templum inter & Ædes eſt Area ſubdialis B. ſeu platea circularis 32. pedes lata, aliaque inſuper D. extra Ædes, ſeu Sacerdotum ſeu Theſaurariorum 25. pedum, prior 1632. poſterior 7400. tranſitus 4. ab interiori platea ad exteriorem 780. omnes proin 9812. perſonis commode diſponendis idoneæ, aſſignatis ſemper pedibus 4. quadratis pro uno homine, ut proin in Area hac integra 4000. Hominum potuerint colligi, liberrime hac illac moueri, ſuasque res peragere. Inſiſtit Area hæc Turri 283. pedes altæ, ad cujus Pedes præciſe deſcendit Scala Turri circumducta E. eaque quadruplex 8. pedes lata, per quam continuo 16. homines ſimul verſus 4. mundi plagas adſcendere potuerint. Siſtit & harum Scalarum atque Areæ, Turri huic ſupremæ immediaté ſubjectæ Fig. II. & ſunt in uniuerſum 17. hujusmodi Trunci turriti, uni aliis ſuperimpoſiti, quorum dimenſiones ſequens exhibet Tabula.


Trunci turriti ſeu Turres inuicem ſuperimpoſitæ.	Craſſities murorum. Pedes.	Diameter Turris à medio ſcalæ ad medium oppoſitæ.	Peripheria earundem diametrorum.	Altitudines ſingularum Turrium,
17.	10.	206.	647. $\frac{1}{3}$	283.
16.	11. $\frac{1}{2}$	289.	908. $\frac{2}{7}$	414.
15.	13.	378.	1188.	554.
14.	14. $\frac{1}{2}$	473.	1486. $\frac{4}{7}$	703.
13.	16.	574.	1804.	862.
12.	17. $\frac{1}{2}$	681.	2140. $\frac{2}{7}$	1030.
11.	19.	794.	2495. $\frac{3}{7}$	1270.
10.	20. $\frac{1}{2}$	913.	2869. $\frac{3}{7}$	1394.
9.	22.	1038.	3262. $\frac{2}{7}$	1591.
8.	23. $\frac{1}{2}$	1169.	3675. $\frac{3}{7}$	1797.
7.	25.	1306.	4104. $\frac{5}{7}$	2012.
6.	26. $\frac{1}{2}$	1449.	4554.	2237.
5.	28.	1598.	5022. $\frac{2}{7}$	2471.
4.	29. $\frac{1}{2}$	1753.	5509. $\frac{}{7}$	2714.
3.	31.	1914.	6015. $\frac{3}{7}$	2967.
2.	32. $\frac{1}{2}$	2081.	6540. $\frac{2}{7}$	3230.
1.	33.	2254.	7084.	3503.
			Summa omnium peripheriarum 52223. ſubtractis areis quieti idonei reſtant gradus 51934.	Summa altitudinis totius Turris. 28968.

Conjicere licet vel ex Ægyptiarum Pyramidum Architectura, ſtructuram adeo enormem non integram fuiſſe in conclauia diuiſam, quapropter Architectus noſter in centro cujusuis Trunci cylindrum extruit ſolidum A. B. C. D. Fig. II. Terra, arena, cæmentis expletum, cui ſemper Trunci ſequentes inædificari poterant. Circa hunc Cylindrum locat ſcalas & fornices concameratos cujusque Trunci, in quod videre licet in Trunco ſeu Turri ſuprema Fig. II. in Ichnographia, & Fig. III. in Orthographia.

Proportio Altitudinis totius Turris ad craſſitiem eſt in circa ut 12. ad 1. non certe nimia pro cylindrica Turri, nedum pro pyramidali.

TAB.

Fig. I. TAB. LXX.




GENESIS Cap. XI. v. 4. I. Buch Moſis Cap. XI. v. 4.

Turris Ichnographia generalis. Erſter grũndriß des Babel=Thürns.

I. A. Corvinus sculps.

RPJCB



Genesis Cap. XI. v. 4.
Orthographia Turris.


I. Büch Moſis Cap. XI. v. 4.
Aüfriß des Thürns.

I. A. Corvinus sculps.

RPJCB

RPJCB

TAB. LXXII.




GENESIS Cap. XI. v. 4.
Ichnographia totius Turris.

I. Buch Moſis Cap. XI. v. 4.
Grundriß des gantzen Thurns.

I. A. Corvinus sculps.

RPJCB



GENESIS Cap. XI. v. 4.
Scenographia Turris.

I. Buch Moſis Cap. XI. v. 4.
Der Perſpectiviſche Riß des Thurns.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. XII. v. 16.
Opes Abræ pecuariæ.

I. Buch Moſis Cap. XII. v. 16.
Abrams Reichthum.

P. G. Harder sculp.

TAB. LXXII. LXXIII.

Siſtit Tab. LXXII. Ichnographiam totius Turris, denique Tab. LXXIII. ſcenographiam.

Longum nimis foret, & forte Lectori tædioſum, ſi ad calculum redigere vellem operariorum, huic ſtructuræ neceſſariorum numerum; hominum item, qui tunc temporis viuere poterant. Tempus quoque tantæ molis ſtructuræ inſumendum. Sufficiat ſummatim innuiſſe, omnes operarios, etiam eos, qui aliis per octidua alternatim ſucceſſiſſent, officiales, agricolas, & qui res ad victum neceſſarias adduxiſſent, ſurgere ad 1763128. Hominum tunc viuentium 9094468. ex minima hypotheſi, quorum proin vel $\frac{1}{5}$. ſuffeciſſet operi. Tempus tandem 12. annorum, quibus ſtupendæ molis turris poterat erigi. Qui plura deſiderat, adeat ipſum Cl. *Sturmium.*

Sufficiant autem haec ad obturandum os iis, qui omnem hanc de Babelica Turri Hiſtoriam tractant tanquam meram fabulam, id quod & olim tum Chriſtianis, tum Judæis objecerant Gentiles, conferentes propoſitum hocce cum auſu illo *Aloadiorum*, qui cœlum aggreſſuri teſte Homero

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet atque Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum.

Haud tamen inficias iuero, Fabulas illas Gentilium natas fuiſſe ex Turris Babylonicae vera Hiſtoria, multis additamentis, ut mos erat, fundata, quod exhibuit Tab. LXIX. hucque referenda, quae habet *Ouidius* Faſt. L. V.

Terra feros partus immania monſtra Gigantes
Edidit, auſuros in Jouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,
Atque, ait, in magnos bella mouete Deos.
Extruere hi montes ad ſidera ſumma parabant
Et magnum bello ſollicitare Jouem.
Fulmina de coelo jaculatus Jupiter arce
Vertit in authores pondera vaſta ſuos.

TAB. LXXIV.

Geneſ. Cap. XII. verſ. 16.

Et is quidem benigné fecit ipſi Abram propter illam, fueruntque ei oues, Boues, & Aſini, Serui & Ancillæ aſinæ [(a)] & Cameli.

Abram vero bene uſi ſunt propter illam. Fueruntque ei oues & boues, & aſini, & ſerui & famulæ & aſinæ & cameli.

(*a*) Quidam Mulas intelligunt.

Conſiſtebant Patriarcharum diuitiæ, quod & Jobi exemplo patet, non in millionibus Tonniſue Auri & Argenti, Gemmis ex utraque India pretioſiſſimis, Aulæis artificioſiſſime contextis, purpura rebusque purpuratis, pannis ex ſerico & pretioſiori adhuc materia confectis vaſorum aureorum & argenteorum longis phalangibus, pondere ingenti. Omnis Theſaurus fuit res pecuaria, *fuerunt* Abrahamo *Oues, Boues & Aſini, Aſinæ* & *Cameli*, & quibus neceſſario opus habuit, vel ad paſcendum greges, educendum & reducendum, *ſerui* & *ancillæ*. Vita qualis Galactophagis multis ex Gente noſtra Heluetica.

Notat צאן *Tſon, ouem*, & *Capram*, ut Græcorum μῆλον. Et ſunt ſane multa ouibus & capris communia, magnitudo, forcipes pro ungulis, plures in maribus dentes quam feminis, victus, coeundi tempus, imprægnatio, partus, ruminatio, tonſura, vita ſimultanea, morbi conſimiles, herbæ eædem utrisque noxiæ, remedia

media in morbis eadem. Sed eſt צאן collectiuum ſeu plurale, denotans *oues, gregem ouium,* diſtinctiuum à שֶׂה ſingulari. Clarum id ex Ezech. XLV. 15. Huic vocabulo affine Arbum *Zaïn*, Pl. *Zæen*, fæmella *Zainet.* Pl. *Zæwaim* quæ vocabula ouem denotant Meninzk. Lex. p. 3025.

Nec caret latitudine בָּקָר *Bakar* nomen *Boui* tam mari, quam fœminæ commune, *Genus Bouinum* dixeris. Imo ſumitur & pro *armento Boum,* & à Syris καταχρηστικῶς pro *grege* quouis. Alias *Bakar*, unde Latini videntur deriuaſſe *Vaccam*, notat Bouem plenæ ætatis, hinc paſſim vitulus & juuencus appellantur בְּנֵי בָקָר *filii bakar* 1. Sam. XIV. 32. Huc pertinent Arabum *Bækere*, *Bykar*, *Bewakyr*, pro Vacca *Bæker* pro boue, *Bakuret* pro boue & Vacca Meninzk. Lex. p. 857. 2959. 5907..

Sequitur חֲמוֹר *Chamor*, *Aſinus* isque domeſticus, ita dictus à חָמַר *Chamar*, vel Arabico *Chamara*, rubere. Nam qui in Europa ſunt λευκόφαιοι & σποδιαῖοι, in Oriente plerumque rubent. Unde Aſinum execrabantur Ægyptii tanquam Typhoni rubro concolorem, ὀνώδη τὴν χρόαν Plut. in Iſide. Hinc Hiſpanis *burro*, *burrico*, Gallis *bourrique* à Græco πυῤῥὸς, πύῤῥικος, πύῤῥιχος, rufus; pro quo inferior latinitas *burrum* dixit & *burricum*, recens Græcia βέῤῥιχον. Huic *Chamor* affine eſt Turcarum *Hymar*, Plur. *Hæmir*, *Humür* & *Æhmire*, item *Humr*, *Humer*, Pl. *Hymar* & *Æhmer*. Meninzk. Lex. p. 1802. 1805.

Aſinos comitantur poſt Seruos & ancillas אֲתוֹנוֹת *athonoth*, *aſinæ*, non ἡμιόνοι, muli, ut habent Græci Seniores. Congruit Arabum *Etan*, plur. irreg. *meetune*: *Etaneb*, Pl. *meetuna* & *atiin*, quibus aſinam indigitant, Meninzk. Lex. p. 4226. 5661. 5659. Forte & Græci inde ſuum hauſerunt ὄνος, Latini *Aſinus*, Germani *Eſel.*

Agmen rei pecuariæ Abrahamicæ claudit גָּמָל *Gamal*, *Camelus*, quod ſeu Ebræorum ſeu Chaldæorum Vocabulum plerisque aliis Linguis nomina dedit. Habent Arabes aliique Orientales diuerſiſſima, & pene innumera pro ratione ætatis, magnitudinis, coloris, bonitatis. Noſtro *gamal* affine eſt *gemel*, *geml*, Camelus adultus robore & ætate, pl. *gimal*, *egmal*, *gimalet*, *gimalat* Pl. *gemail* Meninzk. Lex. 1652.

Patet vel ex his Abrahami recenſitis opibus, qualem egerit Patriarcha vitam, paſtoralem nempe & migratoriam. Cibum ex lacte, carnibus, veſtitum ex pellibus dabat ouillum genus & Bouinum; vecturam Aſininum & Camelinum: gregibus paſcendis & ſeruitiis præſtandis inſeruiebant Serui & Ancillæ.

TAB. LXXV.

Geneſ. Cap. XV. verſ. 5.


Eduxitque eum foras, & dixit: ſuſpice quæſo Cœlum, & numera (ſi potes) ſtellas, & dixit illi: Sic erit Semen tuum.

Eduxitque eum foras, & ait illi: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum.

NOtat Promiſſio hæc reiterata Gen. XXII, 17. propagationem admodum numeroſam, & anſam dat illuſtrandi Textum ex moderna Aſtronomia. Patrum æuo notitia ſtellarum fuit admodum reſtricta: neſciebant illi, quod nudis oculis non videbant. Vide egregiam D. *Auguſtini* confeſſionem de *Civit. DEI* L. XVI. c. 23. Quas ille non vidit, ſed quidem Scriptura & Ratione διδάχοις præuidit, eas detexerunt, & indies detegunt itinera ad Polum utrumque directa, & Teleſcopia; ſed ubi neque hæc pertingunt, penetrauit forſan oculis à DEO, qui apparatum Cœlorum ei oſtenderat, illuminatis Abrahamus. Et quo penetrare non poterant Patriarchæ oculi, Diuina luce colluſtrati, eo pertingit DEI ipſius infinita Sapientia atque Potentia. *Ipſe*, & ſolus, *ſtellas in numerato habet, ac uniuerſas vocat nominibus* Pſal. CXLVII. 4.

In ſex, octoue Claſſes diſpescuere Veteres omnes Fixas, & dipeſcunt adhuc, globisue inſcribunt moderni, de quibus tamen ſciendum, depingi, prout oculis noſtris ſeſe præſentant: ſunt enim forſan ex ipſis obſcuris ac nebuloſis, quæ Sirium ipſum, ſplendidiſſimum ſidus, magnitudine æquant, vel & ſuperant. In uniuerſum autem numerant Ptolemæus 1022.

Tycho



GENESIS Cap. XV. v. 5.
Stellæ innumerabiles.

I. Buch Moſis Cap. XV. v. 5.
Die unzehlbare Sternen Zahl.

I. A. Friderich sculp.

BPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. XV. v. 9. 11.
Sacrificium foederale.

I. Büch Moſis Cap. XV. v. 9. 11.
Abrams Bunds Opfer.

B. S. Sedlezky sculp.

ycho 1225. moderni, ſed remotis Tubis, cendunt altius, *Keplerus* & *Bullialdus* ad 292. *Bajerus* ad 1709. celebris *Jo. Gabr.*)oppelmajer *Globo cœleſti in tabulas VI. planas* edacto ad 1949. Sed & hæ nihil, ſi confe-antur cum numeroſiſſimis Exercitibus nupe-o Seculo per Tubos detectis, Galaxiæ in ſpe-ie, quæ eſt innumerarum ſtellarum congeries; Theatrum noui hujus Mundi aperuit Lynceus lle *Galileus in Nuntio Sidereo* p. 311. *Syſt. Coſm.*)ial. IV. p. 509. quæ loca præ aliis videantur.)iuagarer, ſi recenſere vellem ſtellas tum ab pſo *Galileo*, tum & *Heuelio*, *Hugenio*, *Hoo-io*, *Caſſinis* detectas. Exempli loco ſint in Tabula præſenti 78. ſtellæ ab Hookio Micro-graph. Obſ. 50. p. 241. numeratæ, ex quibus non cognitæ erant veteribus niſi 6. vel 7.

Conſtat ex hactenus dictis ſatis ſuperque *Exercitus Cœlorum numerari non poſſe, neque arenam maris metiri*, Jer. XXIII. 22. Con-ſtat, quanti ſit æſtimanda Aſtronomia moder-na præ veteri illa tum ad ampliandam DEI Gloriam, tum ad explicandam Scripturam; Vel, quis, quæſo, conferet apte ſtellas 1022. cum 600000. Viris Iſraelitis, qui Ægyptum ſunt egreſſi? qui non adſcenderet ultra 480000. ſi vel uni Aſterismo adſignarent 10000. Et confugere multi, ad explicandum Textum, neceſſe habebant ad confuſum quen-dam ſtellarum ordinem, easque conferre cum turba Hominum in foro circumcurſitantium, contra literalem textus ſenſum, & fixarum fi-xum ſitum.

TAB. LXXVI.

Geneſ. Cap. XV. verſ. 9.

Reſpondit ei: tolle mihi buculam triennem, & capram (a) triennem, atque Arietem triennem, turturem quoque, & pullum columbarum.

(a) Alii legunt Meſchuleſcheth, non triennem, ſed ſectam in tres partes, ut ternarins numerns non ad tempus, ſed ad partes Animalium referatur.

Et reſpondens DOMINVS, ſume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.

IN Hiſtoria hâc Foederis, quod DEVS cum Abrahamo pepigit, occurrit Ritus plane ſingularis, ſelecta Animalia.

עֶגְלָה מְשֻׁלֶּשֶׁת *vitula trima, triennis*, non quod *Kimchius*, *Onkelos*, alii volunt, triplex vitula, tres vitulæ, non vitula tertio partu edita, quæ robuſtior. Multa minus in-telligi debent tria ſacrificiorum genera, Holo-cauſtum, Sacrificium pro peccato, & pacificum. Noſtram utramque, verſionem approbant *Jo-nathan*, LXX. qui δάμαλιν habent τριετίζουσαν, *Hieronymus*, qui *vitulam triennem*, alii. Eſt hæc jam docta, inſtituta, מְלֻמָּדָה *triturare amans* אֹהַבְתִּי לָדוּשׁ Hos. X, 11. Virgil. Eclog. 3.

— — — ego hanc vitulam, ne forte recu-ſes,
(Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)

Depono.

Sequitur עֵז מְשֻׁלֶּשֶׁת *Capra triennis.* Tranſiit hoc nomen עֵז in multas alias Linguas; Hinc Phœnicum *aza* apud *Stephanum* ubi de Azoto. Syrorum & Chaldæorum עִזָּא *izza* Pl. עִזִּין *iz-zan* unde Græcum ἰζάνη, *caprina pellis*, apud *Jul. Pollucem* L. IV. c. 18. Arabum *maz ma-yz*, *ænz*, Turcarum *Kecy*, Meninz. Lex. 806. 2367. 3885. 4241. Græcorum αἶξ, αἰγὸς, Ger-manorum *Geiſs*, propius adhuc Heluetiorum, ſpeciatim Glaronenſium, *Giz*, *Gizlin.*

אַיִל מְשֻׁלָּשׁ *Aries triennis* τὸ אַיִל nomen a ro-bore. Hinc & אֵל DEVS fortis. Hinc & Ethnici Jouem finxere Κριοπρόσωπον. Hinc Joui Hammoni afficta Cornua arietina, â quo ea-dem mutuò petiere Jouis filii, Alexander, Ly-ſimachus. Arabibus Aries ille cauda ampliori & pinguiori Aſiaticus vocatur *elejat* Meninzk. Lex 5817. de quo alibi.

Sequitur תּוֹר *Thor*, *Turtur*, τρυγών. Ab He-bræo Thor originem arceſſunt Itali ſuum *Tortora*

Tortora, *Tortorella*, Galli *Tourterelle*, Germani Turteltaube.

גוזָל *Gozal* ſignificat pullum omnium columbini generis Avium etiam Turturis. Synonymum affine Arabicum eſt *gauzal*, *gewzel*, Meninzk. Lex. 1677. Syri per methatheſin *zogal* dicunt pro *gozal*. Pœni olim *gozol*.

Offerre DEO Abrahamus juſſus *buculam*, *capram*, *Arietem*, *triennes* forté quia ſunt Animalia hæcce in vigore ætatis pleno robore. Sic apud *Lucianum* in *Deorum Dialogis* Ganymedes à Joue raptus, & dimitti petens pro λύτρῳ ſuo promittit ſe Joui immolaturum τὸν τριετῆ τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νομὴν, *triennem*, *magnum*, *qui Gregi in paſcua præit*. Qualis Aries ἀρνειὸς & μοχίας Græcé dicitur. *Heſychius* ἀρνειὸς, ὁ τριετὴς κριός. Poëtis τρίκουρος i. e. ter tonſus.

Geneſ. Cap. XV. verſ. 11.

Deſcenderuntque volatilia ſuper cadavera illa, Abram vero ea proturbabat.

Deſcenderuntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abram.

Cui nota diſtinctio Auium inter graniuoras & carniuoras, non duntaxat cibo diverſo, ſed & ſtructurâ corporis, inprimis roſtri & ventriculi, firmata, is non ibit inficias per עַיִט non intelligi heic debere auem ſimpliciter & generatim ita dictam, ſed carniuoram, rapacem, qualis nempe odore cadauerum allecta ſuper ea ruit. Occurrit eadem Vox Job. XXVIII, 7. & ab Ebræo forte eſt Græcorum ἀετὸς, αἰετὸς, Aquila, Auium rapacium præcipua. Sed quoque latior τοῦ עַיִט ſignificatus ſeſe ultra Aues extendit ad feras alias rapaces quadrupedes.

TAB. LXXVII. LXXVIII.

Geneſ. Cap. XVIII. verſ. 6. 7. 8.

Feſtinauit itaque Abraham in Tabernaculum ad Saram, & dixit: accelera, commiſce tres [(a)] modios farinæ purgatiſſimæ, & fac placentas.

Abraham vero currens ad armenta, & accepto juuenco pingui ac bono, dedit eum puero, qui feſtinauit & parauit illum.

Butyrum quoque tulit, & Lac, & juuencum, & appoſuit eis, ipſe vero juxta eos ſub arbore ipſis comedentibus ſtabat.

(*a*) Seim menſuræ genus fuit, forte quadrant alia.

Feſtinauit Abraham in Tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera tria ſata ſimiliæ commiſce, & fac ſubcinericios panes.

Ipſe vero ad armentum cucurrit & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum; deditque puero, qui feſtinauit & coxit illum.

Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis, ipſe vero ſtabat juxta eos ſub arbore.

Occurrunt heic duo, attentione noſtra digna, *Panis* ſeu *Placentæ* genus, & *menſura*.

Placentarum, quas Abrahami lectiſſima conjunx Sara ſacratiſſimis Hoſpitibus parare debebat, nomina ſunt עֻגָה vel עוּגָה Chaldaice *Chararah*, Arabicè *malil*. Eſt & hodie Arabibus *uggia*, *Ugga*, panis aut Lagani genus, ſed quod in ſartagine, ouis admixtis coquitur. Græce ἐγκρυφίας q. d. *abditi-tius*, *occultatitius*, quia dum coquitur latet in cinere ſepultus, *Heſychius* ἐγκρυφίας ἄρτε εἶδος ὃ ἐν σποδῷ γενομενὸς, τῷ μὴ εἶναι κλίβανον. Item ἔγκρυπτος, ἐσχαρίτης, ab ἐσχάρα foco, in quo coquitur. Hujus panis mentio fit Exod. XII, 39. Num. XI, 8. 1. Reg. XVII, 12. XIX, 6. Hoſ.




GENESIS Cap. XVIII. v. 6. 7. 8.
Convivium Abrahamiticum.

I. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 6. 7. 8.
Abrahams bewirthete Gäſte.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. XVIII. v. 6.

סאה · SEAH · ΣΑΤΟΝ. SATUM $\frac{1}{3}$ Ephah.

I. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 6.

Eine Maas.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap.XIX. v. 24. 25.
Imber. Sulphureus.

I. Buch Moſis Cap.XIX. v. 24. 25.
Sodoms Schwefelregen.

I.G. Pinz sculp.

Hoſ. VII, 8. Ezech. IV, 12. En igitur, Patriarcharum cupedias! Hoſpitum forte aduenientium delicias. Maſſa panis non fermentata Aquâ, vel lacte ſubacta, in cumulo cineris calidi recondita, ibi cocta, cineribus, ubi exempta fuit, undique conſperſa, quocum cibo conferri quodammodo poſſunt varii generis Lagana, quæ hodie coquuntur in ſartagine, vel ex farina & ouis cum Lacte, vel ex Pane ipſo cum ouis, Pfannenkuchen, vel ex maſſa farinacea cum Amygdalis.

סְאָה *Seab*, *Satum*, quarta ordine fuit menſura pro aridis, tertia pars τȣ̃ Epha, *ἰσχύει μόδιον καὶ ἥμισυ ἰταλικὸν valens modium unum & dimidium Italicum* Joſeph. L. IX. c. 2. Fuere proin *tria Sata* in textu noſtro *Epha*. Sati capacitas ab *Eiſenſchmidio* Pond. & menſ. p. 172. ponitur 674. pollic. cubic. Pariſin. ad menſuras noſtras Tigurinas redacta dat 6. $\frac{22}{250}$. modiolos, *mässlein*. In formam cubi redactum heic delineare jubeo, latere inuento 8. pollicum, 9. linearum Pariſinarum.

Sed quoque Paſtor Abrahamus paſtorale parat prandium ſacroſanctis Hoſpitibus. Hos tractat, ut Principem exciperet in caſula ſua alpina Sennus. Dat quod habet; Adſunt Greges & opera lactaria. Currit gaudio plenus ad בָּקָר *armenta*, *affert filium bonis tenerum & bonum*, i. e. vitulum: qui Hebræis fuit non in cibis ſolum, ſed & in deliciis. Et eſt ſané. ſi quæ, Caro vitulina εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, tenera, in optimum chylum facile reſolubilis, abundans partibus adhæſioni aptis.

Adeſt quoque *Lac*, nobiliſſimus in Mammis ſiue uberibus ſecretus ex ſanguine liquor, flos Sanguinis, cujus pars τυρώδης dat caſeum, λιπαρὰ Butyrum, ὀῤῥώδης Serum, partes utiliſſimas, corpori nutriendo aptiſſimas, imò, quod γαλακτοφάγων patet ſuffenas. Lacti jungitur *butyrum*. Ita quoque Deut. XXXII. 14. Jud. V. 25. חֶמְאָה *Chæmea* & Job. XXIX. 6. חֵמָה *Chemah*, cui voci lucem forte dat & originem Arabum *Chamah*, ſpiſſum, concretum eſſe.

TAB. LXXIX.

Geneſ. Cap. XIX. verſ. 24. 25.

Pluit igitur DOMINVS ſuper Sodomam & Gomorram ſulphure & igni à DOMINO de cœlis.

Et ſubuertit Ciuitates illas, & totam illam Planiciem, omnes quoque habitationes illarum urbium ſimulque germen Terræ.

Igitur DOMINVS pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem à DOMINO de cœlo.

Et ſubuertit Ciuitates has & omnem circa regionem, uniuerſos habitatores urbium & cuncta terræ virentia.

Obviæ paſſim in Hiſtoriis *Pluuiæ*, quæ plus habent admirationis, quam Prodigii, vel Miraculi, *Lapidum*, *Cinerum*, *Sanguinis*, *Tritici*, *Sulphuris*, Pluuia, qualem Annales noſtri memorant ad Annos 1653. $\frac{9}{19}$. Maji 1679. $\frac{19}{29}$. Aprilis, proſapiæ eſt vegetabilis, deriuanda ab Anthera illa, quam Abietes ac Pinus ſpargunt ex conis ſuis rubicundis.

Alia longe eſt pluuiæ, de qua nunc, Ratio. Præcipitatur é Cœlo ſulphur minerale, non ſpargitur per inſenſiles leuiſſimas atomos, ſed effunditur per amphoras, non inflammabilis materia, ſed accenſa, nempe iræ Diuinæ flatu גָּפְרִית וָאֵשׁ *Sulphur* & *Ignis* Pyrotechniæ feriæ exemplum, quo obuiæ quæque Ædes, Arbores, Homines, Animantia pereunt. *Sulphur pice* miſtum & *Sale*, quod conſtat ex Deut. XXIX. 22. 23. *Viſuri ſunt verbera hujus Terræ & languores, quibus DOMINVS illam languere facit, ſulphure & Sale exurentibus uniuerſam Terram ejus, ut ſeminari non poſſit, non germinante, neque exoriente in ea ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ & Gomorræ, Adamæ & Zeboim, quas ſubuertit DOMINVS in ira ſua, atque in furore ſuo.* Debebant perire non ſolum ſcelerati illi Sodomæi, ſed & vaſtari Regio ipſa, quæ homines tulit bipedum impiiſſimos, *ciuitates & tota illa planities* (*circa regio*) *ſimulque germen Terræ* (*virentia quæque*) *Hortus* ille DOMINI Geneſ. XIII. 10. commutare in Regionem deſertam, imo in *Mare ſalſum* Gen. XIV. 3.

Eſt namque triſtiſſimum hujus ſubverſionis Monumentum *Mare Mortuum*, *Lacus Aſphaltites* dictum, ab Aſphalto vel Bitumine, quod

Aquæ huic copioſe innatat, יָם הַמֶּלַח *Mare ſalſum*, tum propter Aquæ ipſius exceſſivam ſalſedinem, tum propter ſterilitatem. Vid. *Juſtin.* L. XXXVI. 3. 6. *Diod. Sicul.* L. XIX. 98. Tacit. Hiſt. L. V. c. 6. Et veteres judicaſſe vel ex reliquiis flammæ ſuſceptibilibus, fuiſſe olim ibi ignem deuaſtatorem, conſtat ex *Strabone* L. XVI. Et quis non judicaret inde conuerſionem *terræ frugiferæ* in *ſterile ſolum?* Pſal. CVII. 34, uti ex Monumentis Diluuianis Inundationem? Debebant, ut primi orbis incolæ Aquâ, ita Sodomæi igne perire, qui fœtore carnis ſuæ delectabantur, fœtore ſulphuris & Picis conſumi.

Tam dirum fuit ſupplicium illud τῦ πυρὸς καὶ Θέιυ de Sodomæis ſumtum, ut veluti in Tabula repræſentare queat conflagrationem illam Terræ finalem. Luc. XVII. 29. 30. Jud. v. 7. de modo, quo ſupplicium hoc fuerit executioni datum, nil præciſe ſtatui poteſt, & debet; non duntaxat cadens guttarum adinſtar ardens ſulphur ſale commixtum, ſed Tempeſtate horrenda coorta, Tonitrubus Aera frangentibus & tremefacientibus, fulguribus, hac illac jactis, fulmina copioſiſſime excuſſa, quibus euerſæ fuerint juxta Scripturam Urbes quatuor, *Strabonem* 13. Sed eſt vero quoque ſimile, contuliſſe & Terram ſuam ſymbolam, hiatibus ruptis profluxiſſe Ignem, imo Torrentes veluti Picis accenſæ, antea in viſceribus Terræ abſconditæ. Confirmare poſſunt hocce ratiocinium reliquiæ bituminis, mutatio vallis fertiliſſimæ in lacum putidiſſimum, Jordanis, qui illam vallem perluebat, abſorptio, de qua perhibet Teſtimonium *Strabo* antiqua traditione fundatum.

Hominibus maledictarum Vrbium totalis πανολεθρία illata *omnes habitatores ſubuerſi*, adde teſtimonium Jeſ. I. 9. Οἱ δυνάμενοι φυγεῖν apud *Strabonem* non erant ex Sodomæis ulli, ſed Lothus cum filiabus per Angelos eductos.

TAB. LXXX.

Geneſ. Cap. XIX. verſ. 26.

Uxor vero Loth retroſpectauit poſt illum, & facta eſt ſtatua Salis.

Reſpiciensque Uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Salis.

R*Etro ſpectauit* Uxor Lothi ἐις τὰ ὀπίσω, *retrorſum* in eodem exiſtens cum Lotho & filiabus itinere, in eadem, ut communiter pingi ſolet, ſocietate. *Poſt illum*, ut Ebræum מֵאַחֲרָיו, noſtra Latina, nempe Lothum, nempe in ciuitatem Zoar jam ingreſſum. Sic non conuenit latina cum vernacula noſtra, dum hæc habet ſimpliciter *retrorſum, hinter ſich, poſt ſe, illa poſt illum*, Lothum. Sed potuit accidiſſe utrumque, & reſpectaſſe curioſula *poſt ſe* & *poſt illum* imo vel retroceſſiſſe, vel reditum cogitaſſe, id quod conjicere licet ex monito Saluatoris Luc. XVII. 32. μνημονέυετε τῆς γυναικὸς Λώτ.

Majoris Momenti & difficultatis eſt Controuerſia de *Statua Salis*, inquam conuerſa Uxor Lothi, nempe combuſta à Sulphure, ut vult *AbenEzra*; Aliis τὸ מֶלַח Sal accipientibus metaphorice pro perpetuitatis Symbolo ut נְצִיב מֶלַח ſit *ſtatua incorruptibilis*, permanſura in Secula, ut Num. XVIII. 19. *Pactum Salis* ſumitur pro perpetuo, nunquam deſituro. Hinc orta fabula de perpetuitate hujus Monumenti, quam ſua Αὐτοψία fulcit *Joſephus*, & eo extendunt usque *Tertullianus Carm. de Sodoma, & Irenæus* L. IV. 51. creduli nimis, Patres, quod retinuerit ad ſua usque tempora non ſolum formam externam, ſed & Sexus differentiam, imo patiatur muliebria. Habet Antiquitas omnis ἑλκυστικόν τι. Ante credimus, quam videmus. Accedimus ſacris veluti præjudiciis imbuti, & faſcinantur veluti oculi, ut examine ſuperſedeat Animus. Et quid ſi attraxerint exteros, quæſtumque forte non contemnendum inuenerint accolæ? Peregrinationis Religioſæ, ſaltem curioſæ ſpecies. Fuerunt utique fœdera ſale ſancita, ut Sacrificia ſale condita; Sed perennitatis Symbolum non eſt ſal, corpus aqua ſolubile, ſed potius ferrum vel Saxum.

Explet *Heinſio Exerc.* N. T. ſenſum Ellipſis. Στήλη ἁλὸς idem eſt quod ὡς ςήλη ἁλὸς; ut in Cantico: *Oculi tui ſunt columbæ*, i. e. ſicut columbæ, diriguit nempe ὀπισθότονον affectum potius paſſa quam μεταμόρφωσιν, inſtar Statuæ Salis. Arguta expoſitio, dummodo vera.

Placet Commentatoribus aliis non tam annihilatio ſubſtantiæ, quam heterogenei appoſitio, qui illam intus foriſque ſale oppletam diriguiſſe pertendunt. Et ne quis putet, Monumentum hoc non magis æternum fore, quam pacificationes ſunt hodiernæ, ſæpe vix ultra

TAB. LXXX.



GENESIS Cap. XIX. v. 26.
Statua Salis.

I. Büch Moſis Cap. XIX. v. 26.
Lothſ Weib eine Saltz=Saüle.

B. S. Sedlezky sculp.

RPJCB

ultra menſes annoſue paucos duraturæ, in exempla trahunt rupes æternas ſalis in Africa, Tartaria, India, Arabia, Polonia, Transſylua-nia, Hiſpania foſſilis, de quo *Plinius* L. XXI. c. 7. Sal idem ferro inuictum. *Gerrhæorum* ἁλίνας οἰκίας, *ſalinas domos* apud *Strabonem* L. XVI. Ruſticos illos Bauaros cum vaccis ſuis Terræ motu & peſtilenti aura correptos in ſtatuas ſalarias concretos apud *Auentin. Annal. Bojor.* Quæ narrationes ſuſpicione laborant; Reformationem ſuggerit naturalis Hiſtoria.

Vexata eſt quæſtio, an miraculis accenſenda ſit τῆς עדית *Adith* (ita Uxorem Lothi vocant Hebræi) in ſtatuam Salis commutatio? Affirmatiuam tenent alii, alii negatiuam. Neutri forte recté, quia modus, quo id factum, non conſtat. Rariſſimum certé eſt Diuinæ ſeueritatis teſtimonium, imo unicum.

Haud defuit DEO in ipſa natura materia, qua & Sodomææ urbes ſubverti, & Uxor Lothi obrigeſcere poterat. In promtu erant Theſauri. Et liberum Philoſopho eſt modos excogitare, quibus hæc ἀλομόρφωσις effici poterat. Liberum, in Theatrum producere Petrificationes, Involutiones, Balſamationes, Vitrificationes. Poterat ſane corpus miſeræ à Particulis ſalino-terreis ita in omnibus poris, intus & extus repleri, ut quod antea molle fuerat, tactuique cedebat, ſaxi ad inſtar indureſceret? quod antea corruptioni & diſſolutioni obnoxium, poſt incorruptibile fieret, tactuique reſiſteret. Exempla hujusmodi petrificationis proſtant innumera, Lignorum, Fructuum, Conchyliorum, Oſſium, Animantium, Vegetabilium; poterat cruſta ſeu tofaceâ ſeu lapidea ſeu bituminoſo-ſalina obduci, & ab Aeris actione corrumpente præſeruari, ſicque Adith viua balſamari. Exempla dant Fructus & Animalcula Succino inuoluta, alia Aquis petrificantibus, & obuia quæuis incruſtantibus, injecta. Poterat, quod *Wedelio de Excidio Sodomorum & ſtatua Salis* placet, ab igne fulmineo vitrificari: id quod contingit corporibus quibusuis lentibus Tſchirnhuſianis expoſitis: poterat miſera, quod vult *Sturm, Unterſuch. H. Schrifft* p. 167. à Torrente bituminoſo corripi, Bitumine liquido inuolui, alia materia arenoſa, terrea contumulari, & in tali tumulo, finita Cataſtrophe reperiri.

Extenuat rem pro more ſuo *Clericus Diſſ. de ſtatua Salis* נְצִיב ipſi non eſt *ſtatua*, ſed in genere *durum* quid, *rigidum*, *immotum.* *Philoni* ſane *Lib.* de *Profugis* dicuntur ἀψύχȣ καὶ κωφῆς λίθȣ τρόπον ςηλιθεύεσθαι, *lapidis muti vel inanimati inſtar obrigeſcere.* Colludit & Germanica loquendi ratio: *Er ſtehet wie ein Stock, Er ſtarret oder raget wie ein Scheit.* *Vox* מֶלַח non duntaxat ſignificat *Sal*, ſed & *Terram* ſterilem, *ſalſuginoſam*, ut eſt illa ad Mare Mortuum Deut. XXIX. 23. Pſal. CVII. 34. ubi LXX. ἁλμυρὶς & ἅλμη. Perierit ita Uxor Lothi in Terra ſalſuginoſa, metu dirigens, exanimata concidens, vel & vapore ſulphuris & bituminis ſuffocata. Periret hocce obrigeſcentiæ, & proprio magis ſenſu, qui curioſulus nimis, vel præceps Labinæ ventoſæ accideret propius. Hujusmodi locutione metaphorica *emortuum* dicitur *Cor Nabalis in ipſo, ut fieret tanquam Lapis* 1. Sam. XXV. 37. *Ariadne* apud Ouidium, nominetenus τῇ *Adith* cognata:

Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

Hinc metamorphoſis illa *Niobes* Tantali filiæ in ſaxum apud *Ciceron. Tuſcul.* III. ſignificat mœrorem perpetuum ex jactura liberorum. Locat autem hanc Niobes Hiſtoriam in parallelo cum hac noſtra Uxoris Lothi *Clemens Alex. Protrept.* p. 65. Qui hæc *Clerici* cogitata in extenſo refutata videre cupit, adeat *Witſii Diſſ. de Uxore Lothi*, qui id in Clerico tolerare nequit, quod Scripturam tentet cogere in gyrum ſuæ Rationis, oſtenditque נציב nullibi in S. Codice notare attonitum, ſtatuæ inſtar immotum, ſed quidem ſtatuam, præſidium: *Philonem* ipſum expreſſis verbis ſtatuiſſe mutationem Uxoris in ſtatuam: מֶלַח ſignificare *Sal* ſed מְלֵחָה terram infructuoſam, & poſito harum vocularum ſignificatu, quem Clericus iis dat, vertendum fore textum, *& facta eſt Uxor Lothi ſtupens, ſterile ſolum*, ſenſu prorſus ἀπροσδιονύσῳ.

In eodem cum *Clerico* ſcamno locari meretur *Hermannus von der Hardt de Monumento Uxoris Lothi*, qui vult, periiſſe uxorem Lothi plane ut Sodomæ ciues igne, ſed erexiſſe poſt vel Lothum ipſum, vel ejus poſteros, Ammonitas & Moabitas in facti memoriam Monumentum ſiue Statuam ſepulcralem.

Inuenit hoc ipſum miſeræ Monumentum *Heumannus* Diſſ. *de Fato Uxoris Lothi* in Europa in Agro Bononienſi, in Inſcriptione illa, quæ hactenus Eruditorum torſit ingenia, quodue Epitaphium Uxori Lothi dextre applicat. En illud!

D. M.
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR NEC MVLIER
NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC JVVENIS
NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX
NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO
NEQVE VENENO
SED OMNIBVS
NEC COELO NEC TERRIS
NEC AQVIS
SED VBIQVE JACET
LVCIVS AGATHO PRISCVS
NEC MARITVS NEC AMATOR
NEC NECESSARIVS
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS
NEQVE FLENS
HANC
NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM
NEC SEPVLCHRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.

RPJCB



GENESIS Cap. XX. v. 16.
Siclorum diverſitas.

I. Buch Moſis Cap. XX. v. 16.
Unterſchiedliche Sikel.

H. Sperling sculp.

TAB. LXXXI.

Geneſ. Cap. XX. verſ. 16.

Ad Saram autem dixit: (Abimelechus) En dedi fratri tuo mille Argenteos.

Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.

EſtVox כֶּסֶף πολύσημος, notans 1. Argentum, Metallum, 2. Pecuniam ex Argento, ut Gallorum Argent commune eſt utrique, imo pecuniæ ex omni metallo: & Græcorum Ἀργύριον. *Varinus* : Ἀργύριον πᾶν νόμισμα, εἴτ᾽ ἐν χαλκῷ, εἴτ᾽ ἀργύρῳ, εἴτ᾽ ἐν χρυσῷ. 3. Omne bonorum atque Divitiarum genus. Ita accipienda eſt lamentatio Rahelis & Leæ Gen. XXXI. 15. 16. Triplex hic Vocis ſignificatus heic locum non inuenit, propter adjectum numerum *mille*, niſi quis ſtatuat, voluiſſe Abimelechum certo numero exprimere ingentem ſed incertum, ut nos Germani ſæpe: *ich wolte nicht tauſend Gulden nehmen, und diſs oder jenes thun.* Hinc eſt, quod potius 4. intelligamus per כֶּסֶף monetam apud Hebræos uſitatam ex Argento, *Siclus* dictam.

Ex hoc Textu neutiquam patet, an ſiclus fuerit ad bilancem vel ſtateram ponderatus, an vero Moneta ſignata? Sed quidem ex locis aliis, & univerſa Siclorum Hiſtoria, conſtat fuiſſe Siclos ponderatos, Gen. XXIII. 16. *Expendebat Abrahamus Ephroni argentum, quadringentos, nempe Siclos argenti, publicæ & priuatæ monetæ.* Imo vero ſtatuunt hodie eruditiſſimi quique, non fuiſſe Judæis in Veteri Teſtamento, niſi Maccabæorum temporibus, monetam ſignatam. Si cui ſuſpecta videbatur quantitas ſeu continua ſeu diſcreta, is in ſubſidium poterat adhibere pondus, bonitatem autem Metalli examinare vel ad Lydium Lapidem, vel alia δοκιμασίᾳ. Ponderationis quoque mentio fit diu poſt hæc noſtra tempora, 1. Chron. XXI. 25. Jer. XXXII. 9.

Sed expendendus venit τοῦ שֶׁקֶל *Sicli* valor tum in pondere, tum in moneta. Δαδοῦχος erit locus, Matth. XVII. 24. ex quo conſtat, Στατῆρα, Staterem, æqualem eſſe Tetradrachmo, quia ſufficiebat ſoluendis Didrachmis pro Saluatore & Petro. Et aliunde, ſoluendum fuiſſe ſingulis annis omni Judæo ſemiſiclum pro Templo, qui fuit hoc ipſum Δίδραχμον. Siclus proinde Τετράδραχμον. *Joſephus* autem rerum Judaicarum callentiſſimus, docet nos Ant. L. III. c. 9. Siclum conſtare Drachmis Atticis quatuor. Inquirendum proin pondus Tetradrachmi Attici. Heic præ aliis placet *Eiſenſchmid. Pond. & Menſ.* p. 53. Inuenit is, & ante eum *Montanus*, *Merſennus*, *Villalpandus*, pondus Sicli Hebraici granorum Pariſienſium 268. granis 8. majus ſemuncia Romana vetere, ſed 64. granis leuius Tetradrachmo Attico, quod idem pondus congruit cum 320. granis hordeaceis, quot quidem Siclo dant veteres Rabbini. Commutata hæc grana 268. in pondus Medicinale dant drachmas 3. ſcrupulos 2. 8. ; 90. grana. Aliter *Bernardus*, qui Tetradrachmo Argenteo Hebræorum dat grana monetaria 288. quæ reſpondent Pariſienſibus 351. In valore autem monetali æquiualet Siclus 45. crucigeris Germanorum. Proin 1000. Sicli Abrahamo dati ab Abimelecho, vel expenſi dabunt uncias 475. Grana 9. ſiue 950. lothones, & 9. grana, ſiue 750. florenos; Sic reduci poſſunt & debent alia S. Scripturæ loca paſſim obuia, quæ de Siclis agunt.

Vtut autem conſtans ſit Eruditorum noſtri temporis aſſertum, in Veteri Teſtamento ad ſecundum usque Templum non fuiſſe à Judæis cuſas certa aliqua effigie monetas, ſed duntaxat pondere appenſas, Lamellas Argenti, & omnes illos Siclos Samaritano charactere ſignatos non adſcendere ultra Maccabæorum ætatem, & qui Hebræas geſtant literas, ne ad eam quidem; haud tamen erit, quod ſpero Lectori hujus operis ingratum, ſi in Tabula integra ſiſtam ſeriem hujusmodi numorum, quos tum ex Autoribus variis, tum ex Numophylaciis congeſſit Vir ob Literaturam & inſignia merita celeberrimus *Joh. Baptiſta Ottius*, Eccleſiæ Tigurinæ Archidiaconus meritiſſimus.

N. 1. Exhibet ab una parte *Simonis* nomen, & *Palmam*, ab altera *Balſami*, vel potius *Vitis* folium, cum Inſcriptione *Liberatio Hieroſolymæ.*

N. 2. Inſcriptiones habet easdem, ſed ab una parte Palmam cum duobus vaſis ſeu urceis: ab altera duo alia vaſa, ex quibus planta ſuccreſcit.

N. 3. Ab una parte Simonis nomen in Corona ſiue Corolla, ab altera urceum ſeu urnam anſatam cum ramo & liberatione Hieroſolymæ.

N. 4. 5. 6. Ex parte prona ſiſtunt Templi ſtructuram cum Simonis nomine, ex averſa, Liberationem Hieroſolymæ, & faſciculum, ut videtur, frumenti.

N. 7. Simonis Nomen à prona cum botro, Liberationem Hieroſolymæ ab altera cum Lyra.

N. 8. Sub iisdem inſcriptionibus ab una parte Lyram ſiſtit, ab altera ramum arboris, vel frumenti ſpicam in corona.

N. 9. Secundum annum liberationis Zionis indicare dicitur, qui cadit in Annum 139. ante Chriſtum natum.

N. 10. 11. Quartum annum a liberata Zione, quod tempus reſpondet anno 137. ante Saluatorem natum.

N. 12. 13. Mutuo ſumti ex Relando, & ex uno latere habent duplex cornucopiæ.

N. 14. Prodit ex proprio meo Muſeo donum Ill. *Guilielmi Sherardi* Nationis Anglicæ Ex-Conſulis Smyrnenſis, coincidit cum n. 11. ſed quibusdam in partibus integer magis, ut lucem affundat ſententiæ Eruditorum Virorum. Exhibet is in prima facie palmam, Phœniciæ Symbolum, cum dependentibus utrinque Dactylis, & ſub illa duos calyces ſeu Scyphos, aſſeruandæ Mannæ, vel forſan hauriendæ in Tabernaculorum Feſto Aquæ & Vini libationi deſtinatos. Ex altera parte ſeſe offerunt duo לוּלָבִים Judæis in eodem Tabernaculorum Feſto manibus geſtari ſoliti, in quorum medio malum Punicum ſeu Citreum. Inſcriptio ab una parte habet *Redemptio Sionis* nempe à Syro-Macedonibus; ab altera: *anno quarto* ſcil. Simonis; habuit hic Numus valorem dimidiæ Geræ ſiue $1\frac{1}{8}$. cruciati. Ita hunc Numum pro ſuo ergo me affectu illuſtrat Celeb. Theol. Prof. *Joh. Rodolfus Cramerus* Amicus multis nominibus mihi honorandus.

TAB. LXXXII. LXXXIII.

Geneſ. Cap. XXII. verſ. 13.

Sublatis itaque oculis ſuis reſpexit Abraham, & Aries retro implicitus erat vepreto cornibus ſuis. Et abiit Abraham, tulitque Arietem illum, & immolauit eum Holocauſtum pro filio ſuo.

Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.

Accidit heic Abrahamo ſeu Θαῦμα, ſeu Θαυμαθῶδες τὶ in emergenti, quod fidem Hominum, ſi patrem fidelium excipias, ſuperat. Intentat gladium optimus Pater in unici filii Iſaaci jugulum, eum im̃olaturus in Holocauſtum; & ecce ἐκ μηχανῆς apparet Angelus, qui Hominem in Sacerdotum genere unicum cohibet. Videt oculis ſublatis *Abrahamus Arietem, implicitum vepreto cornibus ſuis*; arripit hunc, & pro filio offert in Holocauſtum DEO ſuo. De hoc Ariete nugantur, pro more, Hebræi, creatum fuiſſe ante annos 2000. & amplius, ſub veſperam diei ſextæ creationis, & per tot Secula in hunc ſingularem uſum reſeruatum. Ita *Jonathan* in Paraphraſi, R. *Selomo Tanchuma.* Suffecit infinitæ ſapientiæ Providentia, cui confiſus Abrahamus ad filium ita v. 8. *DEVS prouidebit ſibi pecus in Holocauſtum.* Dedit & hæc Prouidentia nomen loco v. 14. DOMINVS VIDEBITVR vel, DOMINVS PROVIDEBIT. Non anxie quærimus, unde venerit hic Aries, qui à grege quopiam aberrare facile poterat, & dirigente ita DEO in Abrahami manus incidere.

Simile quid legitur in Mythologia Græcorum de *Iphigenia* à Patre *Agamemnone Dianæ* oblata, quæ eum *Calchantis* miniſterio jam eſſet immolanda, liberata fuit à Cerua, quæ ante aram intrepida ſeſe ſiſtebat. Habebis ipſiſſimam noſtram hiſtoriam, ſi *filium* mutaueris in *filiam*, *u* in *a*. *Iſaacum* in *Iphigeniam*, *Abrahamum* in *Agamemnonem*, *Arietem* in *Ceruam.* Ita quoque ſubſtitui poteſt fabula, de *Helena*, & ſubſtituta ei *Bucula* apud *Ariſtodemum*, ubi Helenâ aris admotâ, ut graſſante Peſte pro ſalute populi immolaretur, Aquila devolans arripuit gladium, & in armentum deuolans buculæ impoſuit; vel ſimilis prorſus huic ex Ariſtidis *Italicis* de *Valeria Luperca.*

Impli-



GENESIS Cap. XXII. v. 13.
Abrahamus ſacrificans.

I. Buch Moſis Cap. XXII. v. 13.
Der opfernde Abraham.

M. Tyroff sculp.

JCB



Ad illuſtr. GEN. Cap. XXII. v. 10-13.
Aquila liberat Helenam ſacrificio.

Vergleichung mit I. B. M. Cap. XXII. 10-13.
Helenä Aufopferung v. Adler verhindert

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. XXV. v. 25.
Esauus Villosus.

I. Būch Moſis Cap. XXV. v. 25.
Der raūch=haarichte Eſaū.

G. D. Heūman sculp.

Implicat Interpretum animos *Aries implicitus vepreto cornibus ſuis*, nempe denſo ſiue perplexo. *Jonathan* detentum fuiſſe ait ἐν ὑλήματι, *Onkelos* in *Arbore*, *Syrus in ramis*, Arabs Pariſiis editus in *ramis Arborum*, Arabs Erpenianus in *ſpinis*, *Aquila* in συχνῷ in condenſo ſc. arborum. *Symmachus* in δικτύῳ, in reti, LXX. & *Theodotion* ἐν φυτῷ σαβὲκ, quod *Sabec Heſychius* explicat per βάθος, ubi legendum haud dubie βάτος, *rubus*. *Cyrillus* & *Phauorinus* χρυσολάχανον, potius, ut legit *Bochartus* χρυσόγονον, apud Dioſcoridem θάμνυς πυκνὸς frutex denſus, cui folia ſunt quernis ſimilia; Permiſerim ego heic Pictoribus & Sculptoribus eam, quâ alias uti ſolent licentiam.

Linquo Philologis Obſeruationes Criticas, Judæis Arietem 2000. annorum, arboribus implicitum à Satana, Jurisperitis quæſtionem, an potuerit Abrahamus ſacrificium DEO offerre ex alieno? Theologis denique myſticam Arietis ad CHRISTVM applicationem.

TAB. LXXXIV.

Geneſ. Cap. XXV. verſ. 25.

Egreſſusque prior rufus veluti gauſapina villoſa totus hiſpidus, vocauerunt ergo nomen ejus Eſau.

Qui primus egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen ejus Eſau.

EX Gemellis, quos Rebecca geſtauerat, primus *Eſauus* alias quoque *Seir* & *Edom*, prodiit *prior rufus veluti gauſapina villoſa totus hiſpidus*, ἐξῆλθε ὁ πρωτότοκος πυῤῥάκις ὅλος ὡσεί δορὰ, δασὺς, verbo, *rufus* & *piloſus* quemadmodum *Satyros* Poetæ deſcribunt. Unde, qui Satyrorum in Theatris perſonas ſuſtinebant, hinnulorum aut Hircorum pellibus induebantur. Satyrorum in confinio Æthiopiæ degentium meminit *Plinius* L. V. c. 8. VI. c. 30. Hodie de hujusmodi gentibus nihil conſtat. Ut dubium haud ſit, veteres pro *Satyris* aſpexiſſe Animalia ἀνθρωπόμορφα, qualia ſunt *Simiæ*, *Cercopitheci*, *Cynocephali*, humanam figuram & mores imitantes. Huc ſpectat inprimis ille *Orang-Outang* ex Angola delatus *Frederico Henrico* Arauſionenſium Celſiſſimo Principi dono datus, quem *Tulpius* Obſ. L. III. c. 56. *Hominem Sylveſtrem* vocat, & *Satyri Indici* titulo deſcribit. Hunc quia in præſenti Tabula ſiſto, haud abs re erit Iconi jungere ipſam deſcriptionem. *Exprimit longitudine puerum trimum, ut craſſitie ſexennem. Corpore erat nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato, habiliſſimo tamen ac perniciſſimo. Artubus tam ſtrictis, & muſculis adeo vaſtis, ut quiduis & auderet & poſſet. Anterius undique glaber, at pone hirſutus, ac nigris crinibus obſitus. Facies mentiebatur Hominem, ſed nares ſimæ & aduncæ, rugoſam & edentulam anum. Aures nihil diſcrepabant ab humana forma, uti neque pectus, ornatum utrinque mamma prætumida (erat enim ſexus feminini:) Venter habebat umbilicum profundiorem, & artus cum ſuperiores, tum inferiores tam exactam cum Homine ſimilitudinem, ut vix ouum, ouo videris ſimilius. Nec Cubito defuit requiſita commiſſura, nec manibus digitorum ordo; nedum pollici figura humana, vel cruribus ſuræ, vel pedi calcis fulcrum. Quæ concinna ac decens membrorum forma in cauſa fuit, quod multoties incederet erectus: neque attolleret minus grauate, quam transferret facile qualecunque grauiſſimi oneris pondus. Bibiturus prehendebat canthari anſam manu altera: altera vero vaſis fundo ſupponens, abſtergebat deinde madorem labiis relictum non minus appoſite, ac ſi delicatiſſimum vidiſſes aulicum. Quam eandem dexteritarem obſeruabat utique cubitum iturus. Inclinans quippe caput in puluinar, & corpus ſtragulis conuenienter operiens, velabat ſe haud aliter, ac ſi vel molliſſimus illic decubuiſſet Homo.* Hac interim collatione haud prætendo *Eſauum* fuiſſe *Satyrum* vel θηρία illa ἀνθρωπόμορφα eſſe progeniem Eſauiticam. Eſauum conſidero ut monſtroſum: vel quaſi; partum, quem forte imaginatio matris hiſpidum formauerat, ſiue piloſum, forte & rufum, licet plurimi dentur infantes, qui rubro colore in dias luminis prodeunt auras.

TAB.

TAB. LXXXV.

Geneſ. Cap. XXV. verſ. 34.

Jacob ergo dedit Eſau panem, & quod ex Lentibus coxerat: ille vero comedit & bibit, ſurgensque abiit, vilipenditque Eſau jus primogenituræ.

- - Et ſic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, paruipendens, quod primogenita vendidiſſet.

En heic ſimplicitatem in victu, & rei pretioſiſſimæ, Juris primogenituræ vilipendium! Filios en! Patris opulentiſſimi frugales, parſimoniæ ſtudioſos! Eſauum ex venatione victitantem, domui fercula ex feris agri inferentem, Jacobum panem comedentem, & *Lentes* עֲדָשִׁים ſiue cocturam, pulmentum ex lentibus! victus quo ſimplicior, eo melior, quo antiquior, eo ſimplicior: Veteres ſimplicitatem docuit Natura & Neceſſitas, *Arcades glandibus veſci, Argiuos pomis, quæ Appia dicuntur, Athenienſes ficubus, Tyrinthios ſylveſtribus pyris: Indos Arundinibus: Carmanos palmis, Milio Sauromatas & Mæotas, Terebintho & Naſturtio Perſas Ælian. Var. Hiſt.* L. III. Nunc Terricolas perdit luxuria, & varius cibus; chylus ibi laudabilis & ſimplex, hic multiplex, heterogeneis variis particulis fœtus. Ibi ſtomachus ſubigit facile ſueta, licet alias non optimæ notæ, qualia ſunt leguminoſa, & inter hæc ipſa *Lens.*

Lens עָדָשׁ φακὴ, Φακὸς Græcis magno fuit in pretio, Philoſophis inprimis chara. Apud *Athenæum* legitur *Zeno* coxiſſe *lentes.* Imo apud eundem L. IV. Stoicorum erat præceptum, *Sapientem omnia recte agere, & lentem diligenter condire.* Et inuenit *Plinius* L. XVIII. c. 12. *apud Auctores æquanimitatem fieri veſcentibus ea.* Hinc forte, ſeu Ratione ſeu Experientia duce, ſeu ex præjudicio, *Lens* Stoicorum cibus, qui à *lentium* victu *lenti* facti & *lenes.* *Lenticulam inuenimus cibum eſſe Ægyptiorum, nam ibi abundat in Ægypto, unde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit usque in Terras noſtras, quaſi hîc non naſcatur Lenticula. Ergo deſiderando Eſau cibum Ægyptiacum perdidit primatum Auguſtin.* in Pſal. 46. Ipſa tamen Ægyptiaca Lens pauperum fuit cibus, non magni olim apud Romanos habitus. Teſtem habemus Martialem:

Accipe Niliacam Peluſia munera Lentem
Vilior eſt Alica, carior illa Faba.

Imo Medicis hic cibus malé audit, κακόχυμος καὶ δύσπεπτος, aluum ſiſtens, flatus concitans, licet in Re Medica pro ſpecifico habeatur ad expellendas Variolas. Qualisnam præciſe fuerit hæc Lens Eſauo appoſita, an *Lens vulgaris* C. B. an *Lens major* C. B. non conſtat. Illam in hac Tabula ſiſtit Fig. I. hanc Fig. II. Utriusque, imo omnis Lentis characterem Fig. III. Dubium mouet color ruber pulmenti ἑψήματος πυῤῥοῦ v. 30. de quo an lentibus ipſis adſcribi debeat, vel condimento, ex Textu nil conſtat. Silentibus ipſis, competet potius *Lens vulgaris*, quæ aliquando habet grana ſubrufa; major enim & Italica eſt candidior. Κοφεφίλῳ legenti hancce Hiſtoriam in mentem facile venire poſſet, ſaliuamque moueret Caffé potus, cujus arboris fructus eſt fabaceus, Lentibus haud adeo abſimilis, Decoctum rubrum.

TAB.



GENESIS Cap. XXV. v. 34.
Esauus ΦΑΚΟΦΑΓΟΣ.

I. Buch Moſis Cap. XXV. v. 34.
Eſaü Linſen Speiſe.

H. Sperling sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. XXVIII. v. 12.
Iacobus ſomnians.

I. Buch Moſis Cap. XXVIII. v. 12.
Der traümende Jacob.

M. Tyroff sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. XXVIII. v. 18. 19.
Lapis Bethelis.

I. Buch Moſis Cap. XXVIII. v. 18. 19.
Der Stein zu Bethel.

M. Tyroff sculp.

TAB. LXXXVI.

Geneſ. Cap. XXVIII. verſ. 12.

Et habuit ſomnium, & en ſcala erat poſita in Terram, cujus culmen pertingebat usque in Cœlum, Angelique DEI aſcendebant, & deſcendebant per eam.

Viditque in Somnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum, Angelos quoque DEI aſcendentes & deſcendentes per eam.

Aſt in omni *Somnio* aliquid, quod captum noſtrum tranſcendit, imo in omni perceptione ſenſuali, quod nos immediate ducit ad DEVM. Nam quæ quæſo convenientia inter rem viſam & ideam Mentis? quis nexus inter rem dudum vel viſam, vel auditam, guſtatam vel tactam, & cogitationes, quas mente dormiens refrico? Et tamen diſcrimen eſt ingens, hiatus immenſus, inter *Somnia naturalia* & *divina*. Ibi repræſentatur res juxta Naturæ ductum, juxta Leges à DEO latas: Hîc operatur DEVS independenter à ſuis legibus ordinariis immediaté in mentem Hominis, eidemque reuelat, quæ vult: plané ut aliis ſe reuelauit per *Viſionem*, aliis *de Ore ad os*: ita heîc Jacobo ſeſe manifeſtauit per *ſomnium*. Ita latentes euentus in ſomniis DEVS aperuit *Abrahæ*, *Abimelecho*, *Labani*, *Joſepho*, *Pharaoni*, *Salomoni*, *Nebucadnezari*, *Danieli*, *Judæ Maccabæo*, *Joſepho*, *Magis*, *Pilati uxori*, *Paulo*. Sed Onirocritica in Viris DEI eſt diuina, aliorum vana & ridicula. Scala, quam vidit Patriarcha alius eſt fori non mei.

TAB. LXXXVII.

Geneſ. Cap. XXVIII. verſ. 18. 19.

Conſurgens autem Jacob diluculo tulit Lapidem, quem ſibi ceruical capitis ſui poſuerat, & erexit illum in ſtatuam, fuditque oleum ſuper ſummitatem ejus.

Et vocauit nomen loci illius BethEl (etenim nomen illius ciuitatis antea Lus erat.)

Surgens ergo mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.

Appellauitque nomen urbis BethEl, quæ prius Luza vocabatur.

Ecquis crederet, Textum hunc pertinere ad Mineralogiam ſpeciatim Lithologiam, imo Lapidum Fulminarium hiſtoriam, lucem ſaltem affundere vetuſtiſſimorum ſcriptorum tenebris? Prætereo lubens Hebræorum de hoc lapide, quo Jacobus pro ceruicali uſus, quemue in στήλην erexit, nugamenta: defixa eſſe veluti umbilicum in centro Terræ, imo baſin eſſe uniuerſæ Terræ, inprimis Templi Domini, indeque vocari *Lapidem fundationis*. DEVM eo obſignaſſe os Abyſſi magnæ: à Salomone collocatum eſſe in Sanctuario: ei inſculptum eſſe nomen tetragrammaton, quo furtim ablato JESVS miracula ſua patrauerit *Pirke R. Elieſer* 235. *Jonathan in Thargum* Exod.

XXVIII. *Joma* f. 53. 54. Tranſiit ſeu Lapis ipſe, ſeu ejus memoria Judæis adeo ſacra, ſeu nomen ipſum ad Gentiles. Qui nomen dedit *Betheli*, dedit & *Bætylo ſeu Betulo.* En quomodo! coluere hunc Lapidem Phœnices, ſed & alios, quos conſecrarunt, Bætylorum nomine inſignes. Ita *Sanchoniaton*, interprete *Philone Biblio*, ἐπενόησε θεὸς ὀυρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. *Excogitauit DEUS Uranus Betulia, cum fabricaſſet lapides animatos.* Ad quem locum videatur *Bochart Geogr. Sacr.* L. II. c. 2. qui lapides *unctos* mutatos vult in *animatos.* *Aſclepiades* juxta Heliopolin Syriæ Libanum montem aſcendens inueniſſe legitur βαιτύλια vel βαίτυλους, teſte Photio ex Damaſcio. Idem Lapidi inditum nomen Saturno pro Joue dicato apud *Heſychium.* Vocatur idem *Abdir*, *Abadir*, *Abaddir*, tanquam אב אדיר *Pater magnificus*, vel אבן דיר *Lapis Sphæricus*, quia hæc fuit forma *Bætuli.* Audi *Plinium* L. XXXVII. c. 9. ubi de Cerauniis. *Sotacus & alia duo genera facit Ceauniæ, nigras rubentesque, ac ſimiles eas eſſe ſecuribus: per illas, quæ nigræ ſunt & rotundæ, urbes expugnari, & Claſſes, easque* Betulos *vocari, quæ vero longæ ſunt*, Ceraunias. Eſt igitur *Bætylus* veterum ipſe modernorum *Ceraunius* ſeu cunciformis, ſeu rotundus & niger, ſæpe perforatus, qualismodi Lapides perſæpe inueniuntur juxta Urnas in Sepulchris veterum Gentilium Germanorum, inprimis Septentrionalium, & ex probatiſſimorum Scriptorum judicio victimis cædendis fuere adhibiti. Plura vid. in *Büttner* Rud. Diluv. p. 92. *Nov. Lit. Mar. Balt.* 1699. p. 96. 1700. p. 341. 21. 23. *Wolfart* hiſt. nat. Haſſ. 46. Tab. XXII. & XXIII. *Dan. Major. bevölckert Cimbrien* c. 39. *Arnkiel* Cimbr. L. II. p. 166. Quid ſi Bætuli hi, quorum figuras varias præſens ſiſtit Tabula, ſepulchris fuerint inditi, ut tanto tranquillius quieſcerent defuncti, quemadmodum Bætulo ſuo ſecurus incubauit Patriarcha? Conjecturam hanc, quam nemini obtruſam volo, ampliore nunc non vacat. Addere poſſem figuram Bætulorum ſæpe cauam, ut eſt ceruicalis, cui caput incubuit.

TAB. LXXXVIII.

Geneſ. Cap. XXX. verſ. 14.

Egreſſus Ruben in diebus meſſis triticeæ inuenit Mandragoras in agro, attulitque eas ad matrem ſuam, & dixit Rahel ad Leam, da mihi quæſo de Mandragoris filii.

Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: da mihi partem de mandragoris filii tui.

Vix aliam de דודאים *Dudaim* differens promitto ſatisfactionem, quam eam, quæ dependet ex recenſione variarum ſententiarum, vel potius opinionum, & Iconum aſpectu. Suſcipienda nihil ominus eſt Herboriſatio, peragrandi agri & ſyluæ, Horti & Prata, num obuii veniant forte tam diu & anxie deſiderati fructus; Exercuere ſe integris ſeu Diſſertationibus ſeu Tractatibus *Heidegg. Exerc. de Dudaim Rubenis*, quæ eſt XIX. Tom. II. *Hiſt. Patriarch. Druſius de Mandragora. Anth. Deuſing. Diſſert. de Mandragora, ac primo de Mandragoræ pomis vulgo habitis pro Doudaim. Jac. Thomaſius Diſp. de Mandragora. Chriſt. Rauius P. Upſal. Diſſ. de Dudaim. Mich. Liebentanz Diſſ. de Rachelis deliciis Dudaim.* Taceo alios Commentatores, Philologos, Criticos. Quâ autem alii uſi ſunt in ſeligendo libertate, eam ſumam & mihi.

Latina noſtra pro *Dudaim* habet *Mandragoras*, & recte, ſi per majoritatem votorum Quæſtio decidenda. Habemus quippe, qui pollicem nobis premunt, LXX. *Thargum Onkeloſi*, qui יברוחין *Jabrochin* habet, porro *Joſephum*, *Aquilam Syrum*, *Arabem*, *Hebræos* plurimos, *Fullerum*, *Druſium*, alios. Nec deſtituimur argumentorum pondere. Videamus ea, adjuncta ſingulis ἐπικρίσει, ſed ea modeſta. Mandragoram filtris aptam deſcribunt Veteres. Hinc διρκαία & κιρκαία dicta, ἐπειδὴ δοκεῖ ἡ ῥίζα φίλτρων ἔιναι ποιητική· Dioſc. L. IV. c. 76. Ipſum דּוּדָאִים a דוד *dilectus*, *amicus*, deriuant Lexicographi. Propterea dicunt Rachelem Mandragoras cupidiſſimé expetiiſſe, & ægerrimé Leam conceſſiſſe, ut quælibet ma-

riti



GENESIS Cap. XXX. v. 14. I. Büch Moſis Cap. XXX. v. 14.

DUDAIM in Mandragor.^{is} Liliis, Violis, Terræ tube: Dudaim in Alraün, Lilgen, Violē u. Trüffel.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

riti amorem ad ſe transferret. Allegant hi ipſi vim Mandragoræ ὑπνωτικὴν, ob id ipſum Veneri gratam. Imo purgando conceptui prodeſſe pertendunt; Unde forte *Venus* apud *Heſychium* Μανδραγορίτης appellata. Paſtoribus, qualis & fuit Jacobus cum ſua Familia paſtoritia in uſu fuiſſe Mandragoræ genus candidum teſtis eſt *Dioſcorides* ἃ καὶ ἐϑίοντες οἱ ποιμένες ποσῶν ὑποκαρῶνται, *quorum pomorum cibo aliquantum opiliones ſaturari.* Arriſiſſe tandem vel ſolo aſpectu poma Rubeni, Leæ & Racheli, quia blanda, odorata, amabilia, pulchra, colorisaurei, κροκίζοντα τῇ χροΐᾳ, εὐώδη μετὰ βάρους τινὸς, *colore in crocum inclinante, jucundé cum grauitate quadam olentia.* Sed ſubſcribunt Sententiæ huic ex Modernis pauci. Non conſtant ſane ſibi ipſis vetutiſſimi ſupra citati Interpretes. Helleniſtæ in Jer. XXIV. 1. 2. דודאי non vertunt *Mandragoras*, ſed *calathos* ſeu *caniſtra* & *Thargum* in Cant. VII. 13. בַּלְסַמּוֹן *Balſamum*, unde ſaltem conſtat, Dudaim fundere odorem gratum potius, non ſomniferum, *non grauem*, vel *grauedinem afferentem*, qualem Mandragoræ tribuit Plin. L. XXV. c. 13. *Philtri* vires ineſſe Mandragoræ, imo φίλτρα dari, qualia vulgo venditantur, dubium eſt valde, & magis adhuc, piarum feminarum eam fuiſſe intentionem, ut philtrorum uſu vel amorem concitarent, vel promouerent conceptum. Philtrum optimum & naturaliſſimum fuit ipſa Rachelis eximia pulchritudo. Et ad quid juuiſſet Philtrum? Ut faſcino veluti quodam ligaretur maritus, & veluti furibundus in conjugis rueret amplexus? hoc ſane remedio non habebat opus, ſed tali, quo curaret ſterilitatem; hujusmodi autem medicamina ejus ſunt naturæ, ut Venerem potius cohibeant immodicam. Imo libidinoſam non fuiſſe vel inde conſtat, quia Dudaim prætulit commercio mariti, hoc ſorori indulgens. De Mandragoræ tandem, opii, aliorumque Narcoticorum vi fœtificante difficile eſt quid determinare, ut potius effectus inde deduci queat contrarius. Amabilitas tandem ſeu pulcher aſpectus Mandragoræ non plus dat quam pluribus aliis floribus, fructibus, iisque ſæpe deleteriis. Omitterem Hebræorum commentum, quod extat apud *AbenEzram* in Num. XI. 2. de figura Hominis in Rubenis vexillo, de Mandragora pariter ἀνθρωπομόρφῳ, Pythagoræ jam olim & veteribus Romanis nota, niſi commentum, illud ab Ebræis, Arabibus & Perſis tranſiiſſet in Chriſtianorum caſtra; Sane de radicis hujus vi fortunam procurante; ſterilitatem abigente, Theſauros abſconditos detegente, modo ſingulari eam ſub patibulo effodiendi, mira narrant ſuperſtitioſuli, & narrarunt jam olim *Joſeph. B. Jud.* L. VII. c. 25. *Plin.* L. XXV. c. 13. irriſione digna potius, quam ſeria confutatione. Mandragoram interim ſiſtit Fig. I.

Dudaim pro *Liliis albis* interpretatur *Franc. Georgius*, Venetus Minorita. Fauet Lilii Bulbus mammæ דד ſimilis. Menſis Majus, quo Meſſis triticea fuit apud Hebræos: gratus odor commendatus Cant. VII. 13. vis tandem fœcundans. Quæ omnia tamen ſunt ficulnea, aliis quoque Plantis communia, Fig. II.

Jarchio hæc Planta eſt *Viola* שיגלי Arabibus יסמין Jeſmin dicta per λευκόϊον *Violam albam* interpretatur *Matthæus Siluaticus.* Hunc & Judæos alios in hanc pertraxit Sententiam pulchritudo Floris & odor gratus, quapropter eum *Theophraſtus* apud *Athenæum Dipnos.* LXV. inter præcipuos numerat é ςεφανωματικοῖς ſeu coronariis. Sed quam infirmo ſtent & hæc talo, nemo non videt. Fig. III.

Sunt qui Guſtu δαδοῦχῳ quærunt potius, quam viſu, & ſubter Terram fodere malunt, quam ſuper eam legere. Inveniunt hi *Tubera ſubterranea*, Gallis *Trufes*, *Truffles*, cibum etiam ad opulentiores menſas admiſſum, delicati ſaporis, inprimis ſi acceſſerit condimentum. Arguunt hi ex Textu noſtro & Cant. VII. legi in agro, formam habere τῶν דדים uberum, mammarum, non rotundam tantum, ſed & excreſentias papillares, ſpongioſam item internam & mammillarem ſubſtantiam, eſſe quoque Aphrodiſiaca. Subſcribunt huic Sententiæ. *Dan. Ludovici Eph. Germ. Dec.* I. *Ann.* IV. *Kanold. Bresl. Samml.* X. *Verſ.* p. 602. vid. Fig. IV.

TAB. LXXXIX.


REdimus ad pulchrum, qui plerisque placet aſpectum. *Deuſingius* ſiſtit pro Dudaim *Melonis* ſeu *Peponis* ſpeciem quandam in Syria & Ægypto frequentem, colocynthidis inſtar & rubro & flauo variegatam, grati odoris. In ſubſidium is vocat Arabes, qui Dudaim reddunt *Luffahh*, & hac voce deſignant præter Mandragoræ poma *Peponis* ſeu *Melonis* ſpeciem, teſte *Ibn Beitare*: Perſas, qui eundem fructum vocant *Deſtanbouic*, i. e. manus adoramentum, qui grati odoris cauſa manu contineri & contrectari ſolet. Syros tandem & Ægyptios, qui eundem nuncupant *Schemmaim*, ſeu *Schemmamah* teſte *Golio* in *Lexico*; *Mathiolum* tandem, qui appellari dicit *Pomi d'Oro*, *mala aurea*. In Fig. V. exhibetur *Cucumis Ægyptiacus reticulatus ſeu Luffa Arabum*, *Veſling. in Alpin. Plant. Ægypt. ex Moriſon Hiſt. Plant. p. 34.* Et videtur Lochnero de Nerio p. 67. hic fructus eſſe Americanorum ille notiſſimus *Bananas* ſiue *Bala* Malabarenſium, & *Kely* Bramanum, qui extat *Hort. Malab.* T. I. f. 12. 13. 14. vid. Fig. VI.

TAB. XC. XCI.

CHriſtiano Rauio Dudaim ſunt *ramuſculi* ſpeciatim *ficuum*. Pugnat is imprimis argumentis petitis ex Etymologia, radicem vocis faciens duodecuplam ex Cant. VII. 14. Jerem. XXIV. 1. 2. Locorum παραλληλία, Rabbinorum & Verſionum præcipuarum conſenſu. Sane LXX. in Jeremia pro דּוּדָאֵי תְּאֵנִים habent καλάθους συκῶν. Conueniunt *vulgata*, *Onkelos*; Cel. *Heideggerus* noſter potius intelligi vult *ramos florum vel fructuum amabilium & odoratorum*, accedens ita ad *Junii* & *Tremellii* Verſionem, qui Dudaim reddunt *amabiles Flores* Fig. VII. VIII. ubi compactas in unum Faſciculum videas diuerſas de Dudaim ſententias, & forte ita conciliatas.

Dudaim ſeu fructus ſeu Flores quærendi nemo inficiens iuerit, in regionibus Orientalibus, ubi citius forte obuiam venerint peregrinanti etiam Idiotæ, quam vel eruditiſſimo Philologo, qui pedem raro Muſeo, nunquam Europa effert: meliora heic nobis officia præſtant rerum Naturalium, Plantarum imprimis ſtudioſi, qui trans mare fretant, quam Commentatores doctiſſimi, qui Dudaim quærunt in noſtris vel Pratis vel Campis. Hanc viam iniuit Ill. *Ludolffus. Hiſt. Æth.* L. I. c. IX. *Comm.* p. 139. Agnoſcit autem is *ficus Indicæ* fructum, *Muz*, vel *Mauz* Arabibus dictæ præcellentiſſimum, in eodem Trunco copioſiſſimum, 50. enim Ficus cucumeris forma & magnitudine de uno caule dependent, ſuauiſſimi odoris & ſaporis, qui Junio matureſcunt. Conſpirant locus in Meſopotamia circa Damaſcum, ubi eos vidit Princeps *Radziuilius*: Tempus Meſſis triticeæ, quæ circa medium Junii ibi contingit; præſtantia & raritas fructus egregius, odor & ſapor: Arbor ipſa, quod ex *Rauwolffii* Itinerario diſcimus, 9. vel 12. pedum eſt Altitudine; foliis pulchre viridantibus arundinis ſpecie, tam longis atque latis, ut hominis totum corpus æquent. Herbam dixeris potius, quam vel Fruticem vel Arborem. Deſcribunt hanc Plantam *Garc. ab Hort. Plant. Ind.* L. II. c. 10. *Leo Africanus* L. IX. *Plin.* L. XII. c. 6. ubi ita: *Major alia*, Ficus, *pomo & ſuauitate præcellentior, quo Sapientes Indorum viuunt, folium alas auium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Fructuum cortice* (*Caudice* legit *Cluſius*) *emittit admirabilem ſucci dulcedine, ut uno* (faſciculo nempe) *quaternos ſatiet. Arbori nomen* Pala *pomo arienæ, plurima eſt in Sidracis, Expeditionum Alexandri termino. Eſt & alia ſimilis huic dulcior pomo, ſed interaneorum valetudini infeſta. Edixerat Alexander, ne quis agminis ſui id pomum attingeret.* Quinque ſpecies habet *Geographus Nubienſis Clim.* I. *Part.* 7. multo plures Ill. *Henr. von Rheede* in *Horto Malabarico* C. *Baubino* vocatur hæc Planta *Palma humilis longis latisque foliis Muſa, multis Auctoribus dicta. Ludolfus* in ſui fauorem trahit ipſam radicem vocis Dudaim ſimpliciter accipiens pro Dudaim דּוֹדִים *patruelibus* ſiue *cognitione propinquis*, applicans etymon ad tot fructus ex uno caule pendulos. De fructibus autem ille locum Geneſeos intelligit, de Floribus locum Cantici. Quæ Sententia mihi præ aliis arridet, ad quam pertinet Tab. LXXXIX.

TAB.



Dudaim, Melo, Pepo, Luffah.
Dudaim, Melonen, Pfebē, Luffah.

I. A. Corvinus sculp.

JCB



GENESIS Cap. XXX. v. 14.
Dudaim fasciculo compacta.

I. Bůch Moſis Cap. XXX. v. 14.
Alle Důdaim zůſam̃en gebůnden.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB




GENESIS Cap. XXX. v. 14.
Dudaim Mautz ficus Indica.

I. Buch Moſis Cap. XXX. v. 14.
Dudaim Mautz Indianiſche Feigen.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB

RPJCB



Genesis Cap. XXX. v. 32. 33.
Ovium Varietas.

I. Buch Moſis Cap. XXX. v. 32. 33.
Unterſcheid der Schafen.

G. D. Heuman sculp.

TAB. XCII.

Geneſ. Cap. XXX. verſ. 32. 33.

Tranſibo hodie per omnes greges tuos, ſepara tu hinc omne pecus punctis reſperſum, & maculis variegatum, & quicquid fuluum erit in agnis, punctis reſperſum, & maculis variegatum in Capris, merces mea fuerit.

Et reſpondebit pro me juſtitia mea (a) poſtero tempore; veniet enim ad mercedem meam coram te. Quicquid autem in capris aut punctis reſperſum, aut maculis variegatum, in agnis vero fuluum non fuerit, hoc eſto apud me furtum.

Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oves varias & ſparſo vellere: & quodcunque furuum, & maculoſum, variumque fuerit, tam in ouibus, quam in capris, erit merces mea.

Reſpondebitque mihi cras juſticia mea, quando placiti tempus aduenerit, coram te: & omnia, quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furua, tam in ouibus, quam in capris, furti me argues.

(a) Ebr. craſtino die.

PActum hoc eſt Generi optimi cum Socero auaro, *Jacobi* cum *Labano* idque conditionatum, & tale cujus eventus non pendet à fixo quodam Salario, ſed â DEI benedictione.

Eſt ut Animantium ſtructura integra, ita & pilorum forma & color opus Creatoris, ὀυ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν, ἢ μέλαινα ποιῆσαι, Matth. V. 36. Eadem Pilorum in Hominibus, Brutisque ſtructura, cylindrica, caua, per quam deſcendit venula ſuccum nutritium ad extremum deducens, uſus idem. Suntque pili canales excretorii, per quod expirat, quod eſt ſuperfluum: taceo uſus alios, eos etiam, qui ex Brutorum pilis redundant in Hominum ſocietatem.

Conſideranda heic veniunt tum Bruta ipſa, tum colores, quibus tinguntur. צאן *Tſon* notat pecus minutum, & commune eſt *ouibus* & *capris*. Gen. XXVII. 9. Ita quoque שֶׂה *Seh*, notat *Hoedum* & *agnum*. Conſtat id ex v. 32. nec non *Exod. XII.* 5. Num. XV. 11. Deut. XIV. 4. Conſentiunt Lexicographi & Hebræi, Arabibus *Sat*, Pl. *Sa*, *Saün*, *Sabet*, *Sijah*, *Siwah* eſt ouis Meninzk. Lex. 2741. 2742. כֶּשֶׂב pro כֶּבֶשׂ eſt mediæ ætatis *agnus* inter טָלֶה Agniculum, & אַיִל *Arietem* ab anno primo ad tertium עִזִּים ſunt *capræ*.

A genere deſcendimus ad ſpecies, imo potius Indiuidua, differentias pecudum in coloribus נָקוֹד *nakod* proprie eſt στικτὸν, minus recte apud LXX. ῥαντὸν vel ποικίλον. Rectius noſtra Latina *punctis reſperſa*. Sunt autem στικτὰ, *compuncta* Animalia maculoſa, ſiue maculis varia. στικτὸς κεράστης ἔλαφος in *Electra Sophoclis* v. 569. Vim vocabuli mire illuſtrat Achates κατάστικτος σπιλάδεσσι πύρσαισιν λευκαῖς τε μελαινομέναις χλοεραῖς, *diſtrinctus punctis rutilis albisque nigreſcentibus viridibusque apud Orpheum Lapid.* p. 230. v. 10. 11. qui forte eſt *Pardalios Plinii* Lib. XXXVII. c. 11. & *Porphyrites rubens candidis interuenientibus punctis leucoſtrictus* dictus Plin. L. XXXVI. c. 7. *Hieronymus* vertit noſtrum נָקוֹד *varius*: *Jonathan*, *Onkelos* & Samaritanus נָמוֹר qualis dicas παρδάλειον *pantheræ in modum varium & maculoſum*. Græcorum Seniorum ῥαντὸν notat *aſperſum*, *inſperſum*, ſupple maculis, vel ἀπὸ τῶν ῥανίδων, *guttatum* in modum guttarum diſtinctum Fig. I.

Deſignat, quod modo vidimus נָקוֹד *puncta*, ſiue *paruas maculas*, ſed טָלוּא *talu*, *magnas*, tanquam aſſutas, טָלָא nempe proprie eſt conſuere ex multis pannis ſeu coloribus. Hinc recte noſtra verſio *maculis variegatæ*. Plerique Veterum maculas intelligunt albas. Ita & onkelos habet רקוע *rakoa* & Turci ræk - a *Ouis eſt albedine in latere notata* Meninzk. Lex. 2348. LXX. διάλευκος, *maculis albis inſignis*. Eſt namque διάλευκον idem quod μεσόλευκον, *album in medio*, cum extrema ſint diuerſi coloris. Ita

 Regum

Regum Perſidis *purpureæ tunicæ medium album intextum erat* apud *Curtium.* Ouis igitur διάλευκος eſt, quæ in nigro aut ruffo vellere medias habet maculas largiores albas Figura II.

Nam חוּם (*Chum*) eſt fuſcus. LXX. φαιὸς à חָמַם *calere, calefacere*, idem, *denigrare*, χημία pro nigro, quod eſt in oculo ſeu pupilla *Plutarch.* in *Iſide*, Nos vertimus *fuluum.*

תַּיִשׁ non eſt *Aries*, ut reddidit *Hieronymus* Prov. XXX. 31. nec *Taxus*, ſed *Hircus.* Planum id facit conſenſus Interpretum, Lingua Chaldæa, cui *Thajeſa*, & Arabica, cui *Thais* Hircum denotat, Meninzk. Lex. 1505. *teis* Pl. *tujus, etias, tijaſe.* Denique Loca Scripturæ alia, præter hunc Gen. XXXII. 14. 2. Paral. XVII. 11. Ezech. XXVII. 21.

תְּיָשִׁים הָעֲקֻדִּים nos vertimus *Hircos circulatos.* עָקוֹד eſt à verbo עָקַד *ligare* nempe ouem tondendam aut mactandam. Gen. XXII. 9. 2. Reg. X. 12. Quia hujusmodi pecus pedibus vincire moris erat: explicat R. *Selomo* עקודים *varios in loco ligationis*, id eſt, *in malleolis anteriorum* & poſteriorum pedum; ita & Hebræi, alii. Symmachus vocat λευκόποδας, pedibus albos Fig. III.

Supereſt לָבָן *color albus* (quem ſibi ſelegit Laban, ipſe nominetenus albus) Lanæ veluti proprius, quod conſtat ex Jeſ. I. 18. Dan. VII. 9. Apoc. I. 14. unde & Lanæ comparari ſolet Nix Pſal. CXLVII. 16.

TAB. XCIII.

Geneſ. Cap. XXX. verſ. 37. - 43.

Porro Jacob accepit virgas virides de populo, Auellana & Caſtanea, & deglubit eas, ut albedo appareret, denudans ſcilicet quod album erat in virgis.

Et poſuit virgas, quas degluberat in canales aquarios, in quos decurrebant aquæ, illuc enim conueniebant oues ad bibendum. (Poſuit autem virgas) e regione ouium, ut potum venientes inardeſcerent, conciperentque.

In ardore ergo oues concipiebant ad virgas, & pariebant circulatas, punctis reſperſas & maculis variegatas.

Jacob autem ſeparauit agnos, & direxit faciem gregis aduerſus circulatas, & cunctas fuluas, quæ erant in grege Laban. Poſuit enim ſibi greges ſeorſim, non ad oues Laban.

In omni igitur admiſtura ouium † robuſtiorum poſuit Jacob vir-

Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisque corticibus in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit - - -

Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum veniſſent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas & in aſpectu earum conciperent.

Factumque eſt ut in calore coitus oues intuerentur uirgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa.

Diuiſitque gregem Jacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum; erant autem alba & nigra quæque Laban: cætera vero Jacob, ſeparatis inter ſe gregibus.

Igitur quando primo tempore aſcendebantur oues, ponebat Jacob

uir-

† al. primitiuorum.



GENESIS Cap. XXX. v. 32. 33.

Virgæ Iacobææ.

I. Buch Moſis Cap. XXX. v. 32. 33.

Jacobs Tränck-Stäbe.

M. Tyroff sculps.

PJCB

RPJC



GENESIS Cap. XXX. v. 37.
Artificium Pastorale.

I. Buch Moſis Cap. XXX. v. 37.
Der wohlerfahrne Hirte.

H. Sperling sculp.

gas in canales, ante oculos oui-um, hoc ſcilicet agens, ut in admiſſura conſpectis virgis conciperent.

uirgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & ouium, ut in earum contemplatione conciperent.

In admiſſura autem †† debilium ouium non ponebat. Erant ergo debiliores Laban, robuſtiores vero ipſius Jacob.

†† Al. ſerotinorum.

Quando vero ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque ſunt ea, quæ erant ſerotina, Laban: & quæ primi temporis, Jacob.

Auctus eſt ergo vir in immenſum, ut eſſet ei magnus grex, ancillæ, ſerui, Cameli, & Aſini.

Ditatusque eſt homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas & ſervos, camelos & aſinos.

PAſtoris expertiſſimi ſimul, & ad ſuas res attentiſſimi, perſonam agit *Jacobus* ſingulari prorſus Divina benedictione adjutus, pacto ſuo cum Labane inito pondus in ſui commodum addit innocenti ſimul & ingenioſiſſimo artificio, eoque triplici. Genero nempe accedere debebat omne diſcolor, Socero concolor omne.

Videamus primum, quo uſus Jacobus, artificium. *Accepit virgas virides de populo,* Græci, ῥαβδὸν ςυρακίνην χλωρὰν. Hæc verſio ſi juſta, conſiderationi noſtræ ſubjicienda venit *Styrax* arbor Syriæ familiaris *Plinio* teſte L. XII. c. 25. Fig. A. cujus in Europam aduehi ſolet Reſina ſeu Lacryma, eaque triplex, *rubra*, *calamita* & *liquida*. Sed nos non morabitur ſtyrax, quia nec nobis placet, nec aliis; nobis quod vidimus, *populus*, ſic & *Vulgato* & *Onkeloſo*. Syrus habet *virgas candidas humidas*, Arabs *baculos Libani humidæ*. Vi vocis notat לִבְנֶה? Arborem albi corticis. Hoc nomine igitur venire poteſt non tam peculiaris quædam arborum ſpecies, quam omnis Arbor corticis albi. Si cortex exterior fuit albus, medius ſecto priori conſpicuus, concipiendus eſt viridis, ſi ille viridis, hic albus. Si corticem quæras album ſatisfaciet *Populus alba* Fig. B. Sed hanc non intellexiſſe videntur noſtræ verſiones, Latina habet ſimpliciter *Populum*, nec ſeſe determinat, an *albam* velit vel *nigram*. Vernacula *ſalicem* (Weide) potius intendiſſe videtur Fig. C. eſt *Populus nigra*, alias poſuiſſet Sarbachen, Aſpen Fig. D.

Ad marginem videre licet characteres *Styracis* 1.1.1. *Populi* 2.2.2. *Salicis* 3.3.3.

TAB. XCIV.

SEquitur לוז *Luz*, nobis *Corylus*, Græcis Καρυίνη, *nucina*. Eſt autem Κάρυα *Theophraſto*, item Κάρυα Ἡρακλεωτικὴ, *Corylus*, fructus *Auellana* Fig. E. Sed placet aliis coryli loco *Amygdalus* Fig. F. quæ Arabibus dicitur לוּזָה *Luzah*. Et ipſos Amygdali fructus vocat *Hippocrates* L. III. *de Ictero* κάρυα θάσσια λεπισθέντα, nuces *Thaſſiæ decorticatas*: & *Amygdalas*, *amaras* κάρυα πικρὰ Archigenes apud Galenum. Et videtur ſane Corylo præferenda Amygdalus, cujus fructus *nuces græcas Cato* vocat c. 8. interprete *Varrone* Lib. I. c. 6. L. II. c. 9. L. III. c. 16. quibus locis male *Dalechampius Juglandes* intelligit. Sunt & *Columellæ* & *Plinio* Nuces Græcæ Amygdali. Καπυροτρώγονα κάρυα *Epicharmo* Nuces, quæ pro Bellariis toſtæ menſis apponuntur. Arabes *Jauz* vocant Amygdalas, quod conſtat ex *Serapione* & *Auicenna*, quidam *Lauzi* ſcribunt, quod noſtro *Luz* propius congruit. *Amygdalinam* quoque *virgam* habet *Vulgatus*, *Onkelos*, *Syrus* vid. *Heidegg. Exerc. de Jacobi Peregr. Meſop.* Th. 19.

Tertia, quam Jacobus adhibuit, virga eſt עַרְמוֹן *armon*, quam nos vertimus *Caſtaneam* Fig. G. quo fundamento, non conſtat. Vulgato placet *Platanus* Fig. H. ita & Græcus πλάτανος. *Onkelos* reddit דלוב Arabibus autem Plantanus vocatur דולב *Dulb*, quæ vox occurrit apud *Stephanum* & in *Pandectis Medicinæ*. Suffragium quoque Platano dat *Heideggerus* noſter l. c.

Hæc hactenus de Arboribus, quarum *virgas virides* accepit Jacobus, easque *deglubit, ut albedo appareret, denudans ſcilicet, quod album* erat in virgis. Quod Paſtores noſtri ſæpe agunt nihil agendo, ad fallendum tempus, id ad certum finem applicauit Patriarcha maximo

mo ſibi uſui & lucro. Degluberat autem ingenioſiſſimus Paſtor non totum corticem, ut eo omni abraſo comparuerint baculi toti albi, ſed vel ſpirali linea Fig. I. vel multis ordine parallelis Fig. K. viridem corticem incidit, inciſum per interualla ademit, ut alternatim viſa fuerint faſcia una alba, altera viridis. In hoc quippe conſiſtebat primum Jacobi artificium, ut color mixtus, albo-viridis, impreſſionem faceret in oues concipientes. *Poſuit virgas, quas degluberat, in canales aquarios, in quos decurrebant aquæ, illuc enim conveniebant oues ad bibendum (poſuit autem virgas) é regione ouium, ut potum venientes inardeſcerent, conciperentque.*

Alterum Jacobi artificium conſiſtit in eo, quod prognatis jam agnis maculoſis aliquam multis hos à reliquo grege ſejunctos, & in unum collectos, Labanis ouibus ſemper objecerit, ut fœtas matres feriret hoc objectum, & ad agnos ſimiles progenerandos induceret. *Jacob autem ſeparauit agnos, & direxit faciem gregis aduerſus circulatas, & cunctas fuluas, quæ erant in grege laban; poſuit enim ſibi greges ſeorſim, non ad oues Laban.*

Tertium artificium conſtitit in eo, quod artes non adhibuerat Jacobus erga agnos Labanis quosuis indiſcriminatim, ſed erga vegetiores & robuſtiores, ignobilioribus, infirmioribus reſeruatis pro Socero. *In omni admiſſura ouium robuſtiorum poſuit Jacob virgas in canales ante oculos ouium, hoc ſcilicet agens, ut in admiſſura conſpectis virgis conciperent. In admiſſura autem debilium, ouium non ponebat. Erant ergo debiliores Laban, robuſtiores ipſius Jacob.* Prioribus binis artificiis reſpexerat Jacobus ad quantitatem, poſteriori hoc ad qualitatem.

Haud nos moretur Verſionum noſtrarum diſcrepantia, dum Latina habet *pecudes robuſtiores*, in gloſſis marginalibus *primitiuas*, vernaculâ *die Frühlinger Heerde*, Onkelos נכיריא *primitiuas*, *primigenias*, Arabs, *vernales*, Aquila πρῴιμȣς, Symmachus πρωτογόνȣς. Quibus opponuntur הָעֲטֻפִים, nobis *debiles*, in margine *ſerotinæ*, *ſpäthlinge*, Aquilæ ὄψιμοι, Symmacho δευτερογόνοι. Conciliatio haud eſt difficilis, Sunt oues quandoque, inprimis in regionibus orientalibus biferæ, *Homero* Odyſſ. δ'. ſed poëtica licentia triferæ. Prior fœtura juxta Hebræos referenda ad menſem Niſan, qui Martio, altera ad menſem Tisri, qui Septembri fere reſpondet, & illa quidem præferenda huic. Sed contrarium atteſtantur *Plinius* L. VIII. c. 47. *Columella* L. VIII. c. 3. Conſentientes equidem habemus alios ouilis fœturæ peritos, & ipſam Rationem adſtipulantem. Hyeme quippe conſtringuntur magis, & veluti ligantur corpora a frigore, & hinc fiunt texturæ compactioris, unde prioris generis fœturæ dicuntur קשרים, quaſi *vinctæ*, *ligatæ*. Sed attendendum potius mihi videtur ad differentiam ipſarum vernarum, quas inter robuſtiores ſunt citius ſeu primò-editæ vere, infirmiores poſt genitæ. Sané in Saxonia ubi innumeræ occurrunt greges, minus æſtimantur ouium illi fœtus, qui circa Paſchatis feſtum excluduntur, quia in paſcua deducti ob muſcarum continuam vellicationem non creſcunt vegete, propterea ante mactari ſolent pro menſa, quam ablactari, imo dimidio duntaxat veniunt pretio reſpectu primigeniorum v. *Redliche Schæffer* p. 13. 67. Sane difficultatibus his commotus ὁ πάνυ *Bochartus* ſubſcribere mauult Latinæ noſtræ Verſioni, quæ habet *robuſtiores* & *debiles*: ſed excuſationem quoque admittit vernacula noſtra, quæ per *Frühlinge, Frühlinger Herde* intelligit, non tam vernales, ad diſcrimen autumnalium, quam ex ipſis vernalibus primogenitas, ut per *Späthlinge* ex iisdem vernalibus poſt genitas *Horat.* L. IV. od. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Hinc robuſtas matres ſelegit Jacobus, ut ex iis naſcerentur robuſti agni, debilioribus ſeruatis pro ſocero.

Excutienda reſtat palmaria quæſtio, an quod pro gregis multiplicatione adhibuit artificium Patriarcha, operatum fuerit naturæ viribus, vel eas transſcenderit? Græci ſane Patres confugiunt ad Miraculum. Chryſoſt. Hom. 57. in Gen. cui παράδοξον cluet hoc phænomenon καὶ ὑπερβαίνων τὴν φυσικὴν ἀκολȣθίαν *Cyrillo* Glaphyr. in Gen. L. V. p. 547. ἄῤῥητον καὶ ταῖς ἡμετέραις ἐννοίαις ἀςιβὲς. In diuerſa abeuntibus Latinis *Hieronymo Quæſt. Hebr. Aug. Qu.* 93. de *Ciu. DEI* L. XVIII. c. 5. *Iſidor. Orig.* L. XII. c. 1. qui Naturæ vires accerſunt, attamen Benedictionem diuinam haud excludunt. His adſtipulamur & nos. Exemplis, quæ rem præſentem illuſtrant, haud caret hiſtoria, Phyſica, Medicina, imo quotidiana experientia cum tot Monſtris & Næuis. Teſtimonia exſcribere ex Hominum familiis Brutorumque Claſſibus anguſtia loci non permittit. In Celeb. *Kanoldi Actis Vratislau.* p. 326. Capra memoratur monſtroſa, quæ ex terrore matris ab Vrſis viſis nata cum binis anterioribus ungulis Urſinis; & ante aliquot annos allata mihi, quæ huc inprimis quadrat Æthiops *Columba* tota cute aterrima, quæ veluti pice aut vernice illita reſplenduit. In hanc quadrant, quæ *Oppianus* habet *Cyneget.* L. I. v. 353. ubi de Columbis.

Δητότε μῆτιν ὕφαινε κλυτὴν τιθασοτρόφος ἀνὴρ,
Ἄγχι δὲ θηλυτεροῖσιν ἐθήκατο δαίδαλα πολλά.
Εἵματα πορφύρεα. Ταῖ δὲ κλιδὸν ὄσσε βαλȣ̃σαι,
Θυμὸν ἰαινόμεναι, τικτȣσ' ἁλιπορφύρα τέκνα.

Tunc

Tunc equidem ſolers conſilium texit, qui cicures aues nutrit :
Prope fœminas ſcilicet dædala multa veſtimenta
Purpurea collocat, illæ vero limis oculis conjectis
Animoque oblectatæ, purpureos pullos pariunt.

Sed quid ad hæc omnia Philoſophus? quæ cauſæ naturales Phænomeni mirandi ? num ὄψις διαπεμπέση τῇ φύσει τȣ̃ γεγραμμένȣ τȣ̀ς τύπȣς viſus picti imaginem ad Naturam transmittens, juxta *Galenum ?* vel σπᾶσίς τις ἐιδώλων καὶ φαντασία ὁμοιοτήτων, attractio quædam ſimulachrorum & phantaſia ſimilitudinum, juxta *Heliodorum ?* vel fortis imaginatio rei ſpeciem ſpiritibus inſculpens, ſanguinique eandem figuram imprimens ? craſſa nimis hæc : difficilis conceptu, imo impoſſibilis Imaginum, ſimulacrorum, Icuncularum, picturarum ab objecto ad phantaſiam, & ab hac ad fœtum transmiſſio. Multi quoque ex Recentioribus multa de phantaſia Hominum Brutorumque, ſed ſapientibus pauca. Suffundimus ſæpe oculis mentibusque nebulas, & anſam damus millenis dubiis. Quid enim eſt, quæſo, Brutorum phantaſia ? an corpus vel Spiritus ? Quomodo tranſit idea rei conceptæ ex Cerebro ad uterum, & hinc ad fœtum ? Per neruos ſané, qui meri ſunt fibrarum Cerebri medulloſi faſciculi. Quomodo fit hæc pictura ? ubinam ſunt penicilla ? ubi colores? ubi manus penicillum coloribus tinctum ducens ? Quanam ratione deformabitur corpus in ipſo ouulo dudum, imo forté in prima Creatione formatum? Fateor ego, uti in multis aliis, ita & heic, me hæc cum ignorantiſſimis neſcire. Eſt hic incultus ager, Terra incognita, ad quam quidem penetrarunt obſeruationes, ſed nulla pené ratiocinia ſolida. Naufragium in ipſo portu patiuntur Facultates formatrices, Archei, Vires Plaſticæ, quæ mera ſunt Vocabula, prætereaque nihil : Plantæ radicibus carentes, nubeculæ tenues, quæ à modernæ Philoſophiæ radiis mox diſſipantur. Quis nobis vitio vertet, ſi malimus nihil dicere, quam aliquid, quod æquale eſt nihilo ? Docta mihi placet in rebus adeo abſtruſis Ignorantia, & ſincera ejusdem confeſſio. Digitus hic eſt DEI in Natura per vias nobis incognitas operantis, πολυδαίδαλος Ars. Acceſſiſſe ſane heic imprimis Benedictionem Diuinam patet ex adlocutione Angeli Jacobo benedicentis Gen. XXXI. 12. 13. *Attolle quæſo oculos tuos & obſerua omnes Hircos obuinctos circulis, punctis reſperſos, & albis maculis notatos, qui ineunt Gregem: Vidi enim quæcunque in te commiſit Laban. Ego ſum DEVS Bethel.* Audi confeſſionem ipſam Jacobi, qui non ſibi, induſtriæ ſuæ, & artificio adhibito, ſed DEO adſcribit felicem Euentum Gen. XXXI. 7. 8. 9. *Quum diceret, quæ punctis reſperſæ ſunt, ſint merces tua, naſcebantur omnes oues punctis reſperſæ: ſi vero diceret, circulis obvinctæ erunt merces tua, naſcebantur omnes oues circulatæ. Eripuit igitur DEVS peculium patri veſtro, & mihi dedit.*

Theologis atque Jurisconſultis dijudicandam linquo Quæſtionem, an licuerit Jacobo Socerum & Auunculum ſpoliare, expoſitis artibus, gregis ſui, id eſt bonorum parte maxima, & præſtantiſſima, contra Jacobum militare videtur ſenſus pacti genuinus, fore ei oues adjudicandas oues multi colores quidem, ſed quæ ex Labanis mente non naſcerentur artificio ſed caſu : ingenuitatis defectus : æquiuocationis ſuſpicio : dolus adhibitus : Lex ipſa Diuina; qua malum à Socero illatum non debebat repellere malo, ſed νικᾶν ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν Rom. XII. 21. Vindicem & ultorem DEVM expectare. Pro Jacobo ſtat fides erga Labanem conſtans inter tot allatas injurias, inprimis vero DEI voluntas, quæ partem opum quas Laban ex Generi labore & ſudore comparauerat in Jacobum juſte tranſtulit.

Ad marginem Tab. XCIV. conſpiciuntur characteres *Coryli* 1. 1. 1. *Amygdali* 2. 2. 2. *Caſtaneæ* 3. 3. 3. *Platani* 4. 4. 4.

TAB. XCV.

Geneſ. Cap. XXXI. verſ. 39. 40.

A feris laceratum tibi non attuli: ego, ſi quid peccatum, pœnas dedi. E manu mea requirebas, ſi quid vel interdiu vel noctu furto ſurreptum fuerat.

Interdiu conſumpſit me æſtus, nocturno vero tempore gelu, fugitque ſomnus ab oculis meis.

Nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam: quicquid furto peribat, à me exigebas.

Die noctuque æſtu urgebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.

Miris hodie technis Dominos ſuos circumueniunt Ouium Paſtores, ut artis ſummæ ſit, ſeſe præſeruare ab horum injuriis: Heic vero optimus & opum Soceri obſeruantiſſimus Jacobus Labanem pingit ſordide auarum, ac erga Generum ac nepotem iniquiſſimum. *Quod à feris laceratum fuerat, vel furto ſurreptum*, Paſtor reſtituit: *requirebat* id auariſſimus Laban *à manu Jacobi*, & injuſte, quia Paſtore inuito, & quantum poterat inuigilante, id fuerat ablatum. Expreſſam habemus Legem, Exod. XXII. 10. 11. *Si quis dederit proximo ſuo Aſinum, vel Bovem, vel pecudem, aut quodcunque jumentum ad cuſtodiendum, & illud fuerit mortuum, aut confractum, aut vi abactum nemine vidente, jusjurandum DOMINI inter utroſque interueniat, quod non extenderit manum ſuam in rem proximi ſui: quod recipiet Dominus ejus, & (alter) non reſtituet*: Et v. 13. *Si (à feris) laceratum eſt, adducat eum teſtem & laceratum, non reſpondet.* Dictat hanc & Natura, quia omnis culpa in hoc caſu, omniſque dolus à paſtore abeſt. Grauius tanto peccatum a Labane, quod oues diſcerptas vel ablatas omnes ſine diſcrimine requiſiuerit, etiamſi noctu contigerit infortunium. Extant quippe in Talmudicorum ſcriptis exceptiones circa Legem citatam. Si e. g. Lupus fuerit unicus: Si Paſtor pecora ultro deduxit in locum feris aut latronibus infeſtum: ſi neglexit implorare vicinorum opem: quæ omnes exceptiones etiamſi juſte forent, Jacobo nil præjudicant, qui procul dubio omni ſuo officio diligentiſſimé fuit defunctus, ſeſe ipſum muniens armis ad feras fureſue abigendos neceſſariis, & gregem canibus fortioribus, de quibus boni Paſtoris notis vid. *der redliche Schäffer* c. 8.

Quid, quæſo, poterat Laban à Jacobo deſiderare amplius, quam quod porrò is de ſeipſo teſtatur? *interdiu conſumſit me æſtus, nocturno vero tempore gelu.* In græca Verſione occurrit Vox συγκαιόμενος *aduſtus*, quæ pertinet tam ad nocturnum gelu, quam ad diurnum æſtum, Ita Pſal. CXXI. 6. συγκαύσει & de Luna & de Sole dicitur. Ex binis his locis colliget facile quis, Lunam calefacere, imo adurere, συγκαίειν æque ac Solem. *Suidas* voce Σελήνη. Φασὶ τὴν Σελήνην μὴ μόνον ὑγρὰν ἔιναι, ἀλλὰ καὶ θερμαίνειν ὁμοίως τῷ Ἡλίῳ. Sed de hac vi Lunæ calefaciente nil prorſus nouit Philoſophia moderna, concentratis licet Satellitis hujus noſtri radiis per Lentes maximas & Specula cauſtica. Danda igitur his locis alia explicatio, & ſupplendum eſt in Pſalmo *gelu* pro *nocte*. Imo & absque hoc ſupplemento intelligi poteſt Jacobum *interdiu conſumpſiſſe æſtum, nocturno vero tempore gelu.* Paſſus σύγκαυσιν proprié ſic dictam interdiu ab ardentibus Solis radiis corpus ferientibus, fluida diſſipantibus, maſſam Sanguinis exæſtuantibus: noctu σύγκαυσιν ex accidenti, occluſis cutis poris, unde rurſus in anomalos motus, ſæpeque febriles exæſtuauit Sanguis motu inteſtino adaucto, circulari ſufflaminato. Quis eſt qui neſciat, gradu frigoris adaucto, & circulatione impedita per extrema, συγκαίεσθαι, aduri reuera membra, & gangræna affici, gradu minori ſentiri in apicibus digitorum dolorem urentem? Tale quid ſæpe ſentire debebat Paſtor ἀγραυλῶν, in agris pernoctans, ut moris erat, ouibus inter crates incluſis, ne noctu vagarentur. Hanc in rem extat Locus *Nicandri Ther.* v. 403.

— — ὅτ᾽ ἀμφ᾽ ἐλάταισι μακεδνᾶις

Ἄγραυλοι ψύχωσι, λελοιπότες ἔργα νομήων.

— — Cum circa proceras Abietes

In agris degentes (Paſtores) frigus captant,
relicto paſcendi opere.

Quid



GENESIS Cap. XXXI. v. 39. 40.
Iacob Pastor Fidus.

I. Buch Moſis Cap. XXXI. v. 39. 40.
Jacobs treüe Hirten Sorge.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJCB

TAB. XCV



GENESIS Cap. XXXII. v. 14. 15.
Dona Fraterna.

I. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 14. 15.
Der beſchenckte Eſau.

M. Tyroff sculp.

Quid mirum denique Jacobum incommoda eſſe paſſum à vigiliis nocturnis ? *fugit*, inquit, *ſomnus meus ab oculis meis*. Ita qui concentrabantur ſpiritus, diſſipati fuere à vigiliis, & conſumptus vigilantiſſimus Paſtor, niſi conſeruâſſet eum Diuina & optima Providentia.

TAB. XCVI.

Geneſ. Cap. XXXII. verſ. 14. 15.

Capras ducentas, Hircos viginti, oues ducentas, & Arietes viginti.

Camelos lactantes cum pullis earum triginta, Vaccas quadraginta, & Tauros decem, Aſinas viginti, & pullos decem.

Capras ducentas, hircos viginti oues, ducentas, & arietes viginti.

Camelos fœtas cum pullis ſuis triginta, Vaccas quadraginta, & tauros viginti, aſinas viginti, & pullos earum decem.

Donarium hoc eſt, quod Eſauo Jacobus, fratri, ex bonis ſuis acquiſitis offert, iram olim conceptam placaturus: circa id obſerua proportionem in Capris & ouibus ad Hircos & Arietes decuplam, qualem ipſam & commendat *Varro Re Ruſtica* L. II. c. 3. *De maribus & feminis idem fere diſcrimen, ut alii ad denas Capras ſingulos parent Hircos, ut ego.* Vaccarum ad Tauros quadruplam.

פַּר *Par* Hebræis eſt, *Bos*, פָּרָה *Parah Vacca*, *Juuencum & Juuencam* exponunt Lexicographi; *Maimonides* bouem bimum. Sane פר plus eſſe quam Vitulum conſtat ex Pſ. LXIX. 32. ubi *cornutus* cluet, & פָּרָה jam partu fœcunda. Job. XXI. 10. & vitulos ſuos lactans. Attamen juniorem eſſe ex eo apparet, quod פַּר Scripturæ locis minimum 30. בן בקר appellatur ſeu *filius bovis*, & פָּרָה Num. XIX. 2. Vacca adhuc integra, quæ nondum ſubiit jugum. Proinde bouem פר & Vaccam פרה circa bimatum aut trimatum dici concludunt Hebræorum Magiſtri. Origo vocis quærenda in Arabica Lingua, in qua *firar*, *fürar*, *ferir*, *ferur*, *fürarir*, *fürfür*, ſignificat pullum ouis, capræ, & vaccæ ſylveſtris. Meninzk. p. 3482. 3503. *Bochart. Hieroz.* P. I. L II. c. 27. habet *phurar*, *phirar*, *pharir*, *phuraphir*, *purphur*, *phurphur* à *pharra*, detexit jumenti aut pecoris dentes, ut videret, quot annos agat. Unde vero eſt ſimile, vitulum dici פַּר tum, cum emittit dentes primigenios, ut illis alii ſuccedant. Dentes autem ejicit biennis *Ariſt. Hiſt.* L. VI. c. 21. Ab Hebraico vel Arabico eſt Germanorum *Farren*.

אָתוֹן *Athon*, *Aſina* ab אֵתָן robore, quia majori par eſt oneri, quam ullum Animal ejusdem molis. Unde Jacobus Gen. XLIX. 14. *Iſaſchar eſt Aſinus robuſtus, aſinus oſſeus.* Arabibus Aſinus & Aſina ſilueſtris eſt *etan*, *etanet*. Pl. irreg. *meetuna*. *Atün*. Pl. τᾶ etan. *Meninzk.* Lex 5659. 5661.

עָיִר *air chald.* └─┘ עֲיִל *ail* eſt *Aſellus*, *ladiſio ein junger Eſel*; Accedunt Arabica nomina *æir*, fœm. *æiret* Pl. *æ-jar*, *u-juret*, *yjarat*, *mæ-jura*, quibus domeſticus & ſilveſtris aſinus indigitantur, ut & *ujeir*, *æyr*, malè *uweir* Aſellus. Meninzk. Lex. p. 3361. 3368. A *laliſio* & forte ab ipſo └─┘ עַיִר eſt noſtrum *lali*, quo ſtupidum, bardum denotamus hominem, rebus agendis haud intentum.

TAB. XCVII.

Geneſ. Cap. XXXII. verſ. 24. 25. 31. 32.

Et manſit Jacob ſolus, deſcenditque cum eo vir in harenam, donec aurora oriretur.

Qui videns, quod non poſſet ei prævalere, tetigit volam fœmoris ejus, & vola femoris Jacob luxata eſt, dum ille luctaretur cum eo.

Ortusque eſt ei Sol, cum pertranſiiſſet Pniel, & ipſe claudus erat fœmore ſuo.

Ob id filii Iſrael etiamnum hodie non comedunt neruum obſtupefactum in concauitate fœmoris, eo quod tetigerit concauitatem fœmoris Jacob neruo obſtupefacto.

Manſit ſolus; & ecce vir luctabatur cum eo usque mane.

Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.

Ortusque eſt ei ſtatim Sol, poſtquam transgreſſus eſt Phanuel: ipſe vero claudicabat pede.

Quam ob cauſam non comedunt neruum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Jacob usque in præſentem diem: eo quod tetigerit neruum femoris ejus & obſtupuerit.

Monomachiæ Jacobi cum DEO Θεανθρώπῳ, qua de egregiam ſcripſit Diſſertationem ὁ πάνυ *Heideggerus* noſter, conſiderabimus inprimis effectum, quem inde reportauit Patriarcha, *claudicationem*, quæ ipſa indicio eſt manifeſto, certamen hoc non factum in ſomno, vel viſione, quod voluere *R. Leui Ben Gerſon* & *Theodoretus*, ſed fuiſſe conflictationem corporalem. Inſomnii ſane vel phantaſiæ vires non eo tendunt usque, ut vel luxetur Femur, vel claudus quis é ſomno exſurgens euadat, qui erecto antea inceſſit corpore. Præualuit in lucta Iſrael DEO. Sed τὸ ἀδύνατον heic eſt τό ἀβέλητον. Senſit nihilominus antagoniſtæ robur victor, ut victoriam non ſuis, ſed ipſius victi viribus acceptam ferret. *Tetigit* hic volam femoris ejus, & vola femoris Jacobo luxata eſt, dum ille luctaretur cum eo.

Conſideranda propius pars læſa כַּף Caph, quæ vox proprie notat concauum ſiue volam manus, & Plantam Pedis. Hinc reddit noſtra *volam femoris*, vernacula exprimit articulationem ipſam, *das gelenke ſeiner huft.* Sed quid eſt *vola femoris?* terminus Anatomicorum nemini, quod ſciam, uſitatus. Quærenda cauitas quædam ſeu curuatura, quam πλάτος τȣ͂ μηρȣ͂ vertunt Græci, & vel in articulatione cum tibia parte poſtica quærenda eſt, quæ luxationem effeciſſet Tibiæ, non Femoris: vel potius in articulatione Femoris cum Oſſe Iſchio, ubi cauitas eſt profunda. Acetabulum dicta, κοτύλη Græcis, cui inſeritur caput oſſis femoris, mediante imprimis ligamento rotundo, quo relaxato, & capitulo elabente, vera fit *Femoris*, uti vocamus, luxatio. Hæc autem majorem vim, quam quæ à colluctatione pendet, poſcit, & ſane à ſolo attactu fieri Naturæ viribus nequit. Senſus igitur eſt, virum illum fortem, imo τὸν אֵל κατ' ἐξοχὴν fortem, fortiſſimum, tetigiſſe coxam ſiue coxendicem Jacobi, multis ligamentis & muſculis, horumque tendinibus munitum, & vi verê Diuina Luxationem factam eſſe in femore Jacobi, hocque non *emarcuiſſe* duntaxat, quod vulgata vult, Græcaue exprimit per vocem ἐνάρκησε. Sed talis contigit luxatio, qualem ſubinde offendimus in Praxi, qua Acetabulo exit laxatum femur, relaxato ligamento, rurſumque leui opera, claudicatione comite poteſt reſtitui: vel ſanatus fuit â victore recedente Jacobus remanente nihilominus doloris ſenſu in parte affecta, qui claudicationem effecerit, eamque non diu duraturam. Nullum quippe adeſt veſtigium, claudum acceſſiſſe ad Eſauum.

Majores mouet difficultates עִד הַנָּשֶׁה *neruus obſtupefactus* nobis, mutuatus, luxatus aliis. Judæorum in hunc usque diem μνημόσυνον

v. 32.

TAB. XCVII.



GENESIS Cap. XXXII. v. 24. 25. 31. 32.
Lucta cum Angelo.

I. Büch Moſis Cap. XXXII. v. 24. 25. 31. 32.
Der Engliſche Zweÿkampf.

G. D. Heuman sculp.

JCB

RPJCB

TAB. XCVII.



GENESIS Cap. XXXIII. v. 4.
Amplexus Fraterni.

I. Buch Moſis Cap. XXXIII. v. 4.
Die vereinigte Brüder.

G. D. Heuman sculp.

v. 32. Interprete Arabe hic neruus eſt *neruus muliebris*, ſic & Hebræi nonnulli intelligunt *membrum generationis*, quos merito exſibilat *AbenEzra* veluti mente deſtitutos. Plerique Hebræi vocant *neruum oblivionis* & ita deſcribunt, quod ſit *neruus oblongus, cujus caput conjunctum oſſi quod caudæ adhæret, & deſcendens exporrigitur ſuper coxendicem, vocaturque in Talmud Hizon, eo quod plane exteriorem partem Femoris occupat, nec inuenitur in aue.* Qui vocem נָשֶׁה deducunt à נָשַׁת diſſipatum eſt, *periit, emarcuit*, legunt *neruum marceſcentem, diſſipatum*, græci νεῦρον ὁ ἐνάρκησε, Ita & *Thargum Onkeloſi* & *Kimchi*. Plerique reddunt *neruum contractionis*, qui ſe contraxit, & dimouit de loco ſuo, *neruum oblivionis*, qui potius, ſi vera fuerit femoris luxatio, dici deberet *neruus elongationis*. Sed quis nunc ille quomodocunque nominatus neruus? quæ corporis humani pars? an proprie ita dictus neruus? an Ligamentum? an Tendo, vel Muſculus? audi *Heideggerum Diſſ. cit.* Th. 18. *Eſt neruus primus è quatuor neruis in Femur progredientibus, qui in externam femoris cutem per ramos diſſeminatus abſumitur in Muſculis illis, qui exterius femoris latus occupant. Quem, quia deprehendere difficile eſt, Judæi totam illam carnem muſculoſam non comedunt.* Videntur mihi, quod pace aliorum dixerim, omnes erraſſe, qui vel ſtrictė dicto neruo inhæſerunt, vel Ligamento. Quærenda pars, quam ante comederant Hebræi, poſtea non, & quam comedunt Gentes aliæ. Lucem mihi fœneratur deſcriptio, quam dant Hebræi, ſupra allata, ut perſuaſus ſim, omnino intelligendum eſſe inprimis *Muſculum* illum triplicem, qui extenſioni femoris inſeruit, & *Glutæi* nomine venit, ac optimo jure dici poteſt *neruus contractionis*, quia ex amplo initio ſeſe in anguſtum contrahit, & contractione ſui femur mouet, qui in hac Jacobi cum DEO lucta vel fuit nimium contractus vel relaxatus nimium: utroque enim caſu induci poterat claudicatio. Inclinaui ſupra ad laxationem, quæ comitem haberet relaxationem ligamenti lati atque teretis in Femoris capite: neque tamen in re adeo obſcura ſerram contentionis reciprocare vellem cum iis, qui inhærent Græcorum ἐνάρκησε, emarcuit. Dum enim tangebatur τὸ πλάτος τȣ̃ μηρȣ̃, femoris ſeu coxæ latus, potuit, vi rurſus diuina contigiſſe contractio Muſculorum dictorum (de quibus ἐν παρόδῳ notandum in auibus vel deeſſe, vel eſſe admodum tenues) qua cum ſæpe jungitur ἀτροφία, emarceſcentia, & ſimul claudicatio.

In ornamentis pro faciliori Commentarii hujusexplicatione ſiſtit A. B. os Femoris, a. femoris Capitulum. C. Oſſa tria innominata, Ilium, Iſchium, Pubis. d. Acetabulum in Oſſe Iſchio. D. Articulationem Femoris cum Iſchio. f. Caput Femoris, quod Acetabulo inſeritur. g. Ligamentum latum & circulare, h. ligamentum teres, caput femoris fundo Acetabuli connectens.

Fig. I. exhibet muſculos Glutæos. E. majorem extra ſitum. F. medium, ſub quo latet minimus.

TAB. XCVIII.

Geneſ. Cap. XXXIII. verſ. 4.

Eſau autem obuiam illi currens amplexatus eſt eum, ruitque in collum ejus, & oſculatus eſt eum, fleueruntque.

Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringensque collum ejus, & oſculans fleuit.

Corda flectente DEO, Eſaui erga Jacobum fratrem internecinum odium vertitur in tenerrimos amoris motus. Occurrunt inuicem Cadmæi antea fratres longa annorum ſerie ab inuicem ſejuncti, in amplexus ruunt mutuos, reciproca oſcula figunt, & *flent*. Tanguntur corda, lacrymæ exprimuntur oculis. Tanguntur chordæ, & in dulciſonos mouentur concentus. Hoc eſt, quod experientia docet quotidiana. Sed Phænomeni ratio petenda ex Neurologia, Neruorum ophtalmicorum & Intercoſtalium, qui Cardiaci ſimul ſunt, conſenſu. Conſtat nempe *Intercoſtalis neruus* ex ramificatione neruorum quinti & ſexti paris, & ramus ſecundus quinti paris *ophtalmicus* dictus in 4. vel 5. ſurculos diuiſus, qui omnes ſupra Muſculos oculi pergentes, perque glandulas ejus aliquatenus trajecti ferè toti in palpebras abſumuntur. Impreſſione in cerebrum facta, commoto animo, tranſmittitur cerebelli ductu paſſio ad cor, Cardiacis neruis notis

tanguntur intercoſtales, & ex horum conſenſu Ophtalmici modo memorati, qui *in oculorum glandulas ac palbebras diſtributi, illarum partium actionibus, potiſſimum inuoluntariis & patheticis, inſeruiunt, cujusmodi inprimis ſunt oculorum languidi mœrentesque inter flendum aſpectus, ac inuita lachrymarum profuſio: cum enim inferior quinti paris ramificatio, neruus ſcilicet intercoſtalis, præcordiis in Homine proſpiciat, facilè accidit, ut à triſti horum affectione iſtius nerui ramis cardiacis in ſpasmum actis & corrugatis, etiam prædicti rami ophtalmici ita correſpondeant, ac palpebras corrugando, comprimendoque glandulas, ejusmodi oculorum intuitus triſtitiæ ac dolorum indices producant, Willis Anat. Cerebr.* c. *22.*

Commentario huic illuſtrando quadrat Fig. adjecta in qua

A. Paris ſexti neruus, é cujus Trunco duo ſurculi 1. 1. in binos oculi Muſculos feruntur.

2. Surculus à Neruo ſexti paris pro radice Nerui intercoſtalis reflexus.

B. Paris Quinti truncus ſtatim in duos ramos majores diuiſus.

3. Duo ſurculi ab hoc ramo pro nerui Intercoſtalis radice reflexi.

C. Diuiſio Caudicis ſuperioris in 4. minores ramos, quorum ſuperior ophtalmicus oculi orbitam ingreſſus 4. ſurculos emittit, ad Nares, Muſculos Frontis, Palpebras & glandulas oculi interiores.

D Ramus ſecundus etiam Ophtalmicus, qui in Palpebras ac glandulas exteriores diſtribuitur.

TAB. XCIX.

Geneſ. Cap. XXXIII. verſ. 19. XXXIV. verſ. 25.

Emit quoque partem agri, ubi tenderet Tabernaculum ſuum de manu filiorum Hemor, Patris Sichem, centum probatis Nummis.
Tertio itaque die, quum eſſent in dolore ciues, duo filii Jacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ, arreptis gladiis ſuis, urbem introierunt confidenter, interfeceruntque omnem marem.

Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor Patris Sichem, centum agnis.
Et ecce, die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis, duo filii Jacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ, gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter, interfectisque omnibus maſculis - -

INtentio non eſt mea, ponderare vel numorum pretium, vel ſceleris in agri hujus coëmti tractu admiſſi grauitatem; Sed quod ad prius refert, juuabit obſeruare Vocem קשיטה *Keſita* recurrere Joſ. XXIV. 32. *Sed & oſſa Joſeph, quæ tulerant filii Iſrael ex Ægypto, Sepelierunt in Sechem in parte agri, quem emerat Jacob à filiis Hemor patris Sechem centum nummis (centum nouellis ouibus)* קשיטה & Job. XLII. 11. *conuenerunt ad Jobum omnes fratres ejus, & omnes ſorores ejus, & omnes, qui prius eum nouerant -- nec non ſinguli ei dederunt Numum* קשיטה *& inaurem auream. Et dederunt ei unusquisque ouem unam, & inaurem auream unam.* Binis prioribus locis latina noſtra קשיטה explicat per *Nummum, Nummos*, Vernacula in noſtro textu per *Groſſum, Groſchen* in Jobo per ouem, *ein Schaff*, uti quoque interpretatus fuit Hieronymus, LXX ubique habent ἀμνὰς, quæ vox *ouem* ſonat. Hoc ſenſu ſumunt & Onkeloſus, & Verſiones, Syriaca, Arabica, Vulgata. Alii vero ex hac Voce *Nummum* cudunt, Rabbini excepto *AbenEzra* omnes. R. *Salomo Jarchi obolum argenteum*, מעה qui denarii Sexta ſit pars. Ita R. *Aquiba* in *Ros Haſſana: Cum per Africam peregrinarer, obolum vocabant Keſitham. Quænam inde eſt utilitas? ut centum Keſithæ, de quibus agitur in Lege Moſis explicentur centum* δάνακες. Interpretem agit Proto-Martyr *Stephanus* Act. VII. 16. μετετέθησαν, *Jacobus & Patres* ἐις Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ Μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίȣ παρὰ τῶν ὑιῶν ἐμμὸρ τȣ̃ Συχέμ. Unde id ſaltem conſtat venditum emtumque fuiſſe agrum pecuniâ, ἀργύρίῳ, non acquiſitum permutatione, quæ in primis Seculis locum obtinuit. Emerat Abrahamus quod ſuo loco vidimus agrum Ephron 400. Siclorum pretio.

Cui



GENESIS Cap. XXXIII. v. 19. XXXIV. v. 25.
Kesita et Vulnera Sechem

I. B. Moſis Cap. XXXIII. v. 19. XXXIV. 25.
Kauff u. Beſchneidung-Schmerze zu Sichem.

M. Tyroff sculp.

JCB

RPJCB



GENESIS Cap. XXXV. v. 4. 8.
Sepulchrum Deboræ.

I. Buch Moſis Cap. XXXV. v. 4. 8.
Deborä Begräbnüs.

M. Tyroff sc

Cui ipſi contractus adſcribitur in loco Actorum citato, Jacobo vero in noſtro Textu. Cur? diſpiciant alii. Jacobus ipſe filiis in Ægyptum profecturis dederat Argentum, ut Frumenta emerent. Jungunt *Ariæmontanus*, *Maſius*, *Serarius*, *Bonfrerius*, *Cajetanus*, alii, ideas pecuniæ ſiue Numi, & ouis, & ſtatuunt Numis iſtis impreſſam fuiſſe Ouis figuram, ut olim Romani *pecuniam* nominabant à *pecude*, & pecudum effigie ſignabant teſtibus *Plutarcho* in *Vita Publicolæ*, & *Plinio* L. XVIII. c. 3. qui ita: *Seruius Rex Ouium boumque effigie primus Æs ſignavit.* Et conſtat ex *Varrone* & *Gellio* Noct. Att. II. antiquiſſimis temporibus ipſam pecuniam *ouium* veniſſe titulo. Ita *Peloponneſii* in Numis cudebant *teſtudinem* χελώνην, *Athenienſes Bouem* in didrachmis, alias *Noctuam.* Alia exempla ſilentio prætereo. Quicquid horum ſit, ut ſane difficile eſt, Iſraelitis Numos tribuere ovium effigie ſignatos, nullus modernorum ſcriptorum pretium τῆ קְשִׂיטָה determinare ſibi præſumit.

Jam quod ad facinus his in oris patratum, agedum paucis agamus de temporis circumſtantia, quo hæc Συχεμιτοκτονία fuit commiſſa, idque ex principiis modernæ Medicinæ Mechanicis. Docet nos Experientia, dolores ex vulneribus exacui tertio quartoue die. Hæc obſeruatio latere haud poterat Jacobigenas, quorum ſerui alienigenæ circumcidi debebant, & proin exacerbationem illam dolorum pati. Primus ex vulneratione dolor ſequitur immediaté continui ſolutionem, fibrarum neruearum & vaſorum ſanguiferorum diſſectionem ac reſilitionem, quæ comitem mox habet Anomaliam in fluidorum, ſanguinis & fluidi neruei, motu: ille namque partim effluit per vaſorum oſcula aperta, partim vero ſtagnare incipit in labiis vulneris, hinc tumor & fluidi neruei retropulſio verſus Cerebrum, ubi Menti ſiſtitur idea Tenſionis, id eſt, Doloris. Quo magis proin tenſæ ſunt fibræ in loco vulnerato, eò eſt & dolor intenſior, & intenſior tantò, ſi eo concurrant plures nerui, ita enim retroacti plures ſpiritus reflectendo ex ſede mentis tanto majori impetu influunt in partes, imò irruunt. Irruunt inquam, noua enim & ſanguini & Spiritibus aperienda eſt via, quam non inveniunt hæc fluida niſi vi: Sanguis autem extrauaſatus, initio dulcis & mitis, acrimoniam ſenſim induit, auolantibus particulis balſamicis volatilioribus, & remanentibus quæ ſalinæ magis ſunt, & terreſtres, & tertio die putreſcendo pus formant, quod acrimonia ſua fibrillas nudas nerueas arrodit, afficit, lancinat, per conſequens dolorem excitat, eumque valdé ſenſibilem. Et hæ ipſæ particulæ acres ſalſæ, ſanguini per oſcula venarum refluo commixtæ in tota maſſa laticis vitalis anomalos, febriles fermentatorios cauſantur motus, unde Febres vulnerariæ. Ex hiſce principiis judicare nunc eſt facile, unde vulneribus accedant Tumor, Inflammatio, Rubor, Dolor, Febris, imo aliquando Conuulſiones atque Deliria. Hinc eſt, quod Chirurgi in Arte ſua experti tertio quartoue die vulneratas partes haud irritent, ſed leniter tractent; Auream en *Hippocratis* regulam Lib. de *Fracturis* §. 33. ἥκιστα γὰρ χρὴ τῇ τρίτῃ καὶ τετάρτῃ συφελίζειν πάντα τὰ τρώματα. Ὡς ἐν κεφαλαίῳ δὲ εἰρῆσθαι, καὶ μηλώσιας δὲ πάσας φυλάττεσθαι χρὴ ἐν ταύτῃσι τῇσιν ἡμέρῃσι, καὶ ὁκόσοισιν ἄλλοισι τρώμασιν ἠρέθισται. Addita ratione: Τὸ ἐπίπαν γὰρ ἡ τρίτη καὶ ἡ τετάρτη ἡμέρη ἐπὶ τοῖσι πλείστοισιν τῶν τρωμάτων τίκτει τὰς παλιγκοτησίας, καὶ ὅσα ἐς φλεγμονὴν καὶ ἀκαθαρσίην ὁρμᾷ, καὶ ὅσα ἂν ἐς πυρετοὺς ἴοι. *Minime enim tertia ac quarta die omnia vulnera mouere oportet: & ut in ſumma dicam, etiam omnes ſpicillorum admotiones vitare conuenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur. In totum enim tertia ac quarta dies in plerisque vulneribus recrudeſcentias pariunt, & quæ ad inflammationem ac immunditiem procedunt, & quæ ad febres deueniunt.* Confirmat id ex communi Judæorum experientia *AbenEſra*, eſſe tertium à circumciſione diem omnium maxime dolorificum. *Tertius dies perpetuo grauis eſt, quia is dimidius eſt quadrantis, puta lunaris.* Quæ ætiologia hallucinatur.

TAB. XCIX. B.

Geneſ. Cap. XXXV. verſ. 2. 4. 8.

Tum dixit Jacob ad domum ſuam, & ad omnes, qui ſecum erant; Abjicite Deos alienos, qui ſunt inter vos, mundamini & immutate veſtimenta veſtra.

Jacob vero convocatâ omni domo ſua, ait; Abjicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.

 Et

— Et defodit eos Jacob ſubter Quercum, quæ erat juxta Sichem.

Mortua vero eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ſub Bethel ſub quercu, & vocatum eſt nomen loci illius, Quercus fletus.

— At ille infodit eas ſubter Terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem.

Eodem tempore mortua eſt Debora, nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad Radices Bethel ſubter Quercum, vocatumque eſt nomen loci illius, Quercus fletus.

Duplici nomine conſideranda nobis venit Arborum pene robuſtiſſima *Quercus*; Monumentum fit ſepultæ ſub ea Deboræ, & Terræ reconditorum Idolorum gentilium. Nota Arbor toti Europæ, frequens & Aſiæ. Caudice recto, craſſiſſimo, vaſto, materie firma, compacta, graui: cortice craſſo, intus rufo, rimoſo, ſcabro, qui in ſurculis & ramis minoribus læuis eſt & nigricans, aut cinereus, brachiis longe lateque luxuriantibus, magnam innoxiamque umbram loco inducentibus: foliis longis ſumma parte obtuſis, ad latera profundis anfractibus, & crebris ſinuatis, præſertim in vetuſtiore Arbore, glabris, nitidis, obſcuré virentibus, pediculis breuibus nixis, coſta media utrinque elata & eminente, ſingulatim naſcentibus. Juli ſeu nucamenta in quadrantalibus tenuibus pediculis ex certis interuallis muſcoſi, ex apicibus ſeſſilibus herbidis eodem puncto pluribus exortis compoſiti, ſic ut interdum verticillatim ligulam, cui adhærent, coronent. Obſeruantur quoque & Glandium rudimenta tanquam globuli minimi purpurantes & hirſuti. Glandes in calycibus ſuis ſeu cupulis ſeſſiles, vel ſurculo proximé adhærent, vel longis tenuibusque pediculis appenduntur, unciam communiter longæ, corticoſa membranâ tectæ punicea vel leucophæa, nucleo calloſo, acerbo & auſtero, quemadmodum & cupula exterius aſperiuſcula, intus læuis, prædicto cortice multo denſior, vix tertiam glandis partem capiens. Aculeus in ſummo glandis faſtigio eminet breuior, & minus pungens. Pertinet hæc Arbor ad eas Juliferas, quarum Juli ſeparati ſunt à fructibus, & ſemina inuolucrum habent veluti coriaceum. Viden' characteres diſtincté expreſſos ad marginem, juxta *Tournefortii* mentem.

Quercus ut frequens in Sacris mentio, ita & honorifica apud Gentes varias memoria, religioſus ad ſuperſtitionem usque, & ultra, uſus, vel potius abuſus. Anſam dedere materiæ firmitas, Roboris (quod ipſum eſt Quercus Synonymon) robur, Amplitudo, varia ſub hac arbore patrata; Firmitas forte veterum opinioni, quod omnium prima ex Terra fuerit nata, ut Arcades Hominum primi, propterea Quercui cognati. Hinc ſane eſt, quod Socrates in Deorum ſui temporis & ſui populi, contumeliam per Quercum dejerauerit, DEUM nempe unum, interprete *Tertulliano*. Mundi Cœlique Rectorem colens, Quercu ipſa priorem, poſteriores vero hac arbore DEOS Athenienſium aliorumue Græcorum æſtimans, quæ hæreſis & odii, quod ſibi contraxit vir magnus meliori fato, feliciorique Seculo dignus, cauſa fuit & ſupplicii. Proceritas in cauſa fuit, quod arbor hæc Joui fuerit ſacra, & ſacra, quia vitæ cauſa hominibus data, utpote qui primum veſcebantur glandibus. *Ouidius*

Et quæ deciderant patulæ Jouis arbore glandes,

ut fuerint, qui per Διὸς βάλανον, Jouis glandem intellexerint non tam Caſtaneas, quam quernas Glandes, in Adagio, πολλῶν πανηγυρέων Διὸς βάλανον ἔφαγεν, *multorum Feſtorum Jouis glandes comedit*, de ſene multarum rerum uſu docto & experto. Sacra dehinc Quercus, ex qua dari ſolebat ciuica corona Romanis, impoſita quoque inferis Diis & Parcis. *Catullus:*

His corpus tremulum complectens undique Quercus
Candida purpureis ramis induxerat ora.

Hinc Quercus ipſa *ciuilis* dicta, Virgil. *Æneid.* VII.

At qui umbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Cum noſtra autem Qercu funebri conferri commodé poteſt illa juxta Prienem Joniæ urbem, apud quam Samii mille à Prienenſibus mutuo Prælio commiſſo fuere occiſi, & ſeptennio exacto à Mileſiis optimi quique Prienæciues & magnates, unde mos Prienenſibus mulieribus fuit in rebus maximi momenti jurejurando teſtari *per Tenebras ad Quercum*, quod eo in loco & Patres & maritos ac filios amiſiſſent. Quo Adagio uſi fuêre occaſione ingentis & fatalis calamitatis. Hæc de Prienenſibus *Plutarchus Quæſt. Græc.* p. 295. Edit. Paris. Σάμιοι καὶ πριηνεῖς πολεμοῦντες ἀλλήλοις τὰ μὲν ἄλλα μετρίως ἐβλάπτοντο καὶ ἔβλαπτον, μάχης δὲ μεγάλης γενομένης χιλίους Σαμίων οἱ Πριηνεῖς ἀπέκτειναν. Ἑβδόμῳ δὲ ὕστερον ἔτει Μιλησίοις συμβάλοντες παρὰ τὴν καλουμένην δρῦν, τοὺς ἀρίστους ὁμοῦ τε καὶ πρώτους ἀπέβαλον τῶν πολιτῶν — ταῖς δὲ Πριηνέων γυναιξὶν ὁμοῦ τοῦ πάθους τούτου καὶ τῆς συμφορᾶς ἐλεεινῆς γενομένης ἄρα κατέστη καὶ ὅρκος ὁ περὶ τῶν μεγίστων, Ο παρὰ δρυὶ σκότος, διὰ τὸ παῖδας αὐτῶν καὶ πατέρας καὶ ἄνδρας ἐκεῖ φονευθῆναι. Ne quis autem miretur rerum inanimatarum & obviarum ἱερομεταμόρφωσιν ad ſacrum ordinem tranſitum. Poterat ſufficere vel ſolus, ubi res

es ſacræ peragebantur, locus. Ut ſane frequenter non lucos duntaxat amabant Idololatræ, ſed ſub Quercuum umbra adolere, Teſtimonium en illuſtre Hos. IV. 13. *In verticibus montium ſacrificarunt, in collibus ſuffitum adoleuerunt, ſub Quercu, Populo & Tilia, quod amœna eſſet ejus umbra. Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama: ſubtus quercum & populum & terebinthum, quia bona erat umbra ejus.* Imo vero fuere Quercus Templorum vice Jeſ. LVII. 5. *Incaleſcitis*, ſcortatione Deaſtros ſequuti, *apud Quercus ſub omni Ligno frondoſo, jugulantes liberos in vallibus* ſubtus *in cauernis petrarum: Qui conſolamini in Diis ſubter omne lignum frondoſum, immolantes paruulos in torrentibus, ſubter eminentes petras:* Et Cap. I. 29. *Pudefient ab Idolis* (מֵאֵילִים al. ab Ulmis vel Quercubus) *quibus vos delectati eſtis, & erubeſcetis propter hortos, quos elegiſtis.* Quis proin mirabitur dediſſe Quercus Idolis materiam? Audi iterum Jeſ. XLIV. 14. *Accingit ſe* (faber lignarius) *ad incidendum Cedros, ut aduehat Ilicem & Quercum, & corroboret ſe in Lignis ſaltus — accipit enim ex his* (Lignis) & *caleſit, quin & incenſo* (furno) *panem coquit, deinde & Deum* (ex his) *facit, & adorat: Succidit cedros, tulit ilicem & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltûs, — ſumſit ex eis, & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes &c.*

Nil ſane non poterat ſufficere corruptæ Hominum Naturæ, nil non Idola facere, & commendare; locus, duratio, ſpecioſa proceritas, rerum actarum memoria, & quid non? ſane heic ſolum Deboræ ſepultæ ſub Quercu monumentum, & arbori huic inditum nomen אַלּוֹן בָּכוּת *allon bacuth:* cur non magis defoſſi hîc Deaſtri Labanis *Teraphim*, quæ furtim abſtulerat Rachel? De his autem varia eſt diuerſis Autoribus mens, varia item de cauſſa Furti motiua. Sunt ex Judæis, qui exiſtimant, ſurripuiſſe filiam Patri Idola, ne is Idola hæc conſulendo, vel inſpiciendo cognoſceret Iter, per quod abiiſſet Jacobus maritus. Ita *R. Elieſer in Capitulis* c. 36. *AbenEſra, Albilda in Olat Tamid* p. 99. quibus accedunt *Toſtatus*, & *Bonfrerius*. *Flauius* autem *Joſephus Ant.* L. I. c. 19. ut ad Idola aduerſus Patris iram confugere poſſet. Alii, ut ipſa coleret, præuio *Chryſoſtomo* Hom. 57. *in Genes. Pererius* & *Oſiander* ſumſiſſe pro mercede marito, & pro dote ſibi & ſorori Idola hæc aurea argenteave. Fauentiores tandem Racheli *Baſilius in Prouerb. Nazianzen. Orat. II. de Paſch. Theodoretus Quæſt. 86. in Gen. Calovius Diſp. Anti Grot. in Gen. VI. Auguſt. Pfeiffer. Exerc. de Teraphim* §. 31. fuiſſe hoc furtum pium, quo voluerit Rachel Patrem ab Idololatria revocare; de materia, forma & uſu horum Idolorum iterum miré variant interpretes varii. *R. Elieſer* l. c. & cum eo alii γϱαωδέων μύθων fabri, fuiſſe mactati primogeniti caput ſale & oleo conditum, ſub cujus lingua poſuerint laminam auream, inſcripto nomine Spiritus cujuſdam immundi, procubuiſſe coram hoc capite, & loquutum fuiſſe ſimulacrum cum ipſis. Rabbini plerique à tanta Labanis impietate remoti, fuiſſe Inſtrumenta quædam certo artificio ad ſtellarum poſitum fabricata, ex quibus loquentibus futura cognoſci poſſent. Alii ex recutitorum Doctorum numero, nominatim *R. Moſes Nachmanides* fuiſſe Horologia vel Aſtrolabia. *Pfeifferus* fuiſſe Idola, eaque domeſtica ſeu Lares quod vel ex Hiſtoria Michalis 1. Sam. XIX. 13. pateſcat, quoad materiam varia, argentea, ænea, lignea, & per Teraphim Diabolum dediſſe reſponſa. *Spencer. Lib. de Legg. Hebr.* originem ab Ægyptiis arceſſens; ſubſtituiſſe reuera DEVM pro Ægyptiorum Teraphim Iſraelitis Urim ejuſdem muneris & figuræ, ſimulacra nempe paruula, tanquam Oracula, ut peruicaci gratificaretur populo, quam opinionem, ſane duram amplé refutat *Herm. Witſius* in Ægyptiacis, oſtendens, Teraphim Idola fuiſſe domeſtica, quorum uſus DEO diſplicuerit, Inſtrumenta ſuperſtitionis, quæ inſeruierint Diuinationi, Idololatriæ & Magiæ; Magicis præſtigiis loquelam illis conciliatam: DEVM longe diuerſum à Teraphim Oraculi conceſſiſſe Inſtrumentum. *Jurieu dans l'hiſtoire critique des Dogmes* P. III. c. 1. ſeqq. fuiſſe Teraphim ſimulacra figuræ humanæ, Inſtrumenta Diuinatoria, ſed antiquiora illa Labanis objecta duntaxat adorationis, DEI inviſibilis repræſentatoria, Majorum quorundam Imagines, DEOS tutelares in memoriam Patrumfamilias fabricatos, ſucceſſu tamen temporis tractos ad abuſus magicos & necromanticos; De quibus omnibus nec volo, nec audeo meum interponere judicium, quod lubens linquo verſatioribus in Antiquitatibus ſacris. Ad id ſaltem facit hæc qualiscunque mea ad & extra Quercum (oleam dicit Prouerbium) diuagatio, ut introſpicere detur originem & progreſſum *Idololatriæ* gentilium, & quam hæc a tenuiſſimis ſæpe initiis orta alte ſurrexerit, & ampla per Orientem imprimis expanderit ſua brachia, ſed & per Occidentem. Innatæ ſunt mortalium mentibus Diuini Numinis ideæ, & prolucet Exiſtentia DEI ex omnibus operibus, ſed fingit Deaſtros corrupta Natura, & abominanda metamorphoſi conuertit Creaturas ipſas in Creatorem. Quot in Veteri hodiernoque Mundo ſunt Idola, ut ſunt ὡς μύϱμακες ἀνήϱιθμα καὶ ἄμετϱα, tot ſunt turpium ἀποθεωσέων exempla; ad hanc ſupremam dignitatem euectos videas non ſolos Angelos, Mentes illas noſtra ſubſtantia ſuperiores, puras & impuras, ſed Patres, Auos, Majores, Heroes, viros & ſanctitate, vel ſcientia, vel inventis, aliiſue meritis claros, Aſtra tum fixa tum errantia, Animalia, Vegetabilia, Lapides, Ligna, & quid non? Ubicun-

que videbant digitum DEI in operibus DEI, ut videbant ubique, DEVM videbant, ſed in Creaturas transformatum, throno ſuo ſpirituali & glorioſo dejectum ſubjiciebant oculis, aliisue ſenſibus, vel ſaltem ſaniores ex iis adminiſtros omnipotentiſſimi Regis adorarunt, ut propitium ſibi facerent ſupremum Numen. Hinc ἀςρολατρεία, ἀγγελολατρεία, ζωολατρεία, & quis enumeraret omnes turpiſſimæ apoſtaſiæ ſpecies? καὶ ταῦτα μὲν περὶ ταῦτα.

TAB. C.

Geneſ. Cap. XXXVI. verſ. 24.

Iſti ſunt filii Zibeon & Ajah, atque Ana. Hic eſt Ana, qui inuenit mulos in deſerto, quum paſceret Aſinos patris ſui Zibeon.

Et hi filii Sebeon: Aja & Ana: iſte eſt Ana, qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinas Sebeon patris ſui.

EST hic locus unus ex S. Scripturæ vexatiſſimis, cujus elucidatio præſtolanda potius a Philologis, quam à Naturæ ruſpatoribus. Redit namque huc omnis Quæſtio, quid intelligi debeat per ימם *Jemin*, quod vocabulum reddimus per *Mulos*, & nobiscum *Jonathan* in Paraphraſi *Bereſchith Rabba* Sect. 82. *Iſidor. Orig.* L. XII. c. 1. & tot Verſiones atque Interpretes ut

Defendat numerus, Junctæque umbone Phalanges.

Sed militant argumenta in contrarium validiſſima. 1. Mulus Ebræis eſt פרד *Pered.* Nec reperias ex populis Orientis, qui hoc Animalium genus appellarint ימים. 2. Qui mulos procreandi rationem excogitaſſet, non diceretur a Moſe eos inveniſſe, מצא *maza* in Scriptura ſignificat inuenire rem jam extantem. Licet aliquando Græcorum ἐξευρίσκειν & Latinum *inuenire* ſumatur pro excogitare. Ita *Homeri Scholiaſt.* ad *Iliad.* β΄. *v.* 852. de Henetis, ὅπȣ τὸ τῶν ἡμιόνων γένος ἐπενοήθη πρῶτον καὶ ἐξευρήθη. *Ubi mulorum genus primo excogitatum atque inuentum eſt.* 3. Ana pauiſſe legitur aſinos Sibonis patris ſui: ex ſolis autem Aſinis non procreantur muli, ſed ex Aſino & Equa, vel ex Equo & Aſina, vel Onagri cum Equa aut Aſina concubitu. Equorum autem hic nulla fit mentio. 4. Judæos mulis uſos fuiſſe non legimus ante tempora Dauidis, qui poſterior Ana fuit Annis feré 700. Ante ea tempora inter greges Patriarcharum & Gentium nullibi recenſentur Muli v. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. I. c. 21.

Hinc eſt, quod alii ימים interpretentur *ſtagna, fontes, Maria, Aquas calidas*, videatur *Hieronymus. Vulgata* habet *Aquas calidas.* Syrus *Aquas in Deſerto. Diodorus* Tarſenſis πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Huic Sententiæ obſtat, quod iisdem quidem Literis ſcribantur ימים *Jemim*, & ימים *jammim*, maria ſed diuerſiſſimis vocalibus. 2. ימים Hebræis non dicuntur quæuis aquarum congregationes, ſed Maria vel magni lacus, qui nemini non patent. 3. Aquæ Ebræis non ſunt ימים *Jemim* ſed מים *Maim.*

In tanta Interpretationis difficultate maluerunt LXX. & Græci poſteriores *Aquila, Symmachus, Theodotion*, ſeruare originale *Jemim* ימים & exponere per ἰαμεῖν, qui ipſi nos ducunt ad aliam, & forte optimam conjecturam. Habet ex Chaldæis *Onkelos* גבריא *Gigantes*, Samaritanus *Emæos*, qui ipſi erant *excelſi*, *uti Anacæi* & *gigantes reputabantur* ut *Anacæi.* Deut. II. 10. 11. His igitur ימים *Jemim iidem ſunt qui* אימים vel אמים *Emim.*

Hîc ſenſus planus, *Anam* Sibonis filium, Eſaui Socerum, inueniſſe *Emæos* in deſerto. Inveniſſe autem Hoſtes Ebræa phraſi dicitur, qui incidit vel irruit in illos ex improuiſo. Exempla talismodi inuentionis vel occurſus habemus Jud. I. 5. 1. Sam. XXXI. 3. 1. Reg. XIII. 24. alibi.

Pontus dat huic interpretationi, quod *Horæi*, quibus Anæ pater Sibon imperabat, *Emæis* vicini erant. *Emæi* enim *Ar* tenuerunt, & campum *Kriiathaim*, & *Horæi* montem *Seir*, donec illi à Moabitis, hi ab *Idumæis* pellerentur. Unde *Emæorum* regio *Moabitis*, & *Horæorum* regio *Idumæa* dicta. Stabiliunt hanc viciniam, quæ legimus Gen. XIV. 5. 6. Deut. II. 9 - 12. Placet hæc Sententia *Bocharto*, *Heideggero Exerc. de Eſauo* Th. 17.

Mulorum proin origo, Anæ hactenus tributa, eſt admodum incerta. Excidit Eſaui Socer inuentionis gloria. Antiquiſſimum Poetarum *Homerum* ſi audiamus, Iliad. β΄. v. 852. ſunt Heneti populi Mulorum inuentores

Ἐξ ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων

Ex Heneta urbe genus mulis agreſtibus unde eſt.

Sed in eundem noſtrum *Anam* rediret inuentionis gloria, ſi quod *Ludov. de Dieu* autumat, ab ipſo ἐνὰν LXX. deſcenderunt ἐνετοὶ *Eneti* populi Paphlagonibus, Cappadocibus, Galatis vicini, apud quos alii Græci, *Theophraſtus, Strabo, Plutarchus* primum natos volunt. Arabibus ſi credimus, *Karon*, qui videtur eſſe *Core* primus omnium Aſinum Equæ, aut Equum Aſinæ admiſit. Videatur porro in hunc noſtrum textum *Fortun. Scacchi Myroth.* III. cap. 25. ubi *Vulgatam* & congregationem aquarum fuſe defendit.

TAB.



GENESIS Cap. XXXVI. v. 24.
Mulorum inventio.

I. Büch Moſis Cap. XXXVI. v. 24.
Die erfündene Maülthiere.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB

RPJCS

TAB. CI.



GENESIS Cap. XXXVII. v. 25.
Necoth, Styrax.

1. Buch Moſis Cap. XXXVII. v. 25.
Necoth und Storax.

M. Tyroff scu

RPJCB



GENESIS Cap. XXXVII. v. 25.
Tſeri, Balſamum, Terebinthus

I. Büch Moſis Cap. XXXVII. v. 25.
Balſam, Terpentin-Baum, Myrrhen

M. Tyroff sculp.

RPJCB



Genesis Cap. XXXVII. v. 25.
Lotus Ægyptia in Numis et Antiqq.

I. Buch Moſis Cap. XXXVII. v. 25.
Egyptiſcher Lotus-Baum.

A. Delsenbach sculp.

TAB. CI. CII. CIII.

Geneſ. Cap. XXXVII. verſ. 25.

Ipſi vero conſidunt ad edendum cibum: & cum attollerent oculos, viderunt in via Iſraelitas venientes é Gilead, quorum Cameli ferebant aromata, reſinam & (a) ſtacten: ibant autem, ut deportarent hæc in Ægptum.

(a) Forte Lotum fuit.

Et ſedentes, ut comederent panem, viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam & ſtacten in Ægyptum.

EXponendæ nobis veniunt merces, quas ὁδοιπόροι Ἰσμαηλῖται, turma Iſmaelitarum ſeu Midianitarum, ſiue, ut hodie loqui amant, Carauana Arabum, ex Galaaditica Regione deportant in Ægyptum.

Primum quod memorat Moſes ſunt נְכֹאת, quæ Vox occurrit quoque Gen. XLIII. 11. Sed incertæ eſt ſignificationis. Ionathan שעוא & Arabs Erpenianus סמעא *ceram* exponunt, uti & *Bereſchith Rabba Sect.* 91. apud *Onkeloſum* putant idem eſſe quod שְׁעָף. LXX. reddunt Θυμιάματα; Aquila στύρακα, *Hieronymus* priore loco *Aromata*, poſteriore *Storacem*. Sic & nos utrobique *Aromata*, Gevvürze, Syrus רהטנא *reſinam*. *Kimchius rem deſiderabilem*, *Jarchius*, *collectionem plurium aromatum*. Ex modernis ſeligit, quod vult quilibet. *Junius* exponit *Myxaria*, quæ Arabicé ait dici *Nukeda*, voce ad Hebraicum *Necoth* accedente, teſtibus *Ægineta*, *Aetio*, *Pſello Actuario*. Conſtat autem hanc vocem Arabibus deſignare *dentifricia*, quæ in quotidiano ſunt uſu apud Arabes, & non ſolum dentes mundant, ſed & fragrantiam halitui oris conciliant. Sed obſtat, quod Arabes talis modi myxaria vocent מכיט. Placet *Bocharto Storax* & ex rationibus haud contemnendis, 1. abunde creſcit in Syria Plin. L. XII. c. 25. unde & hodié defertur Maſſiliam & in reliquam Europam; Phœniciam memorat *Artemidorus* apud *Stephanum* in voce κάρνη. *Joſephus* L. XV. c. 23. Galileam. 2. Inter laudatiſſima eſt θυμιάματα. 3. ut heic apud Moſen, ita & apud *Plinium* L. XII. c. 17. *Arabes ex Syria reuehunt Styracem acri odore ejus in focis abigentes ſuorum faſtidium.* 4. Moſes cum Necoth jungit Reſinam, mel & myrrhæ ſtacten, ad quorum naturam accedit ſtorax, ῥητινώδης & ipſe apud *Dioſcoridem*, 5. convenit Radix Arabica נכת, quæ notat haſta Terram ita vibrare, ut nota impreſſa maneat, ſed &, haſtâ confoſſum aliquem in caput dejicere. Fiunt autem ex Styrace arbore, *Strabone* teſte, τὰ στυράκινα ἀκοντίσματα ἐοικότα τοῖς κρανάινοις *ſtyracina haſtilia iis, quæ corno fiunt ſimillima.* L. XII. Et apud *Heſychium* στύραξ non tantum arborem, ſed & *lanceam* notat, & haſtæ partem ſeu ſuperiorem ſeu inferiorem. Eidem στυρακίζειν eſt pungere tanquam haſtâ, vel haſtæ cuſpide. 6. *Hieronymus* quoque Geneſ. XLIII. *Storacem* habet, & in Libro Nominum *nechota Styracem* vel *Aromata*. Idem ſenſerunt *Syri*, qui *Reſinam*, & Arabes, qui Gummi explicarunt, nomine generico uſi pro ſpeciali, *Heidegg. Exerc. de Hiſt. Joſephi* 1. Th. II. vi. Fig. I. *Bocharto* poſterior *Hillerus Hierophyt.* P. I. p. 211. rejectis aliis ſententiis נְכוֹת & נְכֹאת eadem vult quæ נְכֹתוֹת *tuſa*, litera ת repetenda, ut frequenter fieri ſolet, in א mutata, & quidem intelligit *olea tuſa*. Nam 1. ex cognata voce oleum purius & pretioſius, lucernis in templo & oblationibus ſacris impenſum, vocatur כָּתִית שֶׁמֶן זַיִת, *tuſum oleum oliuæ*, Exod. XXVII. 20. Leuit. XXIV. 2. Exod. XXIX. 4. Num. XXVIII. 5. 2. Utiliſſima laudatiſſimaque oleo tundendo conficiebatur, ut hodie ſit *flos olei*, oleum ex recentibus oliuis in molis oleariis expreſſum, eleganter flauum, dulce & flagrans. 3. Notio hæc omnibus, qui de נְכֹואת & נְכוֹת agunt, locis quadrat ut præſenti, quia Ægyptii tuſo oleo ad unguenta laudatiſſima indigebant oleo optimo & puriſſimo. Hujusmodi autem præſtantiſſimis oleis abundaſſe Gileaditicam Regionem. Porro Gen. XLIII. 11, Deut. VIII. 8. Jeſ. XXXIV. 12. 2. Reg. XX. 13. Nec poterat munus hoc, quod Jacobus Ægypti Præſidi miſit, vile cenſeri, quum & Reges munificentiam ſuam teſtaturi, olei dono alios honorarint 1. Reg. V. 11. 2. Paral. II. 10.

Sequitur צְרִי vel צֳרִי *Reſina*, ῥητίνη per metatheſin צ mutato in ת. Hujus Reſinæ mentio quoque fit, Jer. VIII. 22. & Jer. XLVI. 11. Reſinam quoque habet *Targum Onkeloſi*, Vulgata & Latina noſtra. Sed generica eſt hæc Vox, omnibus Arboribus Reſiniferis, & inde fluenti Reſinæ communis. Si quæras ſpecialius quid, ut quærere fas eſt, exhibent multi noui interpretes poſt *Kimchium* Balſamum & Opobalſamum, ita & Vernacula noſtra Balſam. Arbuſculam exhibet Fig. II. Tab. CII. Sed obſtat, quod Balſamum creuerit cis Jordanem prope *Engadi* & *Hierichuntem*, non in Terra Galaad, trans Jordanem; & in Judæa notum non fuerit Balſamum ante Salomonis tempora, quibus eò translatum eſt ex Arabia Felici â Regina Sabæorum, *Joſepho* teſte Antiqq. L. VIII. c. 2. Dabitur de hoc Frutice & Balſamo alibi commodior diſſerendi occaſio. Arabs habet *Theriacam*, ut & Judæorum Verſio Hebræo-Germanica. Sic fluctuamus in incerto, ut fluctuamus ſæpe, ubi de Plantis Scripturæ inquirimus. Placet *Joſepho* Antiq. l. c. *Terebinthus* τερέβινθος, ut & *Hillero Hierophyt.* p. 417. 423. cujus vocis, uti ſupra theriacæ, prima Syllaba τὸ Zeri oſtentant. Fig. III. Tab. CII.

Idem feré fatum ſubit *Lot* לוֹט, quod *Græci*, *Onkelos*, Latina noſtra vertunt *Stacten*, Germanica noſtra Myrrhen. Eſt autem ςακτὴ, ſtacte, myrrha nobiliſſima & ſelectiſſima προσφάτȣ σμύρνης τὸ λιπαρὸν κεκομμένης μετὰ ὕδατος ὀλίγȣ ἀποτεθλιμμένȣ τε δι᾽ ὀργάνȣ. Ἐυώδης τε λίαν καὶ πολυτελὴς. Καὶ καθ᾽ ἑαυτὴν ȣ̃σαν μύρον τὸ καλȣ́μενον ςακτὴ. *Pinguitudo recentis Myrrhæ cum exigua aqua tuſæ, & organo expreſſæ, perquam oderata ac pretioſa, atque unguentum per ſe facit, quod Stacte nominatur.* Dioscor. L. I. c. 74. Et *Plin.* L. XII. c. 15. *Sudant myrrhæ arbores ſponte priusquam incidantur* Stacten *dictam, cui nulla præfertur.* Eſt vera Stacte hodie ignota, ſed ſunt, qui adulterinam parant, diſſolvendo myrrham in oleo, quam *Stacten unguentariam* vocant, vel *artificialem*, ſi inſpiſſent. Pomet Hiſt. de Drog. L. VII. c. 21. Arborem ipſam Myrrhiferam ita ſcité deſcribit *Plinius* l. c. *Altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſſiore quam Thuris, & ab radice etiam, quam reliqua ſui parte. Corticem læuem, ſimilemque Vnedoni: ſcabrum alii ſpinoſumque dixere. Folium oliuæ verum criſpius, & aculeatum. Juba Oluſatri. Aliqui ſimilem Junipero, ſcabriorem tantum ſpiniſque horridum, folio rotundiore, ſed ſapore Juniperi.* Sunt bene multi, qui Arabum autoritate ſuffulti, *ſtyracem liquidam* pro *Stacte* habent, quos refutat *Joh. Bauhin.* Hiſt. Plant. L. IX. p. 315. vi. Fig. IV. Tab. CII.

Placet *Heideggero Exerc.* de *Hiſtor. Joſeph.* Th. 11. ut & *Hillero Hierophyt.* P. I. p. 448. propter affinitatem לאדן *Ladanum*, ſubſtantia odorata, reſinoſa, ſubviridis, facile molleſcens, pinguis, εὐῶδες, ὑπόχλωρον, εὐμάλακτον, λιπαρὸν. *Dioſc.* L. I. c. 129. quam cum Ciſti frondes depaſcuntur Capræ hircique, conſpicue barba carpunt, & ſuo lentore villoſis cruribus adhæreſcentes reportant, quam depectentes incolæ, colanteſque cogunt in offas, & ita recondunt: alii vero attractis funiculis inſidentem funiculis lentorem abſtergunt, conglomerantque in Ladanum. Eodem teſte & *Plinio* L. XII. c. 17. qui Herbam, ex qua *Ledanum* fiat, *Ledum* appellari dicit; pluraque allegat de vero & adulterino Ladano. Eſt & hodié cognitum *Ladanum*, idque duplex, *liquidum* ſeu *balſamum*, *nigrum*, *Beaume noir*, quod liquefactum & percolatum veſicis indunt, alterum ſolidum, in paſtillos ex reſiduo prioris redactum, *Ladanum en tortis*. Pomet Hiſt. des Drog. P. II. p. 36. utrumque ſuffumigiis adhiberi ſolitum. In Creta hoc Ladanum colligunt inprimis Monachi Græci, *Bellonio* teſte: colligi autem poteſt, ubi creſcit, cumque *ciſtus Ledon*, cujus variæ ſunt ſpecies, ordine deſcriptæ â *Joh. Bauhino Hiſt. Plant.* L. XIII. c. 6. 7. ſiſtit Fig. V. *Ciſtum. Ledon latifolium Creticum* Tab. CII.

Affinitatem Literariam ſi ſpectes, propius adhuc ad τό לוֹט *Lot* accedit, *Lotus* arbor, λωτὸς, *vaſtæ magnitudinis, ferens baccam, pipere majorem, dulcem, cibis gratam, ſtomacho facilem* φυτὸν εὐμέγεθες, καρπὸν δὲ φέρει μείζονα πεπέρεως γλυκὴν, βρώσιμον, εὐςόμαχον. Dioſc. L. I. c. 172. cujus fructus dulcedine allecti Ulyſſis exploratores tres ad nauem redire noluerunt, niſi verberibus compulſi, tutius eſſe rati, apud Lothophagos ſubſiſtere, quam tot erroribus atque periculis in mari quotidie cum Vlyſſe jactari. Eſt & veteribus celebrata in Numis ipſis paſſim obuia *Lothus Ægyptia* deſcripta *Dioſc.* L. IV. c. 114. *Plin.* L. XIII. c. 17. quam prætereo, quia planè non eſt credibile, intuliſſe Gileaditas mercatores Ægypto plantam huic Regioni familiarem, in fluminibus obuiam, imo Ægypto propriam. Multo minus huc pertinent *Loti* aliæ in ſcriptis Botanicorum obuiæ. Ut tandem quid te *Lot* ſentiendum ſit, plane hæream, primam omnium de *Stacte* ſententiam reliquis præferens, donec certiora fuerim edoctus, licet & hujus vix aliam videam rationem, quam quæ nititur veterum interpretum autoritate. Placet certe magis quam נתמא *Terebinthus*, quam habet Syrus & שאהלוט *Caſtaneæ*, quas Arabs. Interim Fig. VI. exhibet *Lotum*, & Fig. VII. Sacerdotem *Ægyptum* ſeu Iſiacum cum Loto in capite, ſubligaculo Sacerdotibus illis familiari, *candido nempe linteamine cincto pectorali ad usque veſtigia ſtrictim injecto.* Apulej. L. XI. *Metam.* cum florum aut fructuum primitiis, & Anſeribus Iſidi ſacris, quam ex *Bellonio* Diſſ. IV. *de Præſtantia & Vſu Numiſm.* pag. 266. inſeruit Illuſtris *Spanhemius.* Ad marginem quoque viſuntur Numismata quæ-

RPJCB



GENESIS Cap. XLI. v. 5-7. 22-27.
Pharaonis Somnium.

I. Büch Moſis Cap. XLI. v. 5.-7. 22.-27.
Pharaons Traüm.

M. Tyroff sculpsit.

uædam Ægyptiaca Loti Florem exhibentia. 'empe a. ab uno latere ſiſtit Harpocratem igitum ori admoventem, & Flori Loti inſientem, ab altera Iſidem Oro admouentem bera b. Iſidis Caput Hydriæ impoſitum cum Loti ornamento. c. Duos Dracones aut Serpentes, quorum alter mammoſus Iſidem, alter Oſiridem adumbrat cum fructu & flore Loti in capite.

TAB. CIV.

Geneſ. Cap. XLI. verſ. 5. 6. 7. 22. 23. 24. 26. 27.

.urſum vero dormiens ſomniauit ſecundo, ſeptem ſpicæ pullulabant in culmo uno, plenæ quidem & bonæ.	Rurſum dormiuit, & vidit alterum ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno, plenæ atque formoſæ.
.t rurſus ſeptem ſpicæ tenues, & Euro exhauſtæ germinabant poſt illas.	Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ uredine oriebantur.
)euorabantque ſpicæ tenuiores ſeptem ſpicas craſſas & plenas. Euigilauitque Pharao, & ecce ſomnium erat.	Deuorantes omnem priorum pulchritudinem: Euigilans Pharao poſt quietem.
.t euigilans rurſus vidi per ſomnium meum ſpicas pullulantes, ex uno culmo plenas & pulchras.	Euigilans rurſus ſopore depreſſus. Vidi ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ.
'uerunt rurſus aliæ ſeptem ſpicæ exiccatæ, tenues & Euro exhauſtæ, quæ pullularunt poſt priores.	Aliæ quoque ſeptem tenues & percuſſæ uredine oriebantur é ſtipula.
)euoraueruntque ſpicæ illæ tenues ſeptem ſpicas bonas —	Quæ priorum pulchritudinem devorauerunt.
eptem vaccæ elegantes ſunt ſeptem anni & ſeptem ſpicæ bonæ itidem ſeptem anni ſunt: unum idemque eſt ſomnium.	Septem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt, eandemque vim ſomnii comprehendunt.
'eptem ergo vaccæ macilentæ & tenues, quæ poſt priores aſcenderunt, ſeptem ſunt anni, & ſeptem ſpicæ vacuæ & Euro exhauſtæ etiam ſeptem anni ſunt famis.	Septem quoque boues tenues atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues & vento urente percuſſæ: ſeptem anni venturæ ſunt famis.

EX eodem grano Terræ dato plurimos ſurgere, imo ad 50. 100. culmos, quorum ſinguli ſpicam geſtent, nil hodie noui. Non opus niſi profundiori ſeminis ſub Terra ſitu. Oſtendunt hoc artificium, & rationes detegunt, qui hodie Frumenti multiplicationi ſeſe applicant. Sed rarum id, & pene monſtroſum ex uno culmo prodire ſeptem ſpicas. Occurrunt nihilominus & hujus luxuriationis exempla, ſed rariora. Talem *Auenæ* culmum vidimus A. 1692. Leimbaci in Agro Tigurino luxuriantem 220. locuſtis onuſtum. Fig. I. ſiſtit ſpicam *Tritici* 15. ariſtarum ex *Hermanni Maslographia* p. 246. quod diſtingui debet à peculiari ſpecie *Triticum* dicta *multiplicispica*. C. B.

Spicæ tenues & *Euro arefactæ* meo quidem judicio optime poſſunt per *Uſtilaginem* explicari, in ſpecie in *ſecali* obuiam, quod ita degenerans, ſi in grana tumidiora excreſcat, nuncupatur *Secale luxurians* C. B. Pin. 23. aliis *Secale temulentum*, *claui ſiliginis* Lonicero, Gallis *blé cornu*, *Ergot*. Talem Spicam luxuriantem ſiſtit Fig. II. Hujusmodi Uſtilago ſeu ſimplex granis vacua, pulverulenta ſeu in grana tumidiora excreſcens, vel ſola ſpecie externa colore ſcilicet atro mortis terribilem quandam ideam exhibet, ſed & interno uſu ſanioribus granis mixta venenatos, gangræna præeunte, effectus. Tribuitur autem degener hoc ſecale conſtitutioni aeris nebuloſæ, humidæ nimis, vel etiam inſidenti ſpicis melleo rori, & inſecuto æſtui; heic ſi ſpicæ tenues Uſtilago fuerint, Euro in Orientalibus Regionibus, inprimis Ægypto ex Arabia ſpiranti, arefacienti, & veluti adurenti. Vocantur hæ ſpicæ Græcis uno verbo ἀνεμόφθοροι, a vento corruptæ.

Attentionem ſingularem meretur Ventus קָדִים *Kadim*, qui urentem vim exſeruit in ſpicas a Pharaone in ſomnio viſas. *Eurum* nos vertimus cum Interpretibus tantum non omnibus. Multus eſt *Bochartus Hieroz.* P. II. L. I. c. 15. in Hiſtoria Coturnicum Moſis, ut oſtendat, ventum hunc eſſe potius *auſtralem*, quam vere Orientalem, ſed quidem ſub ſe comprehendere orientalem. Sane antiqui Philoſophi ac Medici, præcipué *Ariſtoteles* & *Theophraſtus* τὰ βόρεια ſolum & τὰ νότια nominant, ubi ventos deſcribunt, nusquam τὰ ἑσπέρια aut τὰ ἑῷα. Ille Lib. II. Meteor. c. 6. octo quidem principales Ventos nominat, ſed *univerſaliter horum alios eſſe boreales*, *alios vocari Auſtrales*. Ventos occidentales tanquam frigidiores Boreæ apponi, & Auſtro orientales, utpote calidiores. Huic Vento קדים Scriptura Sacra paſſim vim tribuit exiccantem & urentem Exod. XIV. 21. XVII. 10. XIX. 12. Hoſ. XIII. 15. Hinc eſt quod Græci nuspiam εὖρον vocent, ſed Νότον vel Καύσωνα, *Auſtrum & Ventum urentem*. *Theodoretus* quoque *Quæſt.* VIII. *in Gen.* Eurum & Auſtrum confert ut ventos ſimiles, quoad effectum. Situm Ægypti ſi ſpectemus, calidus eſt uterque ventus, Orientalis ex Arabia, & Auſter, ſeu Africus, ex Afria ſpirans, licet ille humidior in tranſitu ſuo per Mare rubrum Ægypto vaporum ingentem ſatis copiam aduehens.

Quodſi conjectare liceat (& cur non liceret, ſi licet & aliis) eſſe hos ipſos Ventos *Kadim*, mutata media litera *Campſim* hodieque Ægyptiis cognitos, & toti Regioni funeſtos, imo fere peſtiferos. De origine hujus vocis variant conjecturæ: Ægyptiis hoc nomen numerum ſignat quinguagenarium, hinc aliqui Ventos illos Campſim vocant, quia interrupte diebus 50. ſpirare ſolent à Feſto Reſurrectionis feré usque ad feſtum Aſcenſionis: alii ex morte *Campſi* multarum copiarum Ducis, quem immodica arenarum copia, ventis aſportata, cum toto Exercitu in Africæ deſerto ſuffocauerat, quod in Vita Alexandri M. legitur. De ventis ipſis Campſim, ut horum conuenientia cum noſtris Kadim innoteſcat, hæc legi apud Alpin. Medic. Ægypt. L. I. c. 7. *Euri Auſtrique Venti* Campſim *à meridie loca arenoſa*, *ſummoque calore inflammata*, *tranſeuntes*, *atque in Ægyptum ſpirantes*, *tantum caloris*, *æſtus*, *pulverumque & inflammatarum arenarum euehunt*, *ut ignitas flammas*, *nec non pulveribus obſcuriſſimas nubes eò aſportaſſe videantur. Pulvis ille vel arena copioſa ventis tum aſportata, tum ex ſolo Ægypti ventis arrepta atque per Aerem agitata*, *non minus quam Aer ſuo calore corpora lædit atque offendit*, *oculosque maxime*, *quos mordet & inflammat — Hi venti interrupté ac inconſtanter quandoque tribus*, *quandoque quinque*, *aliquando etiam ſeptem ac novem diebus ſpirant. Ipſosque Charonios vocare poſſe*, *quod quaſi à Charonte procedant*, *ſemper plurimos lethales morbos ipſis aſportantes. Quo tempore multas peſtiferas febres atque phrenitides*, *homines non diebus ſed horis paucis perdentes*, *ſæuiſſimasque quamplurimas ophtalmias ibi vagari obſeruaui. Corpora omnia ab his languida redduntur*, *ut feré cibos abhorrere videantur*, *inextinguibilique ſiti continue ardeant.*

In ſomniis ordinariis ut plurimum ſiſtunt ſe ideæ rerum, quas ante verſauimus, vel redeunt, quæ cogitavimus interdiu, aut vidimus, aut peregimus, juxta illud:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Heic vero, in Pharaonis ſomniis occurrunt de quibus nemo cogitaſſet unquam. Eſt bouis, Nili, ſpicæ idea paſſim obvia, ſed bouem à boue, pinguem à macro deuorari, ſpicam à tenui & exuſta, abſorberi, nemini facile veniet in mentem. Naturalius longe eſt ex duplici *Pharaonis* conflatum *Archelai* Regis ſomnium, qui *Joſepho* teſte ſub finem Lib. XVII. vidit decem ſpicas maturas & tritico plenas à bobus abſumi. Quod Simon Eſſæus ὀνειρομάντης explicuit de Archelai morte poſt decennium ſecutura, & rerum mutatione, quia bos terram ſubvertit.

Tab.

RPJCB



GENESIS Cap. XLIII. v. 10.
Batnim et Schekedim, Terebinthus.

I. Buch Moſis Cap. XLIII. v. 10.
Terpentin = und Mandel = Baum.

I. A. Delsenbach sculp.

TAB. CV.

Geneſ. Cap. XLIII. verſ. 10. al. 11.

Et dixit ad eos Iſrael Pater eorum, ſiquidem omnino ita fieri oportet, facite hoc & accipite de nobiliſſimis (fructibus) terræ in vaſa veſtra, & deferte Viro illi munus, paullulum reſinæ, aromata & (a) Stacten, (b) juglandes & amygdala.

(a) Quidam pro ſtacte balſamum legunt, quidam lotum.
(b) Batnim quidam nuces, quidam pineas interpretantur, quidam poma palmarum.

Iſrael Pater eorum dixit ad eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis: ſumite de optimis terræ (fructibus) in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes & terebinthi, & amygdalarum.

Altera hæc eſt *Jacobi*, fame preſſi filiorum, & omnium quidem, ex Canaane ad *Joſephum* miſſio, qui ne ἀσύμβολοι venirent, Proregi afferre debebant מִזִּמְרַת הָאָרֶץ de *cantatione*, le *laudatione terræ*, Græci: ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς ῆς, de *fructibus Terræ*, Onkelos *de optimis Ter-æ*, Syrus de *bonitate Terræ*, nobis, *de nobiliſ-mis (fructibus) Terræ*. Mos nimirum & olim rat in oriente, & nunc eſt, ad magnates & eges non accedere niſi donariis, quæ debe-ant eſſe patria, non Ægyptia, optima ex Ca-aanitide quæque, non exotica.

Enumerantur ordine munera. De צרי *Zari*, נכאו *Necoth*, & לוט *Lot* egimus ſupra ad Gen. XXXVII. 25. ſequitur דְּבַשׁ *Mel*: ſed cur hoc? iliſſima hodie merces? quod hodie Saccha-um, id olim Mel, appoſitum inter Regum Magnatum dapes. Sic Regi Dauidi, cum ſſet in Mahanaim oppido, Mel obtulere vi-ini Nobiles 2. Sam. XVII. 29. Salomon. Cant. V. 1. *Comede fauos cum melle meo.* *Hecame-les Neſtori & Patroclo* in Conuiuio appoſuit έλι χλωρὸν, *mel flauum, mel recens.* *Homer.* liad. λ. V. 630. *Suetonius de Nerone* c. 27. *ndicebat & familiaribus cœnas, quarum uni nellita quadrageſies ſeſtertium conſtiterunt*, id ſt 100000. aureorum, ex Budæi ſupputa-ione. Laudatiſſimam autem fuiſſe Canaa-em ex melle quis ignorat? Apud Joſephum L. V. de Bello c. 4. Hierichuntini agri laudum æc una, quod eſt μελιττοτρόφος ἡ χώρα, *apibus lendis apta regio.* Deferebatur mel é Judæa n alias regiones, ad Tyriorum nundinas Ezech. XXVII. 17. hinc in Ægyptum, quam-is & ipſa Ægyptus melle abundaſſe legatur Num. XVI. 13. quod vel fuit agreſte, vel mali aporis. Ita in Europa præ aliis celebratur Mel ex *Prouincia* Galliæ & *Linguedocia*, inprimis *Narbonnenſe*, le *Miel de Corbiere*, in Heluetia Abbatis cellarum. Eſt autem Mel pretioſiſſimus liquor, veluti omnium florum quinta Eſſentia, ab Apibus ſumma induſtria ex floribus Plantarum collecta, & in aluearia deportata. Eſtque triplicis feré generis Mel venale in Europa. 1. album ſine igne extractum, ſponte fluens ex aluearibus, Virgineum aliis. 2. etiam album, ſed ope Torcularis expreſſum. 3. flauum, ignis ope excoctum, dehinc expreſſum, de quibus vi. Pomet. Hiſt. des Drog. L. I. c. 24.

Sequuntur בָּטְנִים *Batnim*, de quibus dubii admodum ſunt Interpretes: Græci reddunt τερέβινθον *Terebinthum*; *Onkelos*, *Syrus* & *Arabs*, quia ſenſum ignorabant, retinent vocem; alii intelligunt *Perſica*, alii *Nuces*: nos *Juglandes*, in Gloſſis marginalibus, *pineas* & *poma palmarum*: *Pineas* habent plerique Rabbini, alii *Auellanas*. *Terebinthus* ſi eſt, quod Græci volunt, Vulgata, *Salmaſius* in *Hyle Jatrica*, *Heidegger. in Hiſtor. Joſephi Exerc.* Sect. IV. Th. 18. erit ex ejus ſpeciebus *Terebinthus Indica major fructu rotundo* J. *Bauhin. Hiſt. Plant.* L. III. c. 19. cujus nuculæ in oriente Piſtaciis præferuntur, hodieque Arabibus vocantur *Bodin*, Perſis *Terbaik*, *Botinquibir*. Arbor juxta *Theopraſtum* IV. Hiſt. 5. alteri Terebintho ſimilis, cujus folia, rami, & reliqua omnia Terebintho ſimilia, fructus autem diuerſus, ſimilis Amygdalis præſtantior. *Piſtacia peregrina fructu majore Piſtaciis ſimili eduli C. B. Pin. 400.* Poſſet & huc trahi *Terebinthus* vulgaris C. B. cui noſtrum בטנים & Arabum *Botin* quoque tribuit *Joh. Bauhin*: *Arbor maxima ex parte fruticans, ramis longis, raris, cinereo cortice tectis, nec frondis ſuæ per hyemem tenax. Flores è ramorum tuberculis copioſos in longo racemo producit, meris ſta-*

mineis fibris, purpuraſcentibus contextos. Folia in alam ſe explicant, quanquam non ſemper æquali ſitu, Laurinis ſimilia, ſed magis obtuſa, conjugatim ut in ſorbo naſcentia, ſubrubentia, quæ crebris obliquis neruulis percurruntur. Fructus parui ex rotundo oblongi, rubentes, Carpobalſamo Officinarum penè ſimilis, reſinoſo lentore viſcidi, nucleum continentes. Hujus Reſinam pro צֳרִי hujusdem Textus habet *Lonicerus.* Pro Terebintho militat porro præter edulitatem fructus, veteribus cognitum etymon Vocis בטן venter, Arab. *beten*, ſunt enim Terebinthi grana in rotunditate quadantenus concaua. Addit *Bochart. Geogr.* S. L. I. c. 10. pro *Piſtaciis*, quæ eadem ſunt cum Terebintho, eſſe fructus laudatiſſimos, nuces ſtomacho gratas & amicas, contra venena & ſerpentum ictus validas, ſapore Amygdalis præferendas, Perſis regias, nam his βιςαξ (βιςάκια enim ſcribunt *Poſidonius*, Athenæus, Suidas) Rex fructus Judææ & Syriæ peculiares; à quibus denominatæ duæ urbes, una in tribu Gad. Joſ. XIII. 26. altera in Aſer Joſ. XIX. 25. Quæ tamen argumenta diluit *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 225. Interim in gratiam Τερεβινθοφίλων ſiſto Terebinthi illius Orientalis, quam ſupra nominaui, Iconem Fig. I. Laudatus modo *Hillerus* fauet *Auellanis*, ſed majoribus illis, nempe *Coryli ſatiuæ fructu rotundo maximo* C. B. item *Coryli ſatiuæ fructu oblongo rubente C. B.* à quibus, non à Piſtaciis, urbes illæ Judææ denominatæ, & aſſentientes habet *AbenEſram*, R. *Nathanem*, *Dauidem de Pomis*, *Mercerum*, *Munſterum*, *Pagninum*, *Ariam Montanum.*

שְׁקֵדִים ſunt ex omnium Interpretum conſenſu *Amygdalæ*, quæ ex Canaanitide omnibus Orientalibus aliis præſtant, ut optimas in Europa dat Comitatus Viſcantinus Galliæ, περίχωρος Avenionenſis, Prouincia item & Linguedocia Fig. II.

TAB. CVI.

Geneſ. Cap. XLIII. 29. al. 30.

Feſtinauitque Joſeph (incaluerunt enim viſcera ejus erga fratrem ſuum) & quæſiuit, ut fleret, ingreſſusque penetrale, fleuit ibi.

Feſtinauitque in domum, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit.

Geneſ. Cap. XLV. verſ. 2. 3. 14. 15.

Emittebatque vocem ſuam cum fletu, & audierunt hoc Ægyptii, audiit quoque domus Pharaonis.

Et dixit Joſeph ad fratres ſuos: Ego ſum Joſeph, viuitque adhuc Pater veſter? Et non poterant fratres ſui ei reſpondere, adeo terrore erant obſtupefacti coram illo.

Et ruit in collum Benjamin, fleuitque ſuper collum ejus: ſed & Benjamin fleuit ſuper collum illius.

Et oſculans omnes fratres ſuos, fleuit ſuper eos, & poſtea loquuti ſunt fratres ejus cum eo.

Eleuauitque vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis.

Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Joſeph, adhuc Pater meus viuit? (Nec) poterant reſpondere fratres, nimio terrore perterriti.

Cumque amplexatus cecidiſſet in collum Ben-jamin fratris ſui fleuit: illo quoque ſimiliter flente ſuper collum ejus.

Oſculatusque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & plorauit ſuper ſingulos: poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum.



GENESIS Cap.XLIII.v.29. Cap.XLV.v.2.3.14.15.
Iosephus fratribus manifestatus.

I. Buch Moſ. Cap.XLIII.v.29. Cap.XLV.v.2.3.14.15.
Der ſeinen Brüdern offenbahrte Joſeph.

H. Sperling sculp.

RPJCB

LAchrymas videmus effuſas ex gaudio & tenerâ Animi commotione, quas exprimit aliàs mœror. En Paſſionum oppoſitarum eundem effectum! Flet Pro-Rex imprimis ex conſpectu fratris unici Benjaminis. Admiratur Diuini Numinis optimam & ſapientiſſimam Prouidentiam, & flet; flet memor ante ſecum actorum. Animo ſiſtunt ſeſe ſimul & ſemel Pater optimus, abſens, adhuc in viuis, fratres, nullo excepto, omnes, ſomnia quæ puer habuit, miſera captiuitas terminata in Regium ſplendorem. Incaleſcunt viſcera, irruunt Spiritus in Cor: Expellitur cordis thalamo ſanguis ſolito majori impetu in Arterias, erubeſcit inde facies, promouentur omnes ſecretiones; Glandulis, tum Innominata, tum Lachrymali exprimitur veluti é ſpongia Lympha lachrymalis, & oculos inundat, quæ, quia per puncta lachrymalia non deferri poteſt omnis, per genas defluit. Imo vero fluunt ante Lachrymæ, quam ad Cor delatus eſt nuntius, commotis neruis oculorum motui deſtinatis, Pathetico inprimis, in tranſitu ipſo ex Cerebro in Cerebellum. En proin duplicem Lachrymarum fontem, unum in Confiniis Cerebri & Cerebelli, alterum in corde.

Diu, quod ex ſerie integra Hiſtoriæ patet, continuerat ſe Pro-Rex, ut non compareret Joſephus in oculis fratrum. Diſſimulatio erat coacta, in Aulis frequentiſſime obuia, ut heic in malum ſæpe, ibi in optimum finem. Diutius autem ſeſe continere non poterat, nec volebat. Ex abundantia cordis os loquitur, & iterum flent oculi, *emittebat vocem ſuam cum fletu*, dum ſeſe cognoſcendum dedit fratribus, flet Pro-Rex Joſephus, ruens in collum Benjaminis, flet oſculans omnes fratres ſuos, ſed flet quoque Benjamin ſuper collum fratris ſui, tenero præ aliis gaudens Neruorum Syſtemate.

Sed quid Fratres? qui non fleuiſſe leguntur, nec flere forſan poterant. Sane *non poterant ei reſpondere, adeo terrore erant obſtupefacti coram illo*; Hactenus quidem *Terrore* fere continuo erant obſeſſi eorum animi, ut ne paſſum quidem in Ægypto progreſſi fuerint absque metu. Iratum videbant ProRegem, in cujus manibus vita eorum periclitabatur: videbant ſeſe accuſatos furti, & excuſationi locus haud erat, nedum purgationi: mentibus inhæſerat optimo Patri facta ſtipulatio, Judæ inprimis, de dilectiſſimi Benjaminis ſaluo certoque reditu, quo promiſſo ſtare non poterant. Nunc derepente nouum aperitur Theatrum. Quem exiſtimabant dudum mortuum, turpiſſimé olim venditum, Fratrem, nunc vident Proregem: inexorabilem Judicem vident ſubitò mutatum in optimum Fratrem, ſeueriſſimum Dominum in Protectorem. Admiratio nunc ſubit, imo conſternatio Advenarum mentes; ſiſtuntur attonitæ & conglaciatæ veluti, ideæ, Patris domi ſuæ anxii, Poregis, Joſephi, criminis atri olim commiſſi, & nuper imputati, pœnæ indictæ, inexpectatæ prorſus liberationis: ſtant inter terrorem & gaudium medii prorſus. Obſtupefacti reſpondere non poterant, quin ne quidem cogitare.

In margine viuam en! imaginem gaudentis ſimul & flentis, admirantis, obſtupefacti, Terrore compulſi! Sed quoque

Fig. I. oculum ſiniſtrum, in quo A. glandula Innominata. d e. d e vaſa lachrymalia, prout ab extra conſpici poſſunt.

bb. Bina puncta lachrymalia, quæ lympham lacrymalem per ductum c f. ad Nares deuehunt.

Fig. II. A. interiorem palpebræ ſuperficiem, per quam ſeſe exonerant b e d. b e d. vaſa lacrymalia.

TAB.

TAB. CVII.

Geneſ. Cap. XLVI. verſ. 8-27.

Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſrael, qui venerunt in Ægyptum, Jacob cum filiis ſuis, primogenitus Jacob, Ruben.

Filii vero Ruben, Hanoch, Phallu, Hezron & Charmi.

Filii Simeon, Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin atque Zohar, & Saul, filius Chanaanitidis.

Filii Leui, Gerſon, Kahat & Merari.

Filii Jehuda, Er, Onan, Sela, Perez atque Zerah. Mortuus vero eſt Er & Onan in Terra Chanaan. Filii Perez fuerunt Hezron atque Hamul.

Porro Filii Iſaſchar Thola, Phua, Job & Simron.

Filii vero Zebulon, Sered, Elon, & Jachleel.

Hi filii Leæ, quos genuit ipſi Jacob in Padan Aram, una cum Dina filia ſua, omnes animæ filiorum ejus & filiarum ejus triginta tres.

Filii autem Gad, Ziphion, Haggi, Suni & Ebzon, Eri & Arodi atque Areli.

Filii Aſer, Jimna, Jiſua, Jiſui & Bria, atque Sera ſoror eorum. Filii autem Bria, Heber & Malkiel.

Iſti filii Zilpa, quam dedit Laban Leæ filiæ ſuæ, peperitque iſtos ipſi Jacob, ſedecim nempe animæ.

Filii Rahel, uxoris Jacob erant, Joſeph & Benjamin.

Natique ſunt ipſi Joſeph in Terra Ægypti Manaſſes & Ephraim, quos peperit ei Aſnath filia Potipharis Sacerdotis in On.

Filii Benjamin, Bela, Becher, Asbel, Gera, Naaman, Eri & Roſch, Muppim, Huppim & Ard.

Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum, ipſe cum liberis ſuis. Primogenitus Ruben.

Filii Ruben: Henoch & Phallu & Heſron & Charmi.

Filii Simeon: Jamuel & Jamin, & Ahod & Jachin & Sohar, & Saul, filius Chanaanitidis.

Filii Leui: Gerſon, & Cahat, & Merari.

Filii Juda: Her & Onan & Sela, & Phares & Zarah: mortui ſunt autem Her & Onan in terra Canaan: natique ſunt filii Phares, Heſron & Hamul.

Filii Iſſachar: Thola & Phua & Job & Simeron.

Filii Zabulon: Sared & Elon & Jahehel.

Hi filii Liæ, quos genuit in Meſopotamia Syriæ, cum Dina filia ſua: omnes animæ filiorum ejus & filiarum triginta tres.

Filii Gad: Sephon & Aggi, & Eſebon & Suni, & Heri, & Arodi, & Areli.

Filii Aſer: Jamna & Jeſua & Jeſſui & Beria. Sara quoque ſoror eorum. Filii Beria Heber & Melchiel.

Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ: & hos genuit Jacob, ſedecim animas.

Filii Rachel, uxoris Jacob: Joſeph & Benjamin.

Natique ſunt Joſeph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aſeneth, filia Phutipharis, Sacerdotis Heliopoleos: Manaſſes & Ephraim.

Filii Benjamin, Bela & Bechor & Aſbel & Gera & Naaman & Echi, & Mophim, & Ophim & Ared.

Hi



GENESIS Cap. XLVI. v. 8. 27.
Genealogia Iacobi.

I. Buch Moſis Cap. XLVI. v. 8. 27.
Jacobs Geſchlecht Regiſter.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

Hi filii Rahel, quos peperit ipſi Jacob, omnes animæ quatuordecim.
Filii Dan, Huſim.
Filii Naphtali, Jachzeel, Guni, Jezer & Sillem.
Hi filii Bilha, quam dedit Laban Raheli filiæ ſuæ, peperitque iſtos Jacob, omnes animæ ſeptem.
Itaque omnes animæ, quæ venerunt cum Jacob in Ægyptum, egreſſæ de fœmore ejus (præter uxores filiorum Jacob) omnes inquam Animæ ſunt ſexaginta ſex.
Filii vero Joſeph, qui nati ſunt ei in Ægypto, duæ animæ. Omnes itaque animæ domus Jacob, quæ venerunt in Ægyptum ſunt ſeptuaginta.

Hi filii Rachel, quos genuit Jacob, omnes animæ quatuordecim.
Filii Dan: Huſim.
Filii Nephtali: Jaſiel & Guni & Jeſer & Sallem.
Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ ſuæ, & hos genuit Jacob: omnes animæ ſeptem.
Cunctæque animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus: Sexaginta ſex.
Filii autem Joſeph, qui nati ſunt ei in terra Ægypti, animæ duæ: Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.

Actor. Cap. 7. verſ. 14.

Ἀποςείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτȣ̃ Ἰακὼβ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτȣ̃ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε.

Mittens autem Joſeph, accerſiuit Jacob patrem ſuum & omnem cognationem in animabus ſeptuaginta quinque.

OCcurrunt in Jacobi Patriarchæ Genealogia ἐναντιοφανίαι, quæ Arithmeticum poſtulant. v. 26. dicuntur *omnes animæ egreſſæ de fœmore Jacobi* 66. & v. 27. *omnes animæ domus Jacob, quæ venerunt in Ægyptum* 70. Ubi non memoratur *Jacobus*, qui ſane é fœmore proprio egreſſus non eſt. Illis 66. igitur ſi addas Jacobum, ſtemmatis principem, & Joſephum cum duobus filiis, prodibunt 70. Hi non quidem deſcenderunt unà cum Jacobo in Ægyptum, ſed pertinent tamen ad familiam Jacobi. Ita Deut. X. ult. *Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum.* Et Exod. I. 5. *Erant omnes animæ egreſſæ é femore Jacobi ſeptuaginta animæ*, ubi connumeratur ipſe Jacobus, connumerantur & Joſephi duo filii, qui proprie non deſcenderunt, ingreſſi tamen dicuntur, & egreſſi, quia vivente Jacobo nati erant in Ægypto. Quod ipſum de filiis Benjaminis intelligunt nonnulli, credibile non putantes, 10. illos, v. 11. numeratos in Terra Canaan natos eſſe, cum Benjamin in Ægyptum deſcendens vix 23. annos impleuerit: Filii item duo Pharez, nepotes Judæ, nempe Heſron & Hamul, etſi nondum nati, cum Jacobus deſcenderet in Ægyptum, ſuppleturi locum Her & Onan, mortuorum in terra Canaan v. 12. Hæc *Heidegger de Jacobi* μετοικεσία *in Ægyptum* Th. 6.

Sed quomodo conciliandus Moſes cum Moſe? Hebraicus textus, qui 70. animas habet cum Græco τῶν LXX. qui habet 75? quomodo Moſes cum Stephano, qui etiam numerat animas 75. Act. VII. 14? LXX. quod attinet, adjecerunt hi poſt v. 20. nomina nepotum & pronepotum Joſephi, Machir, Galaad, Sutalaam, Taham & Edem ex 1. Chron. VII. 14. 20. Sed ſunt argumenta, quibus oſtendi poteſt, Græcos in hoc calculo ſibi parum conſtitiſſe, quibus ſuperſedemus. Majori nos premere difficultate videtur Stephanus & Lucas θεόπνευςος. Heic *Hieronymus Quæſt. Ebr. Eugubinus*, alii, dicunt, Lucam uſum vel abuſum fuiſſe LXX: virali, inter gentes, ad quas ſcribebat, recepta. Id quod virum utrumque θεόπνευςον non ſatis ab errore vindicaret. Apud *Bezam Cornelius Bertramus* vult, Librarios heic ex ἑβδομήκοντα πάντες feciſſe ἑβδομήκοντα πέντε, & *Jacob. Capellus* ἐκ πάντως. Quæ nodi ſectio, non ſolutio, haud arridet Codicis Sacri defenſoribus, deficiente Codicum teſtimonio. *Hei-*

deggerus noſter *Exerc. cit.* Th. 9. cum quibusdam aliis prætendit, Stephanum & Lucam totius συγγενείας ſeu cognationis Jacobi ſingula capita, prout in recenſione Moſis extant, unam in ſummam contrahere, comprehenſis etiam 4. Jacobi uxoribus, & 2. Judæ filiis, quos in terra Canaan DEVS extinxerat, expunſto interim ipſo Jacobo.

Placet conciliatio alia, quæ extat dans les *Memoires de Trevoux* A. 1715. p. 1173. ubi Autor triplicem habet numerationem Familiæ Jacobi.

I. Duodecim Filios Jacobi cum horum filiis & nepotibus

Ruben cum Filiis 4. - - - - - -	5
Simeon cum filiis 6. - - - - - -	7
Leui cum filiis 3. - - - - -	4
Juda cum filiis & nepotibus 7. - - - -	8
Iſaschar cum filiis 4. - - - - -	5
Sebulon cum filiis 3. - - - - -	4
Summa filiorum ex Jacobo & Lea - - -	33
Gad cum filiis 7. - - - - - - -	8
Aſer cum filiis & nepotibus 7. - - - -	8
Summa filiorum ex Jacobo & Silpa - -	16
Joſeph cum filiis 2. - - - - - - -	3
Benjamin cum 10. filiis - - - - - - -	11
Summa filiorum Jacobi & Rahelis - - -	14
Dan cum filio - - - - - - -	2
Naphtali cum 4. filiis - - - - -	5
Summa filiorum ex Jacobo & Bilha - -	7
Svmma omnium - - - -	70.

Ubi notandum:

1. Jacobum Familiæ caput hoc numero non eſſe incluſum, id quod patet ex Phraſeologia Hiſtorici v. 15. 18. 22. 25. *Hi Filii Lea-Silpa-Rahel-Bilha.*

2. Er & Onan ex filiis Juda connumerari debere, nam abſque his non obtinemus ſummam 33. filiorum ex Lea. Ad Genealogiam, quam memoriæ tradere volebat Moſes, pertinent æque, licet in Terra Canaan fuerint mortui, ac Joſephus cum ſuis filiis, qui etiam cum Jacobo non ſunt ingreſſi in Ægyptum.

3. Liberis 33. Leæ non adnumerari debet Dina filia, nam ſic prodirent Er & Onam excluſis duntaxat 32. incluſis 34. attamen numeranda inter perſonas cum Jacobo Ægyptum ingreſſas v. 33.

II. Connumeratio extat v. 26. ubi ponuntur animæ 66. cum Jacobo Ægyptum ingreſſæ. Heic à 70. ſubtrahendi veniunt Er & Onan, mortui in Canaan, Joſephus item cum binis filiis. His 5. à 70. ſubtractis habebimus 65. & Dina addita 66.

III. Connumeratio dat 70. & comprehendit familiam integram, prouti ea fuit, Jacobo Ægyptum ingreſſo: addi nempe prioribus 66. debent Jacobus, Joſephus cum duobus filiis. Ita explicanda Loca Exod. I. 5. Deut. X. 22.

IV. Quod attinet denique 75. animas Act. VII. 14. conſtat ex Textu ipſo, intelligi debere συγγένειαν τȣ̃ Ἰωσὴφ & connumerari nec Jacobum, nominatum ante, nec Joſephum cum binis filiis, de quibus dici non poteſt, quod à Joſepho fuerint aduocati in Ægyptum, neque etiam Dinam, a qua certe non deſcenderant Judæi, quos Stephanus fuerat adlocutus. Ut autem obtineamus haſce 75. animas, à 70. animabus ſubtrahendi veniunt Er, Onan, Joſephus cum 2. filiis, ſic reſtant 65. His adde uxores 10. Patriarcharum (nam Judæ uxor mortua in terra Canaan Gen. XXXVIII. 12.) quæ à Moſe excluduntur numero τῶν 70. quod patet ex v. 26. Sic habebis 75.

RPJCB



GENESIS Cap. XLIX. v. 6.
Sichemitæ cæſi, Boves ſubnervati.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 6.
Sichemiten-Mord u. Ochſen-Lähmung.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB



GENESIS Cap. XLIX. v. 9.
Leones Iudæ.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 9.
Die Löwen Juda.

G. D. Heüman sculp.

TAB. CVIII.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 5.

— — In furore ſuo occiderunt virum, & pro libidine ſua ſuffoderunt (a) murum.

(a) Poteſt etiam legi: ſubneruarunt taurum.

— — In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.

NOn conuenimus nos Tigurini nobismet ipſis, niſi Latinæ Gloſſam marginalem ſelegeris pro Textu, qui pro שור *Schor* murum habet, ſecuta *Vulgatum*, *Syrum*, *Arabes*, *Jonathanem*, *Onkelos*, *Aben-Ezram*, *Pomarium*, *Aquinatem*. Ita & é Græcis Autor veteris ſcholii ad h. l. ἐξερρίζωσαν τεῖχος. Sed שור *Schor* eſt *Bos*, *Taurus* : *murus* שור *Schur*. Loquitur nempe Jacobus de deprædatione Urbis Sichem, facta per Simeonem & Leui Geneſ. XXXIV. 25. in qua etiam *Boues abacti* v. 28. ſenſus igitur eſt, *ſubneruaſſe boues*, id eſt: ſuccidiſſe *chordam Achillis dictam*, qui tendo eſt, muſculis Gaſterocnemiis communis. Hinc Græci Seniores, ἐνευροκόπησαν ταῦρον. Liber fuerat filiis Jacobi aditus in urbem Sichem, ut mœniorum vel ſuffoſſione vel ſubuerſione haud fuerit opus. Omne, quod fecerant illi, fecerunt accincti gladiis. Conf. Joſ. XI. 9. ubi de *ſubneruatione Equorum*.

שור *Schor*, quod dixi eſt *Bos*, isque cujusuis ætatis & ſexus. *Vitulus* Leuit. XXII. 27. Pſalm. CVI. 19. 20. *Bos* Jam *maturus* Exod. XXI. 28. Num. XVIII. 17. Deut. XXV. 4. Job. XXI. 10. *Vacca*. Exod. XXXIV. 19. Leuit. XXII. 28. Chaldæi & Syri frequenti mutatione ש in ת ex שור fecere תור *thor*. Phœnicibus quoque *Thor*, *Bos*, Θὼρ οἱ Φοίνικες τὴν βοῦν καλοῦσι. *Plutarch.* in *Sylla*. Ægyptiis Ἀθὺρ apud *Heſychium*. Hinc Græcorum ταῦρος, Romanorum *Taurus*, Arabibus Thaur eſt mas in Boum genere. Utramque literam ש & ת aſſumſere Germani in voce Stier : Huc pertinet Turcarum & Arabum *Sewr*. Pl. *Siweret*, *Siran*, *Siret*, *Sijaret* in Meninzk. Lex. 930. 1536.

TAB. CIX.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 9.

Catulus Leonis Jehuda, de præda fili mi aſcendiſti: demiſit ſe, & accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum.

Catulus Leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum.

OCcurrunt heic primum *Leonis* diuerſa nomina, tum ætatis, tum ſexus diſtinctiua. גור eſt *Catulus Leonis*. Ita quoque Deut. XXXIII. 22. Jer. LI. 38. Ezech. XIX. 2. Nah. II. 13. Sumitur & hæc Vox de aliorum animantium, Urſi, Canis, & Thren. IV. 3. de *Cetorum* תַּנִּים catulis. Affinis quodammodo Perſarum *ghærende*, quæ vox rapaciſſimum Leonem ſignificat apud Meninzk. Lex. 3380.

אֲרִי vel אַרְיֵה *Ari*, *Arieh* Leonem notat cujusuis ætatis. Synonyma τῷ ארי affinia apud Arabes ſunt *yrs* Plur. *æras*, dual. *yrſan*, Leo mas & femina. Meninzk. Lex. 3243. *ærſam*, *ærhem*, *yrhemm*, *ærahem*; Idem 3240. 3255.

לָבִיא *Labi*, non eſt Leo annoſus, ut quidam volunt, ſed *Leæna*, ut recte nos. Copticè λαβοὶ, Arabicè *laba*, *labua*, *labia*: extant quoque alia, quæ huc pertinent Arabum ſynonyma Leænæ, *lebuet*, *lebüet*, *lübet*, *lebat*, *lübuet*, *lebiet*. Pl. *lübüat*, *lebeat*; *lübu*, *lübüü*. Meninzk. 4147. Clara hæc ſignificatio ex Ezech. XIX. 2. 3. *Mater tua leæna* לביא *inter Leones accubuit*, *& in medio Leonum educauit catulos.* Ne quis autem miretur heic & alibi Num. XXIII. 24. XXIV. 9. Deut. XXXIII. 20. Job. IV. 11.

XXXIX. 1. Pſal. LVII 5. Jeſ. V. 29. XXX. 6. Hoſ. XIII. 8. Nah. II. 11. 12. cenſeri לביא inter Leones ferociſſimos. Leonem quippe æquat vel ſuperat Leæna robore, & feritate, Animal ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον Herodot. L. III. c. 108. ἀλκιμότατον καὶ δυσμαχότατον, robuſtiſſimum & inuictiſſimum. *Ælian. Var. H.* L. XII. c. 39. ubi legitur Semiramidem non ſi Leonem, aut Pardalim, aut aliam ſimilem feram interfecerat, ſed ſi Leænam ceperat, magnopere ſe extuliſſe. Et in genere ex hujusmodi feris feminas maribus animo & robore haud quaquam cedere obſeruat *Plutarch. Tract. quod beſtiæ ratione utantur.*

Quod heic Jacobus de Juda, *accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum?* idem ferè Balaam de populo Iſraelitico Num. XXIV. 9. *Inclinauit ſe, & dormiuit ut Leo, & ut Leæna, quis excitabit eum?* fortitudinem indicat Leonis Jud. XIV. 8. Præbet & hoc fiduciæ Leoninæ ſingulare argumentum, quod ad dormiendum non ſecedat Leo in loca remota & abdita, ſed ſomnium capiat ubiuis. *Oppian. Venat.* L. III.

Accubat vel recubat communiter, in antris vel luſtris ſuis, Leo, ibique prædam colligit, qua ipſe & catuli veſcantur, vel prædae inſidiatur Jobi XXXVIII. 39. *An tu Leænæ venaberis prædam & paſtum ſufficientem exhibebis catulis Leoninis? Quum in cubilibus jacent, atque inſidiantur in luſtro?* Pſal. XVII. 12. *Ut Leo eſt, qui prædæ inhiat, & ſicut Leunculus, qui in luſtro latitat.* Pſal. CIV. 22. *In cubilia ſua* catuli Leonum *cubitum eunt.* Ezech. XIX. 2. *Mater tua Leæna inter Leones accubuit.*

Hieroglyphica *Leonis* peroptimè exprimitur generoſitas *Judæ.* Ex ea tribu Oriundi Reges. *Non recedet Sceptrum à tribu Juda* v. 10. Meſſias ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα Apoc. V. 5. *qui tanquam Leo rugiet, quando ipſe rugiet, tunc properabunt filii à mari* Hoſ. XI. 10. 11. Obſeruant Eruditi in hac Leonis & Judæ parabola gradus: *Catulus Leonis* refertur ad generoſum Judæ animum, qui apparuit Gen. XXXVII. 26. & in omni hiſtoria rerum in Ægypto actarum. *De præda fili mi aſcendiſti:* denotat incrementum Tribus Judæ, Dauidis maximè temporibus. Tertius excellentiæ gradus exprimitur his verbis: *demiſit ſe & accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum?* Sunt qui tres hos gradus in Dauide demonſtrant, alii in ſenſu ἐμφατικοτέρῳ in CHRISTO, qui *catuli Leonis* inſtar mortem & Satanam vicit & profligauit, profligata morte *ex rapina ſua aſcendit* ἀναβὰς εἰς ὕψος, ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δώματα τοῖς ἀνθρώποις. Pſal. LXVIII. 19. Epheſ. IV. 8. tandem euectus in cœlum, conſedit ad dextram magnificentiæ ſuæ, ubi dominatur adhuc in medio inimicorum ſuorum, *donec hoſtes ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum, & ipſe* tanquam Leo denuo *é Sione* ad abolendum ultimum hoſtem, Mortem, *rugiat,* & *ex Hieroſolyma vocem ſuam edat.* Pſalm. CX. 12. 1. Cor. XV. 25.

Ne cui mira videatur Leonis in Frontiſpicio poſitura: eſt dormientis ad vivum delineata.

TAB. CX.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 11. 12.

Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad (a) Sorek filius meus Aſinam ſuam. Eluet in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uuarum operimentum ſuum.	Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uuæ pallium ſuum.
(a) Alii: vitem nobiliſſimi generis.	
(b) Rubicundi oculi à vino, & dentes candidi a lacte.	Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.
(b) Alii: rubicundiores oculi vino, & dentes candidiores lacte.	

Eſt



GENESIS Cap. XLIX. v. 11. 12.
Asina Viti ligata.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 11. 12.
Die Eſelin am Weinſtock.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

EST hujus Prophetiæ ſenſus imprimis myſticus, alius potius, quam mei, fori. Non lites feram cum recutita natione, cui metaphorico plane & parabolico ſenſu *pullus* ſunt Juuenes; *Aſina* ſeniores, *Vitis* Lex, *Vinea* Synagoga, *Veſtes lotæ vino*, tribus Judæ Principes, veſtiendi purpura & coccino, quæ per vinum figurantur: *oculi vino rubicundiores*, excelſi montes vitibus & vino redundantes, *dentes lacte candidiores*, agri triticea meſſe candidi, vel greges & armenta lacte diſtenta; Et facile ſubſcribo Chriſtianis Theologis, qui omnia hæc, prælucentibus primitiuæ Eccleſiæ Patribus, *Theodoreto*, *Juſtino Martyre*, *Chryſoſtomo*, Meſſiæ CHRISTO aptant, de quo certe intelligendus eſt præcedens v. 10. *Non recedet Sceptrum de Jehuda, & legislator de pedibus ejus (dux de femore) donec veniat Schilo (qui mittendus eſt) & ad illum gentes confluent (erit expectatio gentium)* Cui Schilo tanquam ἀμπέλῳ ἀληθινῇ Joh. XV. 1. alligandus ſit *pullus* Eccleſia, imo pullus Aſinæ, ii, qui jugum Legis portarunt, *qui* Schilo *lauabit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uuarum operimentum ſuum, ſanguine proprio corpus ſuum proluit, inſtar calcantium in tortulari veniens de Edom, rubras veſtes habens de Bozra*, Jeſ. LXIII. 1. 2. *Cui rubicundiores oculi vino, & dentes candidiores lacte*, quorum verborum περίφρασις extat Apoc. I. 14. ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτȣ̃ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν ὡς χιὼν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτȣ̃ ὡς φλὸξ πυρός.

Mei fori eſt magis ſenſus literalis & naturalis: occurrit autem primo *fertilitas*, ſpecialis illius Terræ, quæ tribui Juda erat aſſignanda. *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad Sorek filius meus Aſinam ſuam.* Hebraicum שׂרק *Sorek* Græcis eſt ἕλιξ, quæ vox notat vitium viticulos, ſeu capreolos, quibus ſeſe ipſos palis alligant vites. Mira autem fuerit hæc vitium craſſitudo, ſi & jumenta capreolis alligari potuerint, ſed tamen non hyperbolica Truncorum craſſities in viniferis terris paſſim obuia. Commendantur non heic ſolum palmites *Sorek* à loco *Sorek*, ita dicti, ſed & Jeſ. V. 2. Jer. II. 21. Sane Vallis *Eſcol* ſeu botri, unde eximiæ magnitudinis unam illam attulerunt exploratores à *Sorek* non diſtabat ſupra dimidium milliare. Conſueuimus & hodie denominare vites à loco, unde in alias Terras deportantur, vel ubi creſcunt. Ita nos vites vocamus *Tigurinas*, *Volturenas*, *Clauennenſes*, *Moſellanas*.

Vinum ipſum egregia phraſi metaphorica cognominatur *Sanguis Uuæ*. Ita quoque Deut. XXXII. 14. *Sanguinem uuæ bibiſti meracum*, Sirac. XXXIX. 26. L. 15. Ita legimus in *Achille Tatio*. L. II. αἷμα βοτρύων, *ſanguinem uuarum*. *Statius* Lib. II. *Theb.*

Deſerit & pingues Bacchæo ſanguine colles.

Denominationi originem dedit haud dubie ipſe vini rubri color ſanguini ſimilis, vel etiam effectus vini in Sanguinem, forte & transmutatio facilis credita Bacchæi liquoris in vitalem Sanguinis. Ut haud opus ſit cum Ægyptiis Sacerdotibus ſtatuere, natas eſſe vites ex Gigantum profuſo ſanguine, unde vinum ipſum animoſos reddat homines, imo furioſos. Legere id eſt in *Pierii Hieroglyphicis*. De vini ipſius colore rubro, undenam oriatur, commodior dabitur alibi differendi occaſio.

Verſ. 12. Vernacula noſtra ſecuta LXX. Arabes & binos Targumiſtas vocem חַכְלִילִי dat *Schön*, Græci habent χαροποιὸς, *gratificus*, vulgatus, *pulcher*, pro qua Latina habet *rubicundus*, *oculi rubicundi à vino*, Scholiaſtes Græcus θερμοὶ, διάπυροι, φοβεροὶ, feruentes, rubentes, formidabiles, ſenſus eſt: tantum optimi Vini bibiturum Judam, ut oculi inde rubrum ſint adepturi colorem. Et ſane docet nos ipſa Experientia, Helluonibus vini non tantum faciem eſſe roſaceam, ſed quoque oculos rubicundos, feruentes, inflammatos. Ratio hujus phænomeni non eſt una. Dilatantur nimio & continuato inprimis Vini uſu, propter Aerem in Vino compreſſum, ſeſe expandentem, arteriolæ extremæ, ut totius Capitis, Cerebri, ita & Oculorum, & Tunicæ ibi albugineæ, unde & deriuari debet dolor Capitis, ſomnolentia, ſæpeque ſubitanea Apoplexia. Obſeruandum inſuper Vini exceſſum cauſari obſtructiones, ex lympha incraſſata, unde in glandulis oculorum & palpebrarum impediuntur ſecretiones, tardius procedit circulatio, labefactantur fibræ, ſæpeque, qui parum lyæi liquoris guſtarunt, euadunt hydropici. *Dentium color candidior lacte* ex Interpp. conſenſu intelligi debet de abundantia ipſius Lactis.

TAB. CXI.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 17.

Futurus eſt Dan ſerpens in via, & aſpis in ſemita, mordens calcaneos Equi, ceciditque Eques ejus retrorſum.

Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.

Clarum ex textu, eſſe שְׁפִיפֹן *Schephiphon* non ἐγκαθήμενον, ut habent Græci, nec *inſidiantem* ut Samaritani, ſed *Serpentis* genus. Sed Interpretes, ubi ad Species deſcendunt, in diverſa abeunt, nullam monſtrante viam Etymologiâ, quâ proin ſuperſedeo. Jonathan explicat *Serpentum præcipuos*. *Onkelos Aſpidem*, quem ſecuta Latina noſtra. Jeroſolymitanus & Syrus *Baſiliſcum*, *Hieronymus Ceraſten*, *Junius Acontiam* : *Schindlerus viperam*, *Caſtalio*, Itali, Angli *Colubrum*. Manet vernacula noſtra in ſignificatu generali. Lucem fœnerantur Arabes, quibus *Sipphon* & *Sapphon* eſt Serpens albo & nigro diſtinctus. Hinc omnino conjectare licet, eſſe Sipphon *Hæmorrhoum* vel *Hæmorrhoidem*, quæ apud *Aetium* & *Avicennam* Arab. T. II. 138. Lat. IV. 6. 3. 36. colore eſt arenoſo, punctis vel notis nigris & albis aſperſo, & apud *Solinum* morſu ſanguinem elicit, ſeu quicquid eſt animæ per cruorem evocat. Arridet valde *Bocharto Hieroz.* P. II. L. III. c. 12. Vulgata, quæ *Ceraſten* habet, qui ſané ut heic *Sephiphon in Semita* ita apud *Nicandrum Ther.* v. 262. latere dicitur

— — — ἐν δ' ἀμάθοισιν
Ἢ καὶ ἁματροχιῇσι παρὰ ςίβον

— — — in arenis
Aut etiam in rotarum orbitis prope viam.

Ut viatoribus inſidietur. Quod porro addit Jacobus, *mordere calcaneos Equi*, *excidereque equitem ejus retrorſum*, equo ſcilicet labante, idem fere tradit *Nicander*, potiſſimam mali vim ſeſe exſerere in poplitibus atque inguine:

Διπλόοις δ' ἐν βȣβῶσι, καὶ ἰγνύσιν ἀσκελὲς αὐτὸς
Μόχθος ἐπιτρέφεται.

Mox gravis exercet labor inguina & acriter urget
Poplitem utrumque dolor.

Eſt hic morſus & hominibus & brutis lethifer apud *Ælian.* L. XVI. c. 28. Et ejus inſidiæ haud facile devitari poſſunt, quia arenæ eſt concolor, & facile ab imprudentibus calcatur *Diodor.* L. III. c. 128. Dederunt autem Ceraſtæ nomen bina cornicula vel tubercula inſtar hordei granorum ſupra oculos, quorum meminit *Bellonius Obſ.* L. II. c. 54. quibus prætentat iter, cum oculorum uſu careat. *Plin.* L. IX. c. 32. *Hæmorrhoi* ſequens extat deſcriptio in *Raii Synopſi Quadr.* 287. *corpore eſt puſillo, pedem longo, oculis igneo quodam fulgore micantibus, cute ſplendidiſſima, dorſo multis albis & nigris notis maculato, cervice anguſta, cauda prætenui, cum corniculis ſupra oculos. Invenitur in Ægypto.* Videtur autem *Bocharto Sephiphon* & *Ceraſtæ* & *Hæmorrhoo* communis. Nam uterque eſt viperæ ſpecies, arenoſus utrique color, ſed maculoſus Hæmorrhoo, eadem utriſque longitudo, utrique cornua. Adde hoc ſingulare, quod cum cæteri Serpentes recta proſerpant, hi duo dubio greſſu ferantur, in utrumque latus titubantes, veluti ebrii, aut claudicantes, quia dorſi ſpinæ non ſunt oſſeæ, ſed cartilagineæ in utramque partem, ita flexiles, unde forſan origo nominis à שָׁפַף *claudicare.* En interim *Ceraſtæ* varias effigies. A. eſt *Grevini Aldrovand.* B. ex Libya *Aldrovand.* C. Capitis Bonæ Spei ex *Kolbii Bon. Sp. Cap.* Tab. XI. fig. 5. D. Κεράςηης διϰέρατος ex *Codice Dioſcorideo* apud *Lambec. Biblioth. Vindobon.* L. VI. p. 294. 297. E. Hæmorrhous eſt *Parei* apud Jonſtonum.

Notum Hebræos communiter *Sephiphon in ſemita* applicare *Simſoni Danitæ* ; Vetuſtos quoſdam Patres Anti-Chriſto, ex Tribu Dan oriundo. Potiori jure intelligenda venit tota Tribus, quæ veluti *Aſpis in ſemita mordebat calcaneos Equi*, id eſt, aſtu potius, quam aperto Marte rem gerebat, id quod patet ex Jud. XVIII. 17. ubi Danitæ Laiſitas incautos adoriuntur. *Boulduc.* Th. 7. Prophetiam hanc Jacobi explicat de æneo ſerpente erecto á Bezeleele, quem é tribu Dan fuiſſe colligit ex Exod. XXXV. 34. nec non de crucifixione CHRISTI, cujus typus æneus ille ſerpens fuit.



GENESIS Cap. XLIX. v. 17.
Serpens Aſpisque Danis.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 17.
Dans Schlange und Nater.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. XLIX. v. 21.
Celer Naphtali Cervus.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 21.
Naphthali ſchnelle Hindin.

M. Tyroff sculp.

TAB. CXII.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 21.

Naphthali Cerua celeris, edens verba elegantia.

Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.

אַיָּל *Ajal*, *Cerui* nomen Ebræis, Chaldæis, Syris notiſſimum, אַיָּלָה *Ajalah*, *Ceruæ:* Ἀιὰλ in Διὰλ mutaſſe videntur Græci. *Heſychius* Διὰλ τὴν ἔλαφον Χαλδαῖοι. Facilis nempe A in Δ mutatio. Arabes ſcribunt *jial*, *igial*, *jiiel*, *uijel*, *ejiiil*, *we-yll.* Turcæ *jeleu.* *Meninzk. Lex.* 2960. 5889.

De Symbolico Prophetiæ ſenſu varii varia. Doctiſſimæ Ebræorum perſonæ ipſius *Naphthali* applicant, ejusque in currendo agilitati. Alii *Nephtalitis*, qui Judæis aliis fuerint diſertiores, quæ valde ſunt precaria, quum in ea tribu nullæ fuerint Scholæ celebres, nulla inſignis urbs, nulli inde orti Prophetæ, *Bochart. Hieroz.* L. III. c. 18. ἀπρoσδιόνυσον vult, ceruæ tribui *verba elegantia*, proinde punctis Maſoretharum mutatis aliam dat Verſionem: *Nephthali eſt ut arbor ſurculoſa*, *edens ramos pulchritudinis*, id eſt, egregios & ſpecioſos. Arbor nempe dicitur אלה vel אילה Jod inſerto, ut in plurali אֵילִים Jeſ. I. 29. & אֵילֵי Jeſ. LXI. 3. & שְׁלוּחוֹת Jeſ. XVI. 8. ſunt *ſurculi*, *propagines.* Occurrit autem hæc fidelium cum arboribus & ramis ſpecioſis comparatio paſſim, Pſal. I. 3. XCII. 13. Jeſ. LXI. 3. & Jer. XVII. 8. & ipſe Jacobus v. 22. proximé ſequenti. *Joſeph filius fructum edens:* ſiue; *ramus fœcundus Joſeph ſecus fontem.* Fuiſſe Naphthali ramoſam valde & ſurculoſam fœcunditatem, vel inde patet, quod cum nonniſi 4. liberos in Ægyptum deduxiſſet, Gen. XLVI. 24. in exitu poſt annos 215. viri fuerint in ea tribu 20. annis majores plus 50000. Num. I. 41. 42. Imo ex iis orta creditur in ultimo Oriente *Nephthalitarum* magna Gens, *Euthalitæ* dicta, de qua *Agathias* L. IV. & alii. Fuit & ſolum Nephthalitis fertiliſſimum. Deut. XXXIII. 23. *Nephthali beneplacito ſatur erit*, *& plenus benedictione* DOMINI. Et de *Galilææ*, cujus magna pars Nephthalitis obtigerat, fœcunditate legatur *Joſeph. Bell. Jud.* L. III. c. 2. & *vitæ ſuæ* p. 1017. ubi in Galilæa numerat 214. urbes aut pagos. Nouam hanc Verſionem ſuffulciunt Græci Interpretes, qui ita habent: Νεφθαλὶ ςέλεχος ἀνειμένων, ἐπιδιδὲς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. *Nephthali virgultum reſolutum, dans in generatione pulchritudinem.*

Non arrident hæc, utut ſpecioſa, iis, qui authentiæ punctorum mordicus inhærent, ne vel Jod cadat; addunt, comparationem Nephthali cum arbore ſurculoſa nîl peculiare tribuere rei: eſſe fœcunditatem communem Tribubus omnibus: Interpretes, Græcum, Arabem, Chaldæum ſenſum potius expoſuiſſe, quam verba: cohærere ſatis omnia, ſi *Nephthali* cum *cerua emiſſa* comparari, & Subjectum oſtendi poſſit, cui eloquia pulchritudinis tribui poſſint. Proin *Andr. Maſius* in Joſ. XIX. hunc oraculo ſenſum dat, Nephthalitas in tuta atque ubere collocatos Regione exultaturos ſuaui libertate, ſimiliter atque Ceruæ nullis indaginibus incluſæ, in amœnis herboſisque ſaltibus liberé paſcentes ac verſantes, præterea blandis appellationibus & humanitatis artibus gratiam ſibi conciliaturos apud omnes. Placet magno *Heideggero* noſtro *Exerc. de Teſtamento Jacobi* Sect. X. Th. 8. ἐξήγησις, quæ Prophetiam hanc applicat iis Nephthalitis, qui in Galilæa habitarunt, & CHRISTVM euangelizantem audiuerunt, & ita ille vertit: *Nephthali cerua dimiſſa ejus, qui dat dicta pulchritudinis vel decora*, CHRISTVS autem eſt, *in cujus labia diffuſa eſt gratia*, Pſal. XLV. 3. Et pertinent huc, quæ de Galilæis refert Matth. IX. 36. Ἰδὼν δὲ τὲς ὄχλες ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν, ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι καὶ ἐῤῥιμμένοι ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα.

TAB.

TAB. CXIII.

Geneſ. Cap. XLIX. verſ. 27.

Benjamin Lupus diripiens, mane comedet prædam, & ad veſperam dividet ſpolium.

Ben-jamin lupus rapax, mane comedet prædam, veſpere diuidet ſpolia.

זְאֵב *Zeeb* Hebraicum nomen primò forſan inditum illi *Luporum* generi, quod aureo eſt colore, nam aurum זָהָב, quodque graphice deſcribit *Oppianus Cyneg.* L. III.

Χρύσεον ἀςράπτοντα περισσκόμοισιν ἐθείραις
Ὀυ λύκος, ἀλλα λύκε προφερέςατος, αἰπύτατος θὴρ
Χείλεσι χαλκείοισι τετυγμένος, ἄμετρος ἀλκὴν.

Aureum, quia fulget denſis pilis
Non Lupus eſt ſed Lupo præſtantior, perniciosiſſima fera
Labiis æneis armata, immenſi roboris.

Ex Hebræo זְאֵב deducta Chaldæorum דיבא *Deba*, Syrorum *Deba*, *Diba*, Turcarum *Zib*, Arabum *Dib*, *Sibd*, Pl. *Esbad*, *Sid*, Pl. *Sidan*, *Tibn*, *Zeib*, *Züb*, fœm. Pl. pauc. *ez-üb*, mult. *Ziab*, *Züab*, Meninzk. Lex. 2334. 2536. 2728. 5994. 6067. Forté & *Dauus*, Δάος Phrygum apud *Heſychium*. Eſt autem Lupus ille *aureus*. Anglis the *Jackhall*, Belgis *Jackhals*, Perſis *Siechaal*, Græcis modernis *ſquilachi* dictus, elegantis flaui coloris, Lupo minor, deſcriptus *Bellonio Obſ.* L. II. c. 108. quem ad vulpes potius, quam ad canes relegat, *Kolb. Cap. Bon. Spei.* p. 150.

Eſt Rex canini generis *Lupus*, Animal ſummé rapax, *Benjamin Lupus diripiens*, λύκος ἅρπαξ, Vulgatus: *Lupus rapax*, conf. Ezech. XXII. 27. Matth. VII. 15. Joh. X. 12. Hinc & *Lupus* Poetis, *Virgilio*, *Horatio*, *Ouidio*, *rapax*, *raptor*, *Oppiano* ἁρπακτὴρ, *Philoſtrato* in *Apollonio.* L. II. c. 7. ἀεὶ προσκείμενος τῷ ἁρπάζειν, ad prædam ſemper intentus.

Deſignat ſacer Codex tempus, quo Lupus prædatum it. *Mané comedet prædam, & ad veſperam diuidet ſpolium.* Hinc Prophetæ vocant *Lupum veſperæ*, ſeu *veſperarum*, *veſpertinum*, Jer. V. 6. Habac. I. 8. Sophon. III. 3. In noſtro Textu ſignificant duo tempora non totum diem, ſed totam noctem, cujus pars una veſpertina eſt, altera matutina, initium veſpera, finis mané. Valet copula *&* idem quod *poſtquam.* Senſus igitur Prophetæ. *Tribus Benjamin erit inſtar Lupi rapacis, qui prædam usque ad matutinum tempus comedendam habet, poſtquam illam diuiſit ſub veſperam.* Notandum, Luporum alios prædam non diuidere, ſed ſolos vorare, ab aliis alios in prædæ communionem & raptus ſocietatem adſciri. Vocantur illi μονόπειραι, οἱ μὴ ἀθρόοι, ἀλλὰ καθ᾽ ἕνα πειρατεύοντες, qui non confertim ſed ſinguli prædantur. *Heſychius* aliis μονόλυκοι, μονιοὶ, Gallis *Lougaroux.* Venantur alii gemini, συνδυασθέντες. *Ælian.* L. XV. c. 3. *Statius Achilleid.* L. II. Alii turmatim eunt, de quibus *Xenophon* in *Hipparchico.* Sunt hi ipſi Benjaminis Symbolum, qui veſperè venatus tam multam prædam diuiſit, ut ad matutinum usque tempus habeat, unde veſcatur. Diuagantur quidem & alia Animalia, Leones, Pardi, Urſi, noctu, inprimis tamen Lupi, quia ut minus habent virium, ita & minus audaciæ. Et per totum diem fame vexati, fermento acri ventriculum voraciſſimi Animalis ſtimulante, ſæuiores tanto ſunt nocte vicina. Eſt enim extra famem mitis ſatis Lupus, nemini inſidioſus, v. *Bochart. Hieroz.* L. III. c. 10.

Sed cur *Benjamin Lupus diripiens, qui mane comedet prædam, & ad veſperam diuidet ſpolium?* Chaldæi tres Interpretes referunt id ad *Altare*, quod fuit in Tribu Benjamin, ubi Sacerdotes mané victimas obtulerunt, & veſperi oblata á populo inter ſe diuiſerunt. *Tract. Zebachim*, c. 5. f. 53. b. *Succha* c. 5. f. 56. b. Sed Benjaminitarum non fuere victimæ, verum Leuitarum. Hinc alii Hebræi referunt ad *Benjaminitas*, quibus permiſſum fuit uxores ſibi rapere ex Siluntinis puellis. Jud. XXI. 21. Alii ad Saulem, qui primis Iſraelitici Regni temporibus uberrimam de Amalekitis prædam retulit: alii ad *Mardochæum*, qui ſub veſperam, id eſt, poſt captiuitatis Babylonicæ tempora Hamanis & filiorum ejus ſpolia diuiſiſſe legitur in Libro Eſther. Patrum plurimi, *Tertullianus contra Marcionem* L. V. c. 1. *Ambroſius* c. 12. de *Bened. Patriarch.* *Hieronymus* L. IV. in Eſai. & L. II. in Hoſeam. *Auguſtinus* Serm. I. de *conuerſ. Pauli*, *Paulum* intelligunt ex eadem Tribu oriundum, qui primo manè, id eſt junior, tanquam lupus vaſtavit Eccleſiam, veſpere autem, id eſt ſenior, ſpolia gentium Diabolo detracta CHRISTO & Eccleſiæ diuiſit. *Barradius*




GENESIS Cap. XLIX. v. 27.
Benjamin Lupus rapiens.

I. Buch Moſis Cap. XLIX. v. 27.
Benjamins reiſſender Wolff.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJCB



GENESIS Cap. L. v. 2. 3.
Iacobus aromate conditus.

I. Buch Moſis Cap. L. v. 2. 3.
Der balſamirte Jacob.

G. D. Heiman sc

dius Hieroſolymam Benjamitarum metropolim, in qua Judæi, ut lupus, mane prædam comederunt, id eſt, Meſſiam crucifigendum ad Pilatum adduxerunt, & veſpere milites ſpolia diuiſerunt, id eſt, CHRISTI veſtes. *Bochart.* l. c. Benjaminum Lupo conferri putat propter fortitudinem. Fuere olim hi Marti dicati, Poetis *Martii*, *Martiales* dicti. *Horat.* L. V. od. 17. *Virgil. Æn.* L. IX. Hinc λυκοθαρσὴς *audax*, *magnanimus*, Heſychio λυκοθρασὴς, θρασὺς λυκόφρων, *lupino animo præditus*. Nonnullæ quoque Gentes lupino ululatu tanquam incentiuo carmine ad pugnam ſe incitabant, ut *Abari* apud *Suidam*, *Cimbri Teutonique* apud *Plinium* L. XXVI. c. 4. Fortiſſimis quoque Viris *Luporum* nomen quandoque inditum, ut *Herculi* apud *Lycophron.* in *Caſſandra* v. 871. Et eminuit Benjamitarum fortitudo maximè in Bello Gabaitarum cauſa ſuſcepto, in quo illi ſoli reliquas undecim Tribus intrepide ad oriebantur, & 26000. audebant in acie ſtare contra 400000. duobus præliis victores, tertio tandem aſtu victi & profligati. Et in Benjamitarum copiis erant 700. funditores Gabaitæ jaculandi tam periti, ut ne a pilo quidem aberrarent, Jud. XX. 16. Adde geſta Saulis Regis é Tribu Benjamitica, qui potitus Regno Iſraelis omnes undique ſuos hoſtes debellauit, Moabitas, Ammonitas, Idumæos & Reges Sobæ, & Philiſtæos. I. Sam. XIV. 47. 48. Quin Saule rejecto & occiſo, Davideque ſubſtituto Benjamitarum Regnum ſtetit adhuc per Septennium, quamuis à Dauidis partibus ſtarent Benjamitarum fortiſſimi. Hæc omnia ex *Bocharto.*

A. eſt Lupus.
B. Lupus aureus.

TAB. CXIV.

Geneſ. Cap. L. verſ. 2. 3.

Porro Joſeph ſeruis ſuis Medicis mandauit, ut aromatibus condirent Patrem ſuum.

Et exacti ſunt ei quadraginta dies (nam ſic implentur dies eorum, qui condiuntur) & luxerunt eum Ægyptii ſeptuaginta diebus.

Præcepitque ſeruis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem.

Quibus juſſa explentibus tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos erat cadauerum conditorum: fleuitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.

Excelluiſſe *Ægyptios*, ut in aliis, ita & in balſamandi arte, nullum eſt dubium. *Ægyptiis mos eſt cadauera adſeruare medicata Plin.* XI. Lib. c. 37. *& mortuos ab Ægyptiis condiri, & domi ſeruari* Cic. *Tuſc. Quæſt.* L. Sed quid opus teſtimoniis, quæ ex *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, *Platone*, *Dioſcoride*, *Strabone*, aliis, corradi poſſent? Teſtem habemus in Textu *Moſen* de balſamatione Jacobi per Joſephi filii, Pro-Regis Ægypti, Medicos diſerte loquentem. Superſunt adhuc hodie, elapſis millenis aliquot annis, monumenta cadauerum ipſorum, quæ ex Pyramidibus, & arena in Europam tum integra, tum in fragmentis, tranſportari *Mumiarum* nomine ſolent.

De pollincturæ Ægyptiacæ cauſa finali varia conjectant varii. An Æternitatem quandam defunctis conciliare voluerint, & cum Stoicis crediderint, ſupereſſe tamdiu animam, & corpori ſuo adhærere, quamdiu id duraret? Ita ſané *Seruius Schol.* ad *Æn.* L. III. An crediderint, animas poſt longiſſimos annos redire in ſua corpora, ea tamen ſubintrare non poſſe, corruptione putrefacta, aut in cineres collapſa? Qui ſane Animæ reditus in eadem corpora inter Chriſtianæ Fidei Articulos reponitur, hoc quidem Religionis noſtræ & Ægyptiæ diſcrimine, quod eadem omnipotenti vi, qua Homo fuit formatus, repertura ſit Anima domicilium ſuum, licet vel Igne in cineres combuſtum, vel in Terra in puluerem collapſum, vel in Aquis à Piſcibus diſcerptum, vel in Aere ab Auibus carniuoris dilaniatum? An balſamarint cadauera majorum ſuorum, ut eorum conſpectu & prudentia diu gaudere poſſent? An ut conuiuas facerent & compotatores cadauera ſiccata? *Silius Italicus.*

— — Ægyptia Tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat umbram.

 An

An ut præſeruarent defunctorum corpora ab ignis, Belluæ rapaciſſimæ, furore? An non tam vanitati litarint & ſuperſtitioni, quam neceſſitati, ſubtrahendo corpora à Nili exundantis voracitate, & propterea recondiderint in cellulis editioribus? Quidquid horum ſit, certum eſt, Pro-Regis Joſephi ſcopum circa Pollincturam adhibitum fuiſſe longe alium. In mandatis dederat optimo filio moribundus Pater, *ut ſi ad populum ſuum collectus fuerit, ſepeliretur ad patres ſuos in ſpelunca, quæ eſt in agro Ephronis Hithæi*, Gen. XLIX. 29. Effectui autem id mandatum in emortuali datum dari non poterat, niſi balſamatione, inprimis in Regionibus illis orientalibus, ubi æſtuans calor cadauera breui conſumit.

Et ex variis balſamandi methodis ſelegit haud dubie Joſephus optimam omnium, imo pretioſiſſimam, ex ſingulari, quo flagrabat erga optimum Patrem affectu. Et honori ſibi duxere Pollinctores, adhibere Aromata ſelectiſſima, & pretioſiſſima quæuis, teſtatam ſic reddere ſingularem & exquiſitam ſuam induſtriam. Exemplum illuſtris adhuc alius Joſephi, Senatoris Arimathæi, habemus in Nouo Teſtamento, qui unâ cum Nicodemo ſelectiſſima, quæ quidem habere poterat, conquiſiuit ad balſamandum corpus dulciſſimi Seruatoris aromata. Sané afferebat Nicodemus μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν· ἔλαβον ἔν τὸ σῶμα τȢ̃ ἸΗΣΟΥ καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐςὶ τοῖς Ἰȣδαίοις ἐνταφιάζειν, Joh. XIX. 39. 40. Et conjectare licet, tranſtuliſſe Judæos pollingendi artem ex Ægypto in Terram Canaan. Non eadem quidem per omnia fuit Ægyptiorum & Judæorum condiendi ratio, ſed & non eadem inter Ægyptios ipſos.

Apud *Ægyptios* triplex potiſſimum fuit conditurae ratio pro defunctorum nobilitate, & ſumtuum impendendorum ratione. Audiamus diligentiſſimum *Herodotum Hiſt.* L. II. p. 190. *His actis mortuum demum ad condiendum portant, ſunt autem certi ad hoc ipſum conſtituti, qui hoc artificium factitant: qui, cum ad ipſos cadauer portatum eſt, oſtendunt his, qui portauerunt, exemplaria mortuorum lignea pingendo aſſimilata. Et eorum unum accuratiſſime fabrefactum eſſe ajunt. Alterum illo inferius, ac vilioris pretii, tertium viliſſimi. Ea dicentes, ſciſcitantur ab his, ad quod exemplum velint effingi mortuum ſuum. Iſti conuento de pretio illinc abeunt. At hi, qui relinquuntur in ædibus, hunc in modum diligentiſſime condiunt corpus. Ante omnia incuruo ferro Cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa Ilia conſcindunt, atque illac omnem aluum protrahunt, quam ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleuerunt, rurſus aromatibus contuſis refarciunt: tum omentum complentes contuſa Myrrha pura & Caſſia, & cæteris, excepto Thure, odoribus iterum conſuunt. Ubi hæc fecere, ſaliunt intro abditum 70. dies, nam diutius ſalire non licet. Exactis 70. diebus cadauer, ubi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris inuoluunt, gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerunque utuntur. Eo denique recepto, propinqui ligneam Hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita theſaurizant, id eſt, reponunt. Hi autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumtum, ita comparant. Clyſterem unguine, quod é Cedro gignitur, complent. Deinde ex hac aluum mortui ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum prehenſo viæ poſterioris hiatu infarciunt, & tot, quot dixi diebus ſale condiunt, quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingeſſerunt, ex aluo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum aluum & inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem corpus tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecerunt, ex quo ſic tradidere mortuum, nîl amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt adornandi eorum mortuum. Qui tenuioris ſunt fortunæ, dilutionibus ventrem abſtergunt, arefaciuntque ſale 70. per dies, deinde trahunt reportandum.* Ad quem locum notat *Gabr. Clauder. method. balſamandi corpora.* c. 4. p. 57. vix fidem mereri, quod incuruo ferro cerebrum eduxerint per nares, & faciliorem fuiſſe eductionem cerebri per os magnum occipitis. Sic autem debuiſſet caput vel totum, vel magnam partem ad anterius usque collum abſcindi. Fidem ego habeo *Herodoto*, quod pertuſo oſſe cribroſo potuerit eductio fieri per ipſos nares. Sed quæ habet de ſola Salis vel Nitri adſperſione, & olei Cedrini in aluum immiſſione in ſecundi & tertii Generis Conditura, ignorantiam rei pharmaceuticæ arguunt, quum hac ratione conditura nulla fieri poſſit, & Mumiæ in Europam transferri ſolitæ nos claré doceant, nobiliora corpora referta fuiſſe aromatibus, & balſamicis pretioſioribus, Opobalſamo, oleo Cedri, Aloë, Myrrha, Caſſia; viliora Aſphalto vel Piſſaſphalto, quo veluti picarentur & obducerentur, addo, & infarcirentur. Nobiliorum corporum pollincturam in eo conſtitiſſe vult citatus *Clauderus* p. 60. ut aromata memorata calore actuali liquarent, liquefacta in Balſami-aut unguentiformem maſſam cogerent, ventribus omnibus infunderent, partibus ſingulis largiſſimé illinerent, imo inuolucra exterius admota abunde iisdem humectarent, vel potius corpora in dictis mixturis bituminoſis aut balſamicis macerarent, & hoc plus vice ſimplici, usque dum Cadauera haſce ſufficienter imbibiſſe conjicerent.

Superſunt רְפָאִים *pollinctores* ipſi, qui non tam fuere *Medici* proprié ita dicti, quam Pharmacopœi, ταριχευτὰς vocat *Diodorus*,

ἐντα-

RPJCB



EXODI Cap. II. v. 3.
Moses in Arcula.

II. Buch Moſis Cap. II. v. 3.
Moſe im Rohr-Käſtlein.

I. A. Fridrich sculp.

ταφιαςὰς alii. Olim quidem, & illa, de qua unc ſermo eſt ætate iidem fuere & Medici & 'ollinctores, Medicina nondum in artem redactâ. Nunc vero ſunt munera Medentium & Pharmaca parantium, imo & Medicorum & Chirurgorum diſtincta.

TAB. CXV.

Exod. Cap. II. verſ. 3.

Et quum illum amplius abſcondere non poſſet, accepit ſibi arculam arundineam, quam bitumine atque Pice obleuit, & poſuit in eam infantem illum, expoſuitque in carecto ad littus Fluminis.

Cumque jam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice; poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis.

EN! trimeſtrem infantulum, nondum *Moſen*, primum & naſcentis Mundi Hiſtoricum, natantem inter Papyros! & forte ſingulari fato, expoſitum in Arcula ex Papyro facta! Papyri omnis, imo Æris, æterna memoria digniſſimum & Hominem, & Factum! Ædiculam en paratam ex גֹּמֶא fluitantem בַּסּוּף!

Occurrit hæc Vox גמא *Gomæ* & Job. VIII. 11. notatque in Moſis Hiſtoria *Arundinem*, apud Jobum *ſcirpum*: Scirpi vel Arundinis genus Niloticum, forté à גָּמָא *abſorpſit*, *exſorpſit*, quod Aquam ſorbeat. Quò alludit Jobus l.c. *Adoleſcitne ſcirpus absque Palude? creſcetne carex absque Aquis?*

סוף *Suph* ſignificare *Papyrum* certius adhuc conſtat. Sane Jeſ. XIX. 6. in Prophetia contra Ægyptum τὸ סוף Græci Papyrum, πάπυρον reddunt; conſentiunt Syrus, Arabs, Chaldæus. *Hieronymus* pro בַּסּוּף in *Papyrione*, Arabs Erpenii in Papyro, Jonathan in *medio Papyrorum*. Et תֵּבַת גֹּמֶא Græci vertunt θίβην παπύρȣ, *Joſephus* πλέγμα βύβλινον, *Suidas* κιβώτιον ἐκ βίβλȣ λεπτὸν ὡς κοφινῶδες. *Clemens Stromat.* L. I. ἐκ βύβλȣ τῆς ἐπιχωρίȣ σκεῦος. *Origenes* Hom. II. *in Exod.* genus *tegminis ex Virgis, aut ex Papyro contextum.* Hinc nata fabula, quam præter *Plutarchum* etiam *Lucianus* refert *Lib.* de *Deâ Syria,* hanc Arcam ex Oſtio Tanitico in Byblum urbem per mare fuiſſe delatam, inibique ab Iſide inuentam. Cum reuerâ ἐν τῇ βύβλῳ, *in Papyro* poſita fuerit. Quod *Oſiris* à *Typhone* arcâ incluſus in Taniticum Nili oſtium conjectus, & ibi repertus fingatur, ſumptum eſt ex Hiſtoria *Moſis*, ſed mutatis perſonis, & Regis crimine in *Typhonem*, id eſt *Moſen* deriuato. De qua re plura vide in *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 34. Ad Papyrum ego & Arcam ex ea confectam redeo; id, ne obliuiſcar, memorans, *Typhonis* etymon forte eſſe Τύφην, *Typham*, Plantam paluſtrem Papyro analogam. Papyrum, quoad vires equidem, non figuram deſcribit *Dioſcorides* L. I. c. 116. πάπυρος γνώριμός ἐςι, πᾶσιν, ἀφ' ἧς ὁ χάρτης κατασκευάζεται. Exactior eſt *Plinius.* L. XIII. c. 11. *Papyrum naſcitur in paluſtribus Aegypti, aut quieſcentibus Nili Aquis, ubi euagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſſitudine, in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens, ſemine nullo, aut uſu ejus alio, quam floris ad DEOS coronandos.* Vis recentiorem deſcriptionem! En! quam dat *Alpinus Plant. Aegypt.* p. 110. *Papyrus, quam* Berd *Aegyptii nominant, eſt Planta Fluminis Nili binis aut pluribus caulibus rectiſſimis ſupra Aquam ſex ſeptemue cubitibus aſſurgens. Cauliumque in faſtigiis ſcapus innumeris capillamentis longis rectisque contextus cernitur: Foliis quoque conſtat multis, rectis, enſiformibus Typhæ, aliquatenus ſimilibus, triangularibus, ac mollibus.* Plura vide in *Joh. Bauhini Hiſt. Plant.* L. XVIII. c. 196. Tit. *Papyrus Nilotica*, & *Papyri Synonyma* in *C. Bauhini Pinace* v. Lit. A. Placet *Hillero Hierophyt.* P. II. c. 38. p. 215. pro סוף *Alga* vel *Fucus* marinus, Uluare in paludibus naſcens. Allegat is in ſui fauorem inprimis Jon. II. 6. Ubi סוף dicitur *alligatum* fuiſſe *capiti* Jonæ, vel *ſupra caput* ejus, id quod potius quadret fuco quam Papyro; Quum heic contra commodior ſit Papyri quam Fuci ſignificatus. Sane Fucum in Nilo creſcere, qui alligari poſſit, vel circumligari capiti, non liquet, & notum fucos qualescunque ſub Aquis naſci & manere, non ſupra Aquas, ut hîc, extare. Eſt forſan hæc Vox, ut plures aliæ, πολύσημος.

En igitur Moſen in arcula é Papyri culmis contexta, expoſitum non Nili currentibus undis, ſed in ſtagnanti aqua, haud procul à Littore, inter medias Plantæ hujus Arundines, *in carecto* ad *Littus Fluminis*, ut nos verba Textus ver-

vertimus. Debebat hæc arcula eſſe leuis, ut molli forſan lectulo illic decumbens infantulus Aquæ ſupernatare poſſet, nec ea rimas ſubintrare. Huic ſcopo aptiſſima fuit Papyrus Planta (non certe fucus) ut Arundinacea, fungoſa, imo Arundinaceis culmis, qui rotundi ſunt, ſeu teretes, longe aptior, quia triangularibus eſt culmis, ita inuicem aptandis, ut Aquæ non ullus pateat introitus. Sed ne fluidum hoc Elementum fungoſam ipſorum culmorum medullam ſubintrare, ſicque grauiorem reddere Arculam poſſet, prouidebat, quæ filiolum exponebat, optima Mater oblinitione Bituminis ac Picis. De חֵמָר, quod pro Aſphalto agnoſcimus, egi in Hiſtoria Turris Babylonicæ, & vero eſt ſimile, fuiſſe & heic bituminandæ Arculæ adhibitum, imo & balſamandis corporibus mortuis. Inſeruit adeo ferruminandæ Arculæ Regnum tum Minerale, tum Vegetabile, nam זֶפֶת eſt *Pix*, quæ vox etiam occurrit Jeſ. XXXIV. 9.

Fig. B. eſt *arundo.*

Fig. C. eſt *Papyri Thyrſus*, qualis conſpicitur in obeliſcis Ægyptiis ex *Kircheri Oedip.* T. III. p. 183.

Fig. D. Characteres ſunt *Arundinis.*

TAB. CXVI.

Exod. Cap. III. verſ. 1.

Paſcebat autem Moſes oues Jethro Soceri ſui, ſacerdotis Midian, duxitque oues poſt deſertum, & venit ad Horeb montem DEI.

Moyſes autem paſcebat oues Jethro Soceri ſui, Sacerdotis Madian, cumque minaſſet gregem ad interiora Deſerti, venit ad montem Dei Horeb.

Qui unquam vidit Alpicolas noſtros, Oues, Capras. Jumenta in paſcua Alpina ducentes, *wann ſie zu Alp fahren*, Moſen vidit paſtoris boni notas explentem, qui oues non ſibi relinquit ipſis, ſed blande & patienter ducit, imo per deſerta ducit, properans ad montem Horeb, lætioribus ibi paſcuis fruiturus. Quadrat in eum, quod legimus apud *Calphurnium:*

> Te quoque non pudeat cum ſerus ouilia viſes,
> Si qua jacebit ouis, partu reſoluta recenti,
> Hunc humeris portare tuis, natosque tepenti
> Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.

Hebræum יִנְהַג vel יִנְהַל *Hieronymus* reddit *minauit*, quæ vox *minare* de pecore & jumentis proprie dicitur. *Feſtus: Agaſones Equos agentes, i. e. minantes.* Idem: *Agere modo ſignificat ante ſe pellere, id eſt minare.* Pertinet huc noſtratium *mennen, männen*, cui forte τὸ *minare* originem dedit vel debet. Hæc de radice נָהַג vel נָהַל in Scripturis paſſim obuia.

Gaudent oues montibus, qui quo ſunt editiores, eo alimentum dant præſtantius. Norunt id Itali, ex Bergomatum inprimis ditione, qui quotannis Oues ſuas in Rhæticas Alpes ducunt, & paſcua jumentis vix acceſſibilia magno conducunt pretio. Pauit Moſes oues ſuas in Monte Horeb. *Adonis* in *Theocriti Idyll.* 3.

> — — ἐν ὤρεσι μᾶλα νομεύει.
> — — in montibus oues paſcit.

Hinc apud Poëtas ὀιοπόλα *montana loca*, quia in iis ὄιες πολῦσι, oues degunt, *Homerus Odyſſ.* λ. v. 573.

> Τὺς αὐτὺς κατέπεφνεν ἐν ὀιοπόλεσσιν ὄρεσσι.

Non defuit Moſi, quo viueret: cibum potumue ſubminiſtrabat ipſe Grex, Lac, Butyrum, Caſeum. Memoria mihi non excidet delicatiſſimum Caſei ouilli recentis ferculum, quod offendi aliquando in Alpibus extremis, iisque aſperrimis ſyluæ Rhenanæ, ad fontes Rheni poſterioris, quo nil ſuauius atque tenerius guſtaui unquam, alias à caſei eſu & uſu abſtinentiſſimus, ut ne micam tolerare poſſim. In montanis his locis, ἐν ὤρεσιν ὀιοπόλοισιν nemo non nouit creſcere plantas maximè aromaticas, de quibus fuſius ago in *Heſtoria Helvetiæ Naturali.* Ut hinc non mirum, carnes hujusmodi pecorum, præcellenti adeo nutrimento gaudentium, eſſe præſtantiores, τὰ κρέα χέιρω, ὅπυ ἐις ἑλώδη, χωρία νέμονται, ἤ ὅπυ μετεωρότερα. *Carnes pejores ſunt, cum in locis paluſtribus paſcunt, quam cum in editioribus. Ariſt. Hiſt.* L. VIII. c. 10. vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 46.



EXODI Cap. III. v. 1.
Moses ΜΤΛΩΤΗΣ.

II. Buch Moſis Cap. III. v. 1.
Moſe ein Schäfer.

M. Tyroff sculp.

JCB

RPJCB

TAB. CXVII.



EXODI Cap. III. v. 2. 3.
Rubus ardens.

II. Buch Moſis Cap. III. v. 2. 3.
Der brennende Buſch.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB



EXODI Cap. IV. v. 3. 4.
Baculus Serpens.

II. Büch Moſis Cap. IV. v. 3. 4.
Die Schlange aüs dem Stabe.

G. D. Heuman scu

TAB. CXVII.

Exod. Cap. III. verſ. 2. 3.

'iſusque eſt illi Angelus DOMINI in flamma Ignis de medio Rubi; Et reſpexit, & ecce Rubus ardebat Igne, nec tamen conſumebatur.

)ixit ergo Moſes: Concedam quæſo, & videbo viſionem iſtam magnam, quare Rubus non comburatur.

Apparuitque ei Dominus in flamma Ignis, de medio Rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.

Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?

ILluſtris θεανθρώπȣ typus סְנֶה *ardens* ἀμίαντος Rubus vel ſolus, vel *ſentibus* (quæ vox affinis Hebrææ סְנֶה) ſiue vepretis aliis inflexus, humi recuruatus ſerpens. Deriua, per me licet, סִינַי *Sinai* montis nomen à .ubi סְנֶה copia. Sed non confunde *Dendri-*:*n* ſeu *Sinaiticum lapidem*, *Pietra de Sinai*, & aue ne cum Rubo, vel cum illuſtri hac Viſioe jungas, vel cum recutitis Doctoribus figuıtum hunc lapidem, cujus Anatomen dedi in ɪerbario Diluuiano, habeas pro Μνημοσύνῳ. Ɩon magis is refert rubum, quam Junonem ɩubes. Siſtitur Lit. A. Non moueo litem, eque decido, Interpretum, qualisnam fueit hic *Rubus* an *vulgaris ſiue fructu nigro* CB. .it. B. An *Roſa* Lit. C. alterum genus Rubi, in quo Roſa naſcitur Plin. L. XXIV. c. 14. an eadem ſilueſtris κυνόσβατος, i. e. *rubus caninus.* An *Hauſegi* Arabum apud *Auicennam* L. II. Tr. 2. c. 579. ſeu *Rhamnus ſpinis oblongis*, *flore candicante* CB. Lit. D. *Inter genera Ruborum Rhamnus appellatur à Græcis. Plin.* l. c. Eſt conciliationi locus. *Hauſegi* ἄκανθα, βάτος, *Rubus*, *Rhamnus*, *Spina*, *Dorn*, voces ſunt Fruticibus Spinoſis communes.

Arſiſſe reuera Rubum, nec duntaxat viſum fuiſſe Moſi Chaſma vel Ignem pictum, patet ex Textu: quod vero Igni non fuerit conſumtus, id miraculo adſcribi debet, quo DEVS vocationem Liberatoris Iſraelitarum corroborare voluit, quod conferri poteſt cum illo Sociorum Danielis in Fornace ardenti.

TAB. CXVIII.

Exod. Cap. IV. verſ. 3. 4.

:t dixit: abjice eum ad Terram, & abjecit eum ad Terram, & factus eſt coluber. Et Moſes fugit à conſpectu ejus.

:t dixit DOMINVS ad Moſen: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus: Et extenſa manu ſua adprehendit eum, factusque eſt baculus in manu ejus.

Dixitque Dominus, Projice eam in Terram. Projecit & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes.

Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, verſaque eſt in virgam.

Serpens idem, qui heîc dicitur נָחָשׁ *nachaſch*, Exod. VII. 9. vocatur תַּנִּין *Thannin*. Eſt utraque Vox ſignificationis non unius. Sumitur utraque & pro *Ceto* & pro *Dracone*, & pro *Serpente*. Hic denotat certé נָחָשׁ *Serpentem*, & talem quidem, qui ejusdem fuerit longitudinis cum ipſo, é quo per miraculum factus fuit, baculo. Affine eſt Arabum *nekkaz*. Pl. *nekkazat* & *nekakiz*, ſerpentis teterrima ſpecies, quæ naſo pungit, cum oris eſſe expers videatur, cujusque ob tenuitatem cauda á capite diſcerni vix poteſt *Meninz. Lex.* p. 5246.

נָחָשׁ deriuant á נָחַשׁ *nachaſch*, *conjectare*, *augurari*. Arabibus *nachaſa* infauſtum eſſe, mali ominis, ſignificat. Hinc *nachſani* vocatur Saturnus & Mars, infauſti Planetæ. Sane Serpentis occurſus primis Parentibus fuerat infelix, & á poſteris pro ominoſo habebatur, atque infauſto, unde illud *Terentianum*:

— — Monſtra euenerunt mihi
Anguis per impluuium decidit de tegula.

Sed boni ominis Moſi & Iſraelitis fuit primum hocce, quod juſſu DEI patrauit miraculum, infauſtum Pharaoni & Ægyptiis: & verum quidem miraculum, effectus Naturæ Vires infinitis ſuperans paraſangis, idque non ſimplex, ſed duplex: En enim baculum, Virgam, Plantæ cujusdam ſeu Truncum ſeu ramum exuccum, mortuum, mutatum, quoties libuit Moſi, in viuum ſerpentem, ſtructuram Plantæ in fabricam Animalem & Animatam! Non adducam heîc Fabulam illam anilem, qua capilli mulieris pollutæ menſtruis ſub fimo ſepulti fiant Serpentes, riſu potius, quam refutatione dignam, Seculo hocce de Animalium Origine ſatis edocto, indignam. En Serpentem iterum atque iterum mutatum in baculum, ſola arreptum manu!

TAB. CXIX.

Exod. Cap. IV. verſ. 6. 7.

Rurſus dixit DOMINVS ad eum: Inſere quæſo manum tuam in ſinum tuum; & inſeruit manum ſuam in ſinum ſuum, & quum exſeruiſſet eam, ecce manus ejus leproſa erat veluti nix.

Et dixit: reduc manum tuam in ſinum tuum: & rurſus inſeruit manum ſuam in ſinum ſuum, proferensque eam é ſinu ſuo reſtituta erat, quemadmodum caro ejus.

Dixitque Dominus rurſum: mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.

Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.

De *Lepra* dabitur alibi commodior differendi locus. Heic ad momentum ſtabimus attoniti, admiraturi duplex rurſus Miraculum, quod confirmandæ vocationi extraordinariæ inſeruire debebat. Eſt lepra morbus contagioſus, quo, qui in infecti lecto decumbit, vel ejus veſtes induit, facile inficitur, nec tamen illa ſeſe manifeſtat illicò: non ſtatim ſanguis craſin induit ſalſam illam & corroſiuam, qua cutis erodatur & in cruſtas eleuetur: menſes requiruntur imo Anni, ut ad Ἀκμὴν deueniat morbus. Sed tranſit, quod heic Moſi contigit, omnem & Rationis conceptum & Experientiæ ſenſum. Sana manus inſeritur in ſinum Veſtis ſanæ, & en! producitur tota leproſa, alba *veluti nix*; eroditur oculi nictu tota cutis, quæ manum tegebat, ſubſtantia, eleuantur cruſtæ leproſæ, inſanabiles. DEI juſſu hæc eadem leproſa manus immittitur in ſinum, & ecce! redit vel retrahitur, reſtituta, ut ante fuit. Experimur utique ſæpe, quod Balnea dulcia cruſtas leproſas aliquando denſiſſimas tollant, iisque cadentibus poſt hebdomadarium Aquarum uſum reſtitui videatur æger; ſed redit mox malum, noua fit eroſio, & prolabitur miſer in priſtinum ſtatum. Sed heic leproſus fit Moſes, quoties miraculi neceſſitas poſtulat, rurſumque ſanus: æger miraculo, miraculo ſanus.




EXODI Cap. IV. v. 6. 7.
Lepra immiſsa et amiſsa.

II. Büch Moſis Cap. IV. v. 6. 7.
Der aüſſätzige ünd geheilte Moſe.

G. D. Heüman sculp.

BPJCB

JCB



EXODI Cap. IV. v. 25.
Zipora circumcidens.

II. Buch Moſis Cap. IV. v. 25.
Die beſchneidende Zipora.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB



EXODI Cap. V. v. 7-12.
Stipulæ lectæ.

II. Buch Moſis Cap. V. v. 7-12.
Stroh Stopplung.

M. Tyroff sc.

TAB. CXX.

Exod. Cap. IV. verſ. 25.

Zipora autem arrepto acuto ſilice abſcidit præputium filii ſui, applicuitque pedibus ejus dicens, Quoniam Sponſus ſanguinis tu mihi.

Tulit ilicò Sephora acutiſſimam Petram & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi.

Significat צוֹר *Zor* proprie aciem, cultrum acutum, ſed & aciem Lapidis, hinc Chaldæus reddit טִינָרָא *lapidem acutum*; quodſi *ſilex* fuerit, ut vult Latina noſtra, fuit non communis ſed gniarius, vel & Achatinus. Sane ex Silice, ıt alia Inſtrumenta, ita & cultellos ſepulchris uis intulere veteres Gothi. *Rudbek. Atlant.* P. II. p. 398. 399. Et de Silicis ipſius in circumiſione uſu *Heidegg. Hiſt. Patr. Exerc.* VII. 22. Pertinent huc *Ceraunia* ita dicti *Cunei formes* n ſpecie *vulgaris* & *ſicilex* ex *Silice*, *cuſpidis venabuli*, *aut Sagittæ forma. Mercat. Muſ. Metall.* p. 243. De his vix eſt dubium, adhibitos fuiſſe à Veteribus in Bello pro exaſperandis telis, inprimis etiam populis Septentrionalibus ad Sacrificia, hos cædendo, alios tundendo, quemadmodum videmus Americanas gentes ante Ferri uſum Lapides ad varios, œconomicos, bellicos, ſacros traxiſſe uſus. Plur. vide occaſione *Bætulorum* in Hiſtoria Inſomnii Jacobi. Interim heîc ad marginem ſiſtimus varias *Sicilicum* adhuc Superſtitum Icones.

TAB. CXXI.

Exod. Cap. V. verſ. 7. 12.

Poſthac non dabitis paleas populo, ad ducendos lateres, quemadmodum heri & nudius tertius, ipſi eant & colligant ſibi paleas.
Et diſperſus eſt populus per totam terram Ægypti, ut colligerent ſtipulas pro paleis.

Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius, ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas.
Diſperſusque eſt populus in omnem Terram Ægypti ad colligendas paleas.

Ad dura cogit ſæpe Homines Neceſſitas, vel loci injuria conditio, heic Tyranni furor. Belgas relegat ſylvarum & Arborum defectus ad Ceſpites bituminoſos, Magdeburgenſis diſtrictus incolas ad ſtramen ſeu paleam, quam ſcite norunt adaptare in faſciculos, ne cito nimis deflagret; alias Nationes ad fimum, vel ouillum, vel vaccinum ſiccatum, ne deficiat ignis coquendis cibis neceſſarius. *Stipulæ tantæ in Labarino Campaniæ nobili campo craſſitudo, ut Ligni vice utantur. Plin.* L. XVII. c. 4. Heîc æuiternas Pyramidum moles extruere jubet non Neceſſitas, ſed vana Regis ambitio, parandus ad hunc finem innumerus laterum coctilium numerus, Ligni alias opus vel Ceſpitum, aut Lithanthracum. Sed ad ſtipulas Iſraelitarum mancipia cogit Pharao, imo eo aſſurgit dominationis furor, ut quæ hactenus porrigebantur illis ex Regio mandato, ab ipſis Iſraelitis conquiri debuerint in tota Ægypto, non detracto interim laterum numero. תֶּבֶן vertitur *palea*, קַשׁ *ſtipula*.

TAB. CXXII.

Exod. Cap. VII. verſ. 9-12.

Si locutus fuerit ad vos Pharao hiſce verbis, (a) Oſtendite portentum, dices ad Aharonem, Tolle baculum tuum & abjice coram Pharaone, ut fiat Serpens.

(a) Date pro vobis Ebr.

Venit itaque Moſes & Aharon ad Pharaonem, & fecerunt ita, ſicut juſſerat DOMINVS, abjecitque Aharon baculum ſuum coram Pharaone, & coram ſeruis ejus, & factus eſt coluber.

Vocauit autem Pharao etiam Sapientes & incantatores, & fecerunt quoque ſic ipſi Magi Ægypti incantationibus ſuis.

Projecerunt nempe ſinguli ſuas virgas, & factæ ſunt Dracones, & baculus Aharonis deuorauit virgas illorum.

Cum dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum.


Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis ejus, quæ verſa eſt in colubrum.

Vocauit autem Pharao Sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter.

Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.

THeatrum aperimus magnificum, quod ſui ſimile nunquam habuit, nec forte habebit unquam. Theatrum, in quo patrantur varii generis miracula vera, ſed & oſtentantur falſa. Pugnatur hinc inde de DEI Diabolique dominatu. Demonſtrat DEVS & per miracula quidem, ſe eſſe DEVM, *ſe edere ſigna & portenta in cœlo & terra.* Dan. VI. 27. *Se edere ingentia opera, eaque inueſtigabilia, & res mirandas, illasque innumeras.* Job. V. 9. *Se ſolum edere ingentia miracula.* Pſal. CXXXVI. 4. Sed adeſt quoque μυριοτέχνης Diabolus, pugnat pro ſe & ſuo imperio, exhibet & ille miracula. *Eductурus eſt DOMINVS Iſraelitas de oneribus Ægypti, & eruturus de ſeruitute eorum, & aſſerturus brachio exſerto, & judiciis magnis.* Exod. VI. 6. Sed Satanæ intentio eſt, populum DEI Pharaonis & Ægyptiorum mancipia, premere magis & magis, imo opprimere. Alius itaque eſt ſcopus Ter Optimi, Ter Maximi, Angeli Apoſtatæ alius. Patrat uterque miracula, vera Ille per ſeruos ſuos Moſen & Aharonem, falſa hic per ſua mancipia, Magos Ægyptios, *Jannem* & *Jambrem*, ſic enim vocantur, 2. Tim. III. 8. Imo vero de eo diſceptatur, an DOMINVS ſit DEVS, vel præpondium habeant Pharao & Diabolus? an vera ſit Religio Judaica vel Ægyptiaca? Quo miraculorum Lydio lapide uſi ſunt quoque Elias in contradictorio cum Pſeudo-Prophetis, CHRISTVS cum Phariſæis, Apoſtoli cum Magis & Pſeudo Apoſtolis.

Tollenda heic ante omnia ἀμφιβολογία circa vocem θαῦμα, *Miraculum.* Sunt omnia miracula mira, miranda, admiratione digna, ſed non eſt omne mirum miraculum. Mira perſæpe occurrunt in ipſa Natura, quorum cauſæ & modi nos latent. Stricto ſenſu & κατ' ἐξοχὴν, eſt Miraculum immediatum ſummi DEI opus, tranſcendens omnes Naturæ vires, quale nec Diabolus, neque potentiæ quæuis aliæ finitæ, adhibitis licet in ſubſidium omnibus Naturæ viribus, producere queunt. Ita vidimus & demonſtrauimus in Hiſtoria Creationis, eſſe Hominem, Animalia, Plantas, Miracula. Fatebantur ſane inuiti ipſi hi Magi, quorum ludibriis induratus fuerat Pharao, eſſe abjectiſſimorum aliàs pediculorum productionem *digitum* DEI. Exod. VIII. 19. Et docet nos moderna tum philoſophia, tum Theologia naturalis, Digitum DEI & dirigentis, & mouen-



Exodi Cap. VII. v. 9-12.
Baculi Serpentes.

II. Buch Moſis Cap. VII. v. 9-12.
Stäbe in Schlangen verwandelt.

I. A. Fridrich sculps.

P.JCB

ntis & creantis eſſe, quicquid in tota rerum
itura eſt & mouetur. Urget hoc ipſum
gumentum maximus ipſe DEVS, in reuela-
ſuo verbo, omnia ſibi, nîl naturæ Idolo,
ſcribens, pluuiam, Niuem, Grandinem.
int quidem & hæc opera DEI, ſed inſimul
era Naturæ, neque vocari ſolent miracula.
t Vinum opus, donum, DEI ſed Naturæ
mandato, ſiue decreto DEI operantis pro-
ctum; ſed Aquæ mutatio in Vinum, nullâ
ercedente cauſa ſecunda, ut in Scholis loqui
ant, abſque naturali Viâ Vitium, Diuinum
fuitque in Nuptiis Canæ miraculum. Na-
ræ eſt conſonum, ut corui diſcerptas
rnes transferant ex uno loco in alium; ſed
iraculum, ſi carniuora hæc Animalia cibos
portant Eliæ. Planum inde, eum, qui
ca Phænomena obuia quæuis judicare præ-
ndit, num mira ſint, vel miracula? an Vi-
s naturæ tranſcendant, nec ne? edoctum
e debere vires Naturæ, Motus Leges & ef-
ctus. Qui Naturæ plus tribuit, quam qui-
m ei debetur, tantundem demit gloriæ ſum-
i DEI.

Sint forſan μυριοτέχνῃ Diabolo vires Naturæ
agis, quam Philoſophorum ulli cognitæ:
one eum actiua paſſiuis applicando, permit-
nte DEO, mira præſtare poſſe, non tamen
ncedimus, patrare poſſe miracula. Jus
oc referuamus ſoli DEO. Pronum inde, Mi-
cula Magorum in Ægypto non fuiſſe mira-
ıla. Sane vires Naturæ totius ſuperat pro-
ıctio ſerpentis ex baculo, ligno exucco,
undine, alioue quocunque vegetabili.
haud ibit inficias, cui eſt ſtructura Planta-
im & Animalium vel per tranſennam cogni-
. Eſt, haud diffiteor, analogia in multis
ter Vegetabilia, & Animalia, ſed aliæ fibræ,
næ, ſuccus nutritius alius his, alius illis.
no eſt reuiuificatio ſtipitis mortui, exucci,
iraculum, id quod patebit exemplo amyg-
ıli Aharonicæ. Transſcendit ſane vires & Na-
ıræ & Rationis μεταμόρφωσις, de qua nunc, vir-
arum in Serpentes. Sed quomodo concili-
ında hæc cum Verbis Textûs? *Fecerunt quo-
ue ſic ipſi Magi incantationibus ſuis. Projece-
int nempe ſinguli virgas ſuas, & factæ ſunt
Dracones.* Patrarunt ergo & Magi miracula?
no vero, ſed fictitia, mira, quibus oculos
egis faſcinare poterant. Annon poterant
udiones iſti ſerpentes, quos in ſinu gerebant
ubſtituere virgis: annon Diabolus ipſe aerem
a mutare, ut & Pharao & adſtantes putaue-
nt, imo jurauerint per Jouem lapidem, ſe
idere Serpentes? Annon Pantomimi illi
Chironomi tanta arte & figurare & mouere
erpentes ligneos, ut ſpectatoribus viſi fuerint
erpentes veri? quemadmodum nouimus No-
imbergæ fabricari mures, Araneas, Bufones,
erpentes, viuorum & forma & coloribus &
notu ipſo æmulos? quicquid horum ſit, vicit
eo ex Tribu Juda, victus fuit Draco inferna-
lis, *baculus Aharonis deuorauit virgas ipſorum.*
Opus Satanæ fuit deſtructum: Aer, ſi fuerat
ante mutatus, reſtitutus in priſtinum ſtatum,
ut viderint cum Pharaone Aulici, imo præſti-
giatores ipſi, objecta quæuis in naturali forma
& ſtatu. Vel, per miraculum verum, non
fictum, fuere Agyrtarum virgæ, modo nobis
incomprehenſibili, abſorptæ à Virga Aharo-
nis, atque cum hac reunitæ.

De *Magia* plura paſſim extant Volumina,
quibus tamen parum ſolidi ineſt; Maturum
in caſibus obuiis requiritur judicium, Naturæ
profunda Notitia. Utrumque ſæpe deficit &
in Judice, & in Phyſico. Eſt altioris Indagi-
nis Philoſophia ſpirituum, de qua pauciſſima
nouimus, ignoramus plurima; occurrunt quæ
Magiam redolent, & pro Magicis declarantur,
& tamen mere ſunt naturalia. Sed & latet
nos, quæ & quanta Diabolus in Natura, &
per eam præſtare poſſit, quasnam & quantas
vires in corpora Hominum aliaue exerceat,
quomodo actiua paſſiuis applicet. Sunt, quæ
in mera conſiſtunt Imaginatione peruerſa, &
quot quæſo, olim cumprimis, Magorum &
Sagarum titulo flammis ſunt traditi, Noſoco-
miis digniores quam rogo, compaſſione quam
ſeueritate judicii?

Difficultates circa Serpentum magicam pro-
ductionem in Ægypto obuias tollunt facile é
medio, qui philoſophiæ ſcholaſticæ ſunt in-
nutriti, & præjudiciis de æquiuoca genera-
tione occœcati, & facilius longé, licet infe-
licius, quam phyſici ſaniores, moderni. Ge-
nerantur illis Serpentes, tanquam animalia im-
perfecta, ex putredine; Juxta hunc conce-
ptum haud adeò fuerit difficile Satanæ, virgas
Magorum ex Ligno, putrido forte, factas mu-
tare in Serpentes. Sic nodus ſecatur, non ſol-
uitur. Errori quaqua patet via, veritati innu-
meri obſtant obices. Error errorem veluti
unda undam trudit.

Significat תַּנִּין *Thannin* alibi *Cetum*, heic *Ser-
pentem*, ſiue נָחָשׁ *Nachaſch* ut explicat Moſes.
Exod. IV. 3. Arabibus *Thannin* ſpeciatim eſt
Draco, Serpens magnus, *Tinnin*, *Zenebi tin-
nin* Turcis Meninz. Lex. 1443. Dictat ratio,
fuiſſe ſerpentes, de quibus heîc, tum miracu-
loſos, tum miros, quoad formam ejusdem cum
Virgis magnitudinis, proin ex minimis fere.
Videatur fuſius *Bochart. Hier.* P. II. L. III. c. 14.

Illuſtrando miraculo inſeruient ad mar-
ginem depictæ Icones, quibus naturalis ſer-
pentum generatio ob oculos ponitur.

Fig. I. Siſtit oua Serpentis per tunicas unita.

Fig. II. Ouum cujus tunica exterior eſt ſe-
mota.

Fig. III. Fœtus in tunicis latens, ubi a a. eſt
tunica ſecunda, b. tertia fœtum immediate
ſuccingens, c. fœtus ipſe.

Fig. IV. Fœtus explicatus, capite pendulus,
ut vaſa umbilicalia in Chorio conſpicua exactus
videri queant.

TAB. CXXIII.

Exod. Cap. VII. verſ. 19-22. 24.

Et dixit DOMINVS ad Moſen, Dic ad Aharonem, Tolle baculum tuum, & extende manum tuam, ſuper Aquas Ægypti, ſuper Flumina eorum, ſuper riuos eorum, & ſuper ſtagna eorum, & ſuper cunctas collectiones Aquarum, quas habent, ut fiat Sanguis, ſitque Sanguis per totam Regionem Ægypti tam in ligneis, quam lapideis (vaſis.)

Moſes & Aharon fecerunt, quemadmodum mandarat DOMINVS, & eleuato baculo percuſſit Aquas, quæ erant in riuo coram oculis Pharaonis, & coram oculis ſeruorum ejus, verſæque ſunt omnes Aquæ, quæ erant in riuo, in Sanguinem.

Piſces quoque, qui erant in riuo, mortui ſunt, & computruit riuus, ut non potuerint Ægyptii bibere de riuo, fuitque Sanguis per totam Terram Ægypti.

Et fecerunt quoque ſic Incantatores Ægypti ſuſurrationibus ſuis, & induruit cor Pharaonis, ut non audiret eos, quemadmodum loquutus fuerat DOMINVS.

Foderunt autem omnes Ægyptii circum Flumen aquas, ut biberent, quoniam non potuerunt bibere de aquis riui.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in ſanguinem: & ſit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vaſis, quam in Saxeis.

Feceruntque Moyſes & Aaron, ſicut præceperat Dominus, & eleuans virgam, percuſſit aquam Fluminis coram Pharaone & ſeruis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem.

Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt: computruitque fluuius, & non poterant Aegyptii bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in tota terra Ægypti.

Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis, nec audiuit eos, ſicut præceperat Dominus.

Foderunt autem omnes Aegyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent, non enim poterant bibere aquam fluminis.

Vidimus veluti in Proſcenio præcedentis proximi Miraculi, competere vera miracula ſoli DEO, falſa & fictitia Diabolo: multa mira occœcatæ præjudiciis Rationi videri Miracula, & tamen non eſſe. Euenit ſane in Natura perſæpe non indocto vulgo duntaxat, ſed & Eruditis, quod ſpectatoribus illis Theatrorum Italicorum, qui ad motum alicujus Machinæ inſolitum pleno gutture clamant, *miracolo, miracolo!* Et quot forſan ſunt miracula arenoſo huic & inſtabili fundamento inædificata? quot ſuper incudem Ignorantiæ & Admirationis cuſa, fabricata?

Dici poteſt *Sanguis* prodigium uniuerſale, imò *color ſanguineus*, pluuia ſanguinea, quæ Papilionum debetur ouulis, ſudor ſanguineus crucis aliisque figuris induſium pingens, ſanguineus *Solis* vel orientis vel occidentis *color*; *Sanguinis Profluuium* é cada-



EXOD. Cap. VII. v. 19-24.
Sanguis ex Aqua.

II. Buch Moſis Cap. VII. v. 19-24.
Waſſer wird Blut.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB

cadaueribus, imo & ſicciſſimis Sceletis, *Fontes rubri*, *Lacus Sanguinis* colorem ſiſtentes, licet res ſint meré naturales, inter oſtenta recenſentur & prodigia ab indoctis, vel ſuperſtitione captis, ſæpeque de cathedra proiiciuntur, ut habeat, quod admiretur vulgus. Exemplo fuit A. 1623. Lacus *Haarſee* dictus prope pagum *Henkart* ditionis Tigurinæ, cui menſe Aprili innatauit recrementum rubrum ſanguini ſimile, multis prodigioſum, ut etiam rumor fuerit ſparſus de Lacu in ſanguinem conuerſo. Maſſa prorſus ſimilis cruenta ſpumoſa innatans Piſcinæ in pago *Klein Liſſa* prope *Delitium* in Saxonia A. 1700. magnas mouit contentiones. *M. Georgio Sigismundo Ittigio* Paſtore Liſſenſi non quidem miraculis accenſente Phœnomenon, ſed tamen pro opere diuino venditante, quod ad pœnitentiam nos excitet, & veroſimiliter Saxonicis regionibus bellicas calamitates indicet: omnem pro Natura ſoluente ſcrupulum J. C. *Weſtphalo* in *Nouis Lit. Germ.* 1705. p. 103. Ex antiquitate Exemplum proferre poſſemus *Adonidis* fluuii, qui ex Libano monte per Bybliorum Terras in Mare defertur, & annua ſui cruentatione Bybliis tempus lugendi indicabat, perſuaſis, *Adonidem* illis diebus in Libano ſauciari. Quod prodigium ſalſe & jure deriſit *Lucianus* de *Syria Dea.* T. II. Oper. cauſam adſcribens terræ flauæ Minio ſimillimæ. Sane res naturales inter prodigia recenſere, & é cathedra popello pro talibus venditare, eſt Religionem ſacerrimam profanare, & riſui Atheorum exponere.

Ne quis autem exiſtimet, vel digreſſionem hanc ἀπροσδιόνυσον, vel me δᾳδοῦχον ad eludendum, de quo nunc, Aquæ Ægyptiæ omnis in ſanguinem conuerſæ Miraculum. Patebit mox, inſeruire ipſam Prodigiorum illorum fictorum recenſionem illuſtrando vero huic miraculo, & exaltandæ Gloriæ ſummi DEI.

En aliud, quod Miraculorum deluſores urgent, obſtaculum! Nonne quotidiana nos docet Experientia, eſſe metamorphoſin Carnis, Aquæ, Vini, omnium eſculentorum & potulentorum in ſanguinem rem meré naturalem? Sed ſiſte gradum ἐμπαίκτης. Haud imus inficias, mutari in ſanguinem cibum, quem aſſumimus, ac potum, ſed nota bené, poſt tot artificioſiſſimas præcedaneas operationes, maſticationem, digeſtionem, reſolutionem, commiſtionem cum ſuccis variis, motus tam inteſtinos, quam progreſſiuos, ſecretiones, quæ operationes in ore incipiunt, in Ventriculo, Inteſtinis, vaſis lacteis & ſanguiferis continuant, tandemque in toto corpore perficiuntur. Ut hoc ipſum Sanguificationis opus ſit Θαῦμα μέγα, omnibus chymicis, aliisque Naturæ ruſpatoribus inimitabile prorſus, imò ne perſcrutabile quidem, poſt tot anxios labores, operoſa Experimenta, profundas meditationes, in profundo adhuc latens. Multa forſan & magna loqueris, ſi dicas, pretioſo huic liquori vitali, imo ſingulis ejus guttulis ineſſe partes aqueas, ſalinas, oleoſas, volatiles, mucilaginoſas: ſed an inde naſcitur tibi genuinus de ſanguineo latice conceptus? an nota dictarum partium ad inuicem præciſa proportio, intima earum commixtio, cohæſio? Adi officinas chymicas, manum ipſe Experimentis admoue, actiua paſſiuis applica, tenta omnes ignis gradus, omnis generis operationes, & produc, ſi potes, purpureum verum laticem ex Vegetabilibus, vel Animalibus, quæ Homini Brutisue cedunt in cibum. Plura, dabo tibi, detegunt Microſcopia, globulos ruberrimos, in ſero aqueo natantes. Sed quid vel hinc elicimus certi? quis tornat globulos illos, vel ubi? num, quod vero eſt ſimile, in tranſitu per tubulos arterioſos extimos, cylindricos, conicosue? quomodo globuli chyli albiſſimi induunt purpuram? & rurſus globuli hi rubicundiſſimi noua mutatione tranſeunt in candidum lac? quænam eſt compoſitio ipſorum globulorum? quæ craſis? quæ eorum ad ſerum proportio? Nullibi ego quidem in infinitæ Sapientiæ artificio video dubiorum finem, Ratiocinii exitum. Speciem haberet objectio, ſi tota Ægyptus unicum fuiſſet Corpus humanum, ut multi fabulabantur olim, eſſe Mundum ingens Animal, alii in fundo Maris vaſtiſſimam eſſe Balænam, quæ inſpirando & exſpirando cauſetur Æſtum Maris. Sed hîc nil tale. Per totam Ægyptum vel ſtagnant, vel placidé fluunt Aquæ vel limpidæ, vel limoſæ: & ecce hæ non poſt longi temporis labores, circulationes, digeſtiones, extractiones, aliasue chymicas operationes, ſed ſubitò, commutantur in verum ſanguinem, nec in unico duntaxat vaſe, quod forté ante oculos fuerat Regis, ſed, teſte Textu, *eleuatione baculi & extenſione manus, in omnibus Aquis Ægypti, Fluminibus, Riuis, Stagnis, cunctis collectionibus, per totam Regionem Ægypti, tam in ligneis, quam lapideis vaſis.* Fungum habet pro cerebro, qui heic manum DEI non videt, non miraculum, non miraculum in tot Aquæ guttulis, quot fuere in Ægypto.

Et en tremendum Ægyptiis effectum! *Piſces, qui erant in riuo, mortui ſunt, & computruit riuus, ut non potuerint Ægyptii bibere de riuo.* Patrato miraculo contingebant hæc ex cauſis naturalibus. Non viuebant, nec viuere poterant Piſces in Elemento vitæ ſuæ & ſtructuræ inadæquato, tam ſubito in aliud prorſus fluidum mutato. Quam tenera ſit Piſcium vita, conſtat per Experientiam: Ut nec transferri ſe patiantur abſque vitæ diſcrimine, ex Aqua in Aquam, ex marina in fluuiatilem, ex Fluuiis in Stagna. Fuit & computreſcentia effectus Naturæ. Quam cito putreſcit ſanguis vena emiſſus? quam putreſcendo, fermentatione præuia, fœtet? auolantibus in auras & Atmoſphæram replentibus partibus volatilibus, oleoſis atque ſalinis tota Ægyptus infici debebat fœtore enormi.

 Vidi-

Vidimus miraculum verum, videamus & fictum: *Et fecerunt quoque ſic incantatores Ægypti ſuſurrationibus ſuis.* Sumebant & hi Aquam, ex viſceribus Terræ haud dubie fodiendo (nam v. 24. legitur: *fodiſſe omnes Ægyptios circum flumen Aquas, ut biberent*) vel ex Terra *Goſen*, cujus Aquæ ab hac plaga fuerunt immunes; Haud difficile fuit Magis illis obdurato Pharaoni obtrudere quid pro quo, Aquam vel tingere colore rubro, vel verum ſanguinem aſtuta celeritate ſubſtituere, fucum Regi facere, ut liquidum quodcunque rubrum pro vero ſanguine agnoverit.

Manſit & miraculi hactenus expoſiti memoria apud hodiernos Ægyptios, ſed & inſigne, prorſusque ſingulare præjudicium: Prætendunt illi, *Nili aquas*, quas vidimus maledictioni ſubjectas, in ſanguinem primo, dein putrilaginem redactas, adeo eſſe nutritiuas, ut totæ in Sanguinem vertantur, idque inde, ex quo Moſes Miraculum in Ægypto patrauit, huicque ipſi vi ſanguificatiuæ tribuunt plethoram Ægyptiis familiarem. *Omnes imo ore clamant, ipſam in noſtris corporibus non alium humorem quam ſanguinem generare, & hoc illi à DEO datum fuiſſe, ubi Moyſi præceperit, ut Aquæ in Sanguinem mutarentur. Ex quo tempore creditur, hanc Aquam vim Sanguinis obtinuiſſe. Hanc diuites omnes epotant, tum ſimplicem, tum ſacchαro & ſucco limonum miſtam. Alpin. Medic. Ægypt.* L. I. c. 10. L. II. c. I. Sed falluntur, ut quidem exiſtimo, vehiculum equidem præbet Aqua cibo & potui, & inde producto chylo, ſerumque in Sanguine reſarcit, ne lympham quidem nutritiam dare apta, niſi dixeris, particulas, quæ Aquæ inſunt omni, inprimis Niloticæ, limoſas in ſanguinem vel lympham poſſe mutari. Sane de aqua pura partibus viſcidioribus deſtituta probauit abunde modernorum experientia, ne Vegetabilia quidem eâ nutriri.

Et fuiſſe antiquiſſimis temporibus *Aquam Niloticam* potum Ægyptiis familiarem & ordinarium patet ex v. 24. Bonitatis cauſas tribuit citatus *Alpinus longiſſimo itineris tractui, quo ferè à Sole percoquitur*, tum & *motui*, quo per tot præcipitia attenuetur, ac purgetur: tum *alueo pinguiſſimæ terræ* atque optimæ, hinc frigiditate ſua omnium minimé nocenti. Sed redolent ratiocinia hæc Philoſophiam, in qua optimus vixit *Alpinus*. Sunt autoritate *Hippocratis*, *Galeni* & Experientia ipſa teſte, Aquæ omnium optimæ, quæ ſunt puriſſimæ, clariſſimæ, leuiſſimæ, olfactu omni & guſtu deſtitutæ. In teſtimonia aduoco Aquas noſtræ Heluetiæ, omnibus Europæ præſtantiores, utpote puriores. Aquæ, quo fluunt longius, ut illæ Nili, eo grauiores euadunt, limoſæ magis & cœnoſæ, variis heterogeneis particulis fœtæ. Si dixeris limum ipſum vel Aquæ Niloticæ, vel aliuscunque conferre multum vi ſua abſorbente ad ſalubritatem, cur ergo tot & tantis moliminibus ipſi Ægyptii clarefaciunt Aquam ſuam Niloticam? & olim quidem colando per fictilia vaſa, teſte *Galeno ſimpl. Med.* L. I. hodie in fictilibus vaſis agitando cum Amygdalis contuſis, teſte *Alpino*, vel etiam ſimplici reſidentia.

TAB. CXXIV. CXXV.

Exod. Cap. VIII. verſ. 2-14.

Quod ſi tu dimittere renueris, en ego percutiam omnes terminos tuos Ranis.

Et ebulliet Fluuius Ranas, quæ aſcendent, & venient in domum tuam, & in conclaue cubilis tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domum ſeruorum tuorum, & in populum tuum, in furnos tuos, & in (a) farinam tuam aquis conſperſam.

(a) Poteſt etiam legi, in reliqua, vel in receptacula reliquiarum tuarum.

Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

Et ebulliet fluuius ranas: quæ aſcendent & egredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſeruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.

Sed



EXOD. Cap. VIII. v. 2-7.
Plaga Ranarum.

II. Buch Moſis Cap. VIII. v. 2-7.
Fröſch Plage.

I. G. Pinz sculp.

JCB



EXODI Cap. VIII. v. 2-14.
Ranarum Forma et Metamorphosis.

II. Büch Moſis Cap. VIII. v. 2-14.
Fröſch-geſtalt und Verwandlung.

I. G. Pinz sculps.

JCB

ed & in Te, atque in populum tuum, & in omnes ſeruos tuos aſcendent Ranæ.

Et dixit DOMINVS ad Moſen: Dic ad Aharonem, extende manum tuam, cum baculo tuo ſuper fluuios, riuos & ſtagna, ut adducas Ranas ſuper Terram Aegypti.

Et extendit Aharon manum ſuam ſuper Aquas Aegypti, & aſcenderunt Ranæ & operierunt Terram Aegypti.

Et fecerunt quoque ſic magi incantationibus ſuis, & adduxerunt Ranas ſuper Terram Aegypti.

Et vocans Pharao Moſen & Aharonem, ait, Orate ad DOMINVM ut auferat Ranas á me, & á populo meo, ut dimittam populum, & ſacrificent DOMINO.

Et dixit Moſes ad Pharaonem, (b) Gloriare de me, quando orabo? pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, ut exterminentur Ranæ á te, & á domibus tuis, & duntaxat in flumine ſuperſint.

(b) Poteſt etiam legi: ſis me præſtantior: vel: *du magſt dich des rühmen*, vel, *vertröſt dich des zu mir.*

Qui ait: cras. Et ille dixit: Juxta verbum tuum (fiat) ut cognoſcas, quod non eſt, niſi DOMINVS DEVS noſter.

Recedent itaque Ranæ á te, & á domibus tuis, & á ſeruis tuis, & á populo tuo, duntaxat in Flumine reliquæ erunt.

Et exiuit Moſes & Aharon á Pharaone, & clamauit Moſes ad DOMINVM propter Ranas, quas poſuerat Pharaoni.

Et fecit DOMINVS juxta verbum Moſis. Et mortuæ ſunt Ranæ de domibus, de (c) atriis, & de agris.

(c) Poteſt etiam legi, de villis.

Et collegerunt eas aceruatim, & (d) computruit Terra.

(d) Computruit pro fœtuit.

Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes ſeruos tuos intrabunt ranæ.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam ſuper fluuios, ac ſuper riuos & paludes, & educ ranas ſuper terram Ægypti.

Et extendit Aaron manum ſuper Aquas Ægypti & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Aegypti.

Fecerunt autem & malefici per incantationes ſuas ſimiliter: eduxeruntque ranas ſuper Terram Aegypti.

Vocauit autem Pharao Moyſen & Aaron, & dixit eis, Orate Dominum ut auferat ranas á me, & á populo meo: & dimittam populum, ut ſacrificet Domino.

Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi, quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ á te, & á domo tua, & á ſeruis tuis, & á populo tuo, & tantum in flumine remaneant.

Qui reſpondit: Cras. At ille: juxta, inquit, verbum tuum faciam: ut ſcias, quoniam non eſt ſicut Dominus DEus noſter.

Et recedent ranæ á te, & á domo tua, & á ſeruis tuis, & á populo tuo, & tantum in flumine remanebunt.

Egreſſique ſunt Moyſes & Aaron á Pharaone: & clamauit Moyſes ad Dominum, pro ſponſione ranarum, quam condixerat Pharaoni.

Fecitque Dominus juxta verbum Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.

Congregaueruntque eas in immenſos aggeres, & computruit Terra.

SI verum, quod *Cicero* ſcribit ad *Atticum.* L. XV. Ep. 16. *Pluuias metuo, ſi vera ſunt noſtra prognoſtica, Ranæ enim* ῥητορεύουσι, verum magis ῥητορεύειν heic Ranas, & coaxando per totam Ægyptum altiſſimi DEI deprædicare Gloriam, imò decantare, Pharaoni & Ægypto interitum vaticinari

Ranas intelligi debere per צְפַרְדְּעִים, non, ut quidam apud *AbenEſram* voluere, *Crocodilos*, patet 1. ex conſenſu omnium Interpretum. 2. quia Hebrææ Vocis veſtigia ſeruant nomina Chaldaicæ, Syriacæ, Samaritanæ, Arabicæ Linguarum. In *Meninzk. Lex.* legimus p. 853. Ranam Arabibus nuncupari *Zæfdæ*, *Zyfdy*, *Zufdu.* & p. 3046. *Zæfady*, *Zæfadi.* Pl. τοῦ *Zæfdæ*; accedit & Polonorum *Zábá*, Arabicé *Diphda* legit. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 1. pro *dipharde*, vel *diphrada* & ipſam Ebræam vocem צְפַרְדֵּעַ Arabicæ vult originis. 3. in Ranas, & non in Crocodilos quadrat uniuerſa Hiſtoria, imo Aquaticas non terreſtres.

Circa productionem Animalium occurrunt bene multa, quæ mirandam DEI deprædicant tum Sapientiam, tum potentiam. Id inter alia, quod huc apprimé facit, quod generationes non ſint inſtantaneæ, ſed ſucceſſiuæ, & longam ſæpe menſium & hebdomadarum poſcant moram ad usque Inſectorum minimorum metamorphoſes, quia Lex hæc tardarum mutationum in naturam á Creatore ſummo eſt introducta, erunt per conſequens momentaneæ quæuis productiones miraculoſæ. Talem vidimus ſupra in ſerpentibus; talem nunc obſeruamus in Ranis, quarum generatio naturalis neceſſariò eſt præmittenda, ut tanto reddatur clarior ſupernaturalis, & in Iconibus ſiſtenda.

Primordium hujus Amphibii Fig. 1. eſt *ouum rotundum* & nigricans, alimento, quod ſperma Ranarum dicitur, circum fuſum.

Rumpitur hoc *ouum* Fig. 2. & *Gyrinus* incluſus caput per fiſſuram extrahit.

Fig. 3. ſeſe magis prodit idem.

Elapſo certo tempore ſeſe extricat prorſus vermiculus Ranæ, & in Aqua natare incipit Fig. 4. craſſo, obtuſoque capite. Tunc vocantur Ranunculi *Gyrini*, *Giryni*, γέρυνοι, γυρῖνοι, aliis *Ranulæ*, βατραχίδες, μολούριδες, nobis *Roſsköpfe.*

Fig. 5. exhibent ſe excreſcentiæ minutæ juxta caput, quæ ſenſim tamen euaneſcunt.

Fig. 6. apparent oculi ſub Microſcopio ſatis magni.

Fig. 7. rotundum oris veſtigium.

Fig. 8. Appendicula Inteſtinulo ſimilis, quæ Gyrinorum eſt excrementum.

Fig. 9. Maculæ per cutim ſparſæ, ſtriæque elegantes in cauda.

Fig. 10. Pedes poſteriores, quorum digiti adhuc tenui cute circumdati.

Fig. 11. Pedes quoque anteriores. Hoc tempore Rana cauda oblonga & quatuor pedibus inſtructa figura ſua mentitur lacertam.

Fig. 12. Exhibet caudam anguſtiorem.

Fig. 13. Ranam perfectam, cauda depoſita, membris omnibus exertis. vid. *Swammerdam Hiſt. Inſect.* p. 194. *Olig. Jacobæus obſerv. de Ran. & Lacert.* p. 6.

Aperit vel ſola hæc paulatina, menſtrua ſaltem, Ranarum Metamorphoſis oculos, ut productionem Exercitus illius Ranarum, quo DEVS contra Pharaonem uti voluit, habeamus pro miraculoſo. *Extendit Aharon* ad mandatum DEI *manum ſuam ſuper Aquas Ægypti, & aſcenderunt Ranæ, & operierunt Terram Ægypti.* Dictum factum: Non heic locum habuit ſucceſſiua illa euolutio; Creatio heic adeſt, non Generatio, Digitus DEI, non lentus ſiue tardigradus Naturæ motus.

Fuerunt Ranæ dubio procul in Ægypto, Aquis ſtagnantibus plena, frequentiſſimæ, ut non fuerit vel palus, vel ſtagnum in quo non fuerint obuia hæc amphibia, ſed ſunt nunc præter morem copioſiſſimæ, ut quemadmodum Gothi illi & Hunni olim inundarunt Europam, Ranæ fuerint, ubi Aqua cunque, etiam in Vaſis domeſticis. Judæorum ſi fides eſt traditionibus, ubicunque locorum erat puluis & Aquæ gutta, fiebat Rana, & cum in calice potum Aqua temperabant, ſtatim implebatur Ranis: Non enim hauſerant Ægyptii Aquam cum ſpermate, ſed puram vel colatam.

Miraculum, ut ſupra ſerpentum, ita heic Ranarum, multum minuit, & tantum non ſuffocat Philoſophia Scholaſtica *generatione ſua æquiuoca*, cui & patrocinatur incomparabilis aliàs *Bochartus.* Sane ſi non ex coitu duntaxat, ſed & ex limo & limoſis Aquis producuntur Ranæ, ſi, juxta *Ouidium Metam.* v. 375.

Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat, atque eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior ſuperat partes menſura priores.

Poterat adeo numeroſa progenies tribui naturalibus cauſis, fœcunditati ſingulari Limi Nilotici, forſan & concurrentibus ventis, influentibus ſideribus, diſpoſitioni Aeris productioni aptæ, calido-humidæ: Sane de limo Nili, ejusque fœcunditate multa prædicat citatus Poëta *Metam.* v. 422. ſeqq. Nec ad Ranas duntaxat ſed & ad *mures Nili* ubertatem extendit *Diodorus.* L. I. Sane Nilus πολύγονος dici poteſt, & ita cluet *Ariſtoteli*, *Straboni* L. XV. γόνιμος μᾶλλον ἑτέρων, etiam ſublata generatione æquiuoca, quam Experimentis indubiis & ratiociniis ſolidiſſimis ex omni Schola profligarunt moderni Scrutatores Naturæ, proin & miraculoſæ huic Ranarum productioni nouam afferunt lucem, ut non duntaxat,

quod

quod *Bochartus* vult, in eo fuerit miraculum, quod 1. Ranas Nilus tanta copia produxit. 2. illas eo ipſo momento produxit, quo juſſus eſt. 3 Ranæ illæ naturali Elemento relicto ad hominum urbes & domos ſe contulerunt. 4. quod omnes die dicta funditus perierunt, ſed 5. in productione ipſa, quæ non fuit generatio, ſed Creatio.

Eſt res nec mira, nec noua, ſi Ranæ ex fluuiis & ſtagnis aſcendant in Terram, ſunt ἀμφίβια. Audi Ranam ipſam in βατραχομυομαχία

Ἀμφίβιον γὰρ ἔδωκε νομὴν βατράχοισι Κρονίων,
Σκιρτῆσαι κατὰ γῆν, καὶ ἐφ' ὕδατι σῶμα καλύψαι.

Ancipitem enim ranis victum dedit Saturnius,
In terra ſalire, & in Aqua corpus tegere.

Sed aſcendere in domos, in cubicula, lectos, furnos, mactras, res eſt inſolita, & mira, ſi quæ. Ducitur Exercitus hic DEI, imo pellitur vi quadam θεηλάτῳ. Sed ridiculus R. *Juda* filius *Salom*, qui τὸ aſcendere de ſtatura intelligit non de ſitu. Urget alia difficultas, quomodo potuerint Hoſpites hi Amphibii ædium intima & arcana, clauſis oſtiis ac feneſtris, penetrare. Sed nodum mox, &, ſi ita tibi placet, feliciter ſoluit. R. *Ezechias* in *Semoth-Rabba. Si hac ratione id factum, non percuſſæ ſunt Magnatum domus, quæ ex Marmore & lapidibus cæſis conſtabant. Quin diſce Ranam ex Abyſſo aſcendentem marmori dixiſſe, da mihi locum, ut aſcendam, & Creatoris mei voluntatem exequar, & illo marmore diffiſſo aſcendebat.* Non minus ridiculi, qui ranas volunt irrepſiſſe per penetrationem dimenſionum, eſſentialem ſic materiæ proprietatem ſublatam prætendentes; illi item, qui Angelos, horumque miniſterium accerſunt, ſic autem miracula præter neceſſitatem multiplicant. Ranas vult *Bochartus*, vel *per parietum rimas, quomodo muros & colubros in ædes penetraſſe, vel etiam per oſtia, quæ ſemper clauſa eſſe non poſſunt.* Addo creatas fuiſſe in ipſis ædibus, & Ædium intimis, ubi fuit Aqua Nilotica in vaſis, quibuscunque. Pergunt, ut ſolent nugari Hebræi Doctores, & dicunt, non impetiiſſe duntaxat Ranas Ægyptiorum corpora, ſed in media horum viſcera ſubintraſſe. Quibus nollem contradicere, nî foret commentum. Nam æque poterat gutta aquæ Niloticæ in ipſo ventriculo mutari in Ranam, ac foris in quopiam Vaſe. Minus adhuc audiendi, qui unicam volunt Ranam exiiſſe é flumine, & poſt in tot, quot omnia ſtagna & riuos impleuerunt, examina eſſe diuiſam. Non minor forte hæc fuerit illa, de qua in *Bavâ Bathra.* c. 5. f. 73. b. quæ erat magna, ut pagus Hagaroniæ ſexaginta domorum deglutita mox á Dracone, Draco autem á Coruo. Nugarum nullus finis. Vult R. *Eliezer*, *Azariæ* filius, Ranam fuiſſe unicam, quæ ſibilo reliquas euocauit, ut venirent.

Quid ſi *Ranas pluiſſet?* Ceſſaret ſic omne miraculum, admiratio omnis. Sane nec exemplis caremus, nec authoritate. De denſiſſima ranarum pluuia circa *Pœoniam* & *Dardaniam* extat teſtimonium *Phœniæ*, qui *Ariſtotelis* fuit diſcipulus, apud *Euſtath.* in *Iliad.* L. I. p. 26. *Heraclidis Lembi* apud *Athenæum.* L. VIII. c. 2. imo &, ſi recentius deſideres teſtimonium *Plot. Nat. Hiſt. of Staffordshire* p. 23. Viri de Hiſtoria naturali Angliæ meritiſſimi, ut alios taceam. Exiſtimauerim ego latitare hîc fallaciam non cauſæ ut cauſſæ. Concipi ſane nequit, quod ex ſpermate, licet ventorum vi in aëra ſublato, poſſint momento fieri illæ pro Ranarum generatione neceſſariæ Metamorphoſes, de quibus ſupra; vel ex halitibus Atmoſphæram replentibus formari oſſa, cutim, carnes, cor, hepar, viſcera omnia. Sudo cœlo, certa & adæquata Aeris conſtitutione, pluuia inſtante, vel lapſâ, multæ vias occupant Ranæ, ergo cœlo ſunt lapſæ. Bella conſequentia! Docent nos Naturæ obſeruationes, non Ranas ſolas, ſed quoque alia Animalia, Limaces, Vermes, Lacertas, illo tempore prodire é ſuis latebris.

Sunt *Ranæ* neque noxium Animal, neque venenatum. Dentibus carent, & aliis nocendi organis. Videtur id minuere plagæ grauitatem, imo vero quæruntur in cibum, & menſis etiam delicatulorum, inprimis Jejunii quadrageſimalis tempore, importantur. Sed propius Hiſtoriam inſpice, videbis, vix fuiſſe ſenſum, cui non moleſta fuerit Ranarum multitudo. *Vocans Pharao Moſen & Aharonem, dicit, Orate ad DOMINUM, ut auferat Ranas á me, & á populo meo, & dimittam populum, ut ſacrificent DOMINO* v. 8. *Horrendum*, verba ſunt *Bocharti*, *erat ſpectaculum, non ſolum agros, ſed & urbium plateas, atque ipſas domus videre, tam turpi agmine ſcatentes. Et aures fatigabat continua coaxatio; Nec palato ſapiebant cibi illarum contactu fœdati. Nocturnam quoque quietem interturbabant tam importunæ* σύγκοιτοι. *Teter denique mortuarum odor, ſæuam Mephitim exhalabat.* Graphicé hanc plagam deſcribunt Judæi *Philo Vit. Moſ.* L. I. *Joſeph. Ant.* L. II. c. 5. Et, quid quæſo fuiſſet mirum, ſi tanta calamitate preſſi Ægypto emigraſſent omnes inquilini, & alias Terras quæſiuiſſent. Ut ſane proſtant exempla Nationum â Ranis ſedibus ſuis pulſarum, *Ciuitatis* cujusdam *Gallicæ* apud *Plin.* L. VIII. c. 29. ex M. *Varrone*; *Abderitarum* in Thracia ap. *Juſtinum* L. XV. ex *Trogo. Pœoniorum* & *Dardaniorum* teſtibus ſupra citatis, *Aphthariatas* hos vocat *Agatharchides* L. V. c. 28. *Autoriatas Diodorus* L. III. *Ælian.* L. XVII. c. 41. Sed vix obſeſſis undique euadendi fuiſſet locus, hoſte omnes vias præcludente.

Sed quid de Ranis, quas produxere Incantatores? *Et fecerunt quoque ſic Magi incantationibus ſuis & adduxerunt Ranas ſuper Terram*

 Ægypti.


Ægypti. Fueruntne & hæ miraculoſæ? Neutiquam meo judicio. Quid facilius fuit Pantomimis, quàm Ranas aliunde allatas, quas forte in ſinu geſtabant, Pharaoni pro nouiter fabricatis offerre? Tribuerem id ſane agilitati potius Magorum, quam Dæmonibus, quorum præſtigiæ, quousque vires ſuas extendant non conſtat. Subueniret rurſum præſtigiatoribus Philoſophia illa Scholarum, quæ ex putri limo ranas prouocat. Incertum, an Magos aduocauerit Rex in auxilium, ut plagam amolirentur, an ut experimenta eadem, quæ viri DEI facerent? Si prius, Dæmon non Medici ſed carnificis vices geſſit, nouis Ægyptum cumulans plagis. Sane Pharao á Magis ſuis deluſus ad Moſen confugere fuit coactus v. 8. *Et vocans Pharao Moſen & Aharonem, Orate ad DOMINVM, ut auferat ranas a me, & a populo meo, & dimittam populum, ut ſacrificent DOMINO.* DOMINO, de quo Idem Pyrgopolynices Exod. V. 2. *Quis eſt DOMINVS, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraelem?*

Miraculo, id eſt potentiſſima DEI manu fuerunt Ranæ, ut Ægypto inductæ, ita ſublatæ, ut videret Tyrannus, eundem eſſe, qui infligit & ſanat. Et ut pleniſſimé de hoc perſuaſus eſſe poſſet Pharao, dat ei Moſes temporis optionem, & præſcribit ille diem, quo Ranæ amoueantur. Oſtendere vult DEVS ſe eſſe, ut potentiſſimum agens, ita liberrimum. Ita condeſcendebat *Achazo* Regi Jeſ. VII. 11. *Ezechiæ* II. Reg. XX. 9. Petit Rex diem craſtinum, ut is ſit dies liberationis. Sed cur non præſentem? cur non momentum præſens? ſunt enim & momenta pretioſa, & quo citiora, eo gratiora. Nugantur Judæi ex nimio erga Aſtrologiam judiciariam amore, ſciuiſſe Pharaonem, quod ſtellarum conſtitutio Ranas in Ægyptum induxerit, & jam inſtare tempus amotionis, proinde ut tentaret Moſis vires, an Conſtellationibus ſint ſuperiores, procraſtinaſſe illud tempus. Conjectat *Bochartus*, fortaſſe Moſen & Aharonem vocatos fuiſſe á Pharaone ſub veſperam, nec auſum eſſe hanc liberationem petere inſtantaneam, quia rem tantam non credidit poſſe impetrari, niſi multis precibus. Alii alia. Quidquid ſit, annuit petito. Moſes, fide miraculorum pollens, ſpiritu DEI actus *clamat ad DEVM ſuper Verbum Ranarum*, id eſt, ut vertimus, *propter Ranas*, propter Verbum, fidem, qua Moſes ſe Pharaoni obſtrinxerat, non certe propter importunas Ranarum locutulearum ὀλολυγόνας in medio Ægyptiorum corpore coaxantium, ut ſomniant Judæorum Magiſtri. Annuit precibus Moſis DEVS. *Et mortuæ ſunt Ranæ de domibus de Atriis & de agris.* Vana de ſublationis modo diſquiſitio, quemadmodum de modo inductionis. *Si ſpiritum his eripias, expirant, & reuertuntur in ſuum puluerem.* Pſ. CIV. 29. Ranas fulmine ſubactas vult *Alcimus Auitus*, qui forte ſimile quid legit in *Batrachomyomachia.* Poterat DEVS Ranas annihilare, in Terram limumue reſoluere, ad Nilum ejusque paludes relegare. Sed maluit has alieni criminis victimas interficere, ut mortuas ubique viderent Ægyptii, & digitum DEI agnoſcerent. Tantus autem fuit numerus, *ut collegerint eas aceruatim, & computruerit terra.* Nugantur Judæi, unumquemque Ægyptiorum quatuor collegiſſe aceruos. Fœtore oppletum fuiſſe totam Atmosphæram Ægypti, quis dubitet? Ex innumeris in omni angulo Ægypti in putrilaginem redactis cadaueribus. Eſt, quem ſubiiſſet Admiratio, ſi ſubſecuta fuiſſet, ut familiaris ibi eſt peſtifera lues, ſecuta ſæpius locuſtarum examina mortua.

TAB.

JCB

T.A.B. CXXVI.



• Exodi Cap. VIII. v. 16-19.
Cinnim, ΣΚΝΙΚΕΣ Culices.

II. Buch Moſis Cap. VIII. v. 16-19.
Schnacken.

I.A. Fridrich sc

TAB. CXXVI.

Exod. Cap. VIII. verſ. 16-19.

Et dixit DOMINVS ad Moſen: dic ad Aharonem: Extende baculum tuum, & percute puluerem Terræ, ut vertatur in pediculos per totam Terram Ægypti.
Et fecit ſic & extendit Aharon manum ſuam cum baculo ſuo, feriitque puluerem Terræ, & redactus eſt in pediculos, tam in Hominibus, quam jumentis. Omnis puluis Terræ verſus eſt in Pediculos in tota Terra Ægypti.
Et fecerunt quoque ſic Magi incantationibus ſuis, ut producerent pediculos, ſed non potuerunt. Fuerunt itaque pediculi in Hominibus & jumentis.
Dixerunt ergo Magi ad Pharaonem: Digitus DEI hic eſt. Et induruit cor Pharaonis, & non audiuit eos, quemadmodum loquutus fuerat DOMINVS.

Dixitque Dominus ad Moyſen, loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem Terræ: & ſint ciniphes in uniuerſa terra Ægypti.
Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens, percuſſitque puluerem terræ, & facti ſunt ciniphes in hominibus & in jumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in ciniphes per totam terram Ægypti.
Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educerent ciniphes, & non potuerunt. Erantque ciniphes tam in hominibus, quam in jumentis.
Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic, induratumque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut præceperat Dominus.

Obuiæ ſunt magnæ ſæpe difficultates, ut de rebus maximis, ita & de minimis. Occurrunt heic parui puncti animalcula כִּנִּים *Cinnim* in textu dicta, ſed qualianam ſint, multum diſceptatur.

Græci in Moſe & Pſalmis Σκνίπες reddunt, hinc Autor Libri Sapientiæ C. XIX. 10. ἐξήγαγεν ἡ γῆ σκνῖπα. *Origenes Homil. de Decem Plagis* habet *Scinipes*, *Hieronymus Sciniphes*, *Cinipbes*. Et ita Veteres omnes. Eſt autem σκνὶψ vel κνὶψ *Culex* ex Ulmo, Quercu & Ficu naſcens. Θηρίον vel θηρίδιον κωνωποειδὲς memoratum *Theophraſto Hiſt.* L. III. c. 14. L. IV. c. 17. Dioſc. L. I. Arabibus *bak* & *bakka*, item *bækk* & *bækkæt*. *Meninzk. Lex.* 2643. 5956. Eſt & Græcum σκνὶψ æquiuocum, & á *Galeno* aliquoties uſurpatur pro vermiculo, á quo vites infeſtantur. Sed hi ſunt proprié ἶπες non σκνίπες. Sané ſi כִּנִּים ſunt σκνίπες, intelligendi erunt Culices illi, circa paludoſa & aquoſa loca imprimis degentes, Hominibus Animantibusque infeſti, ſeu ἐμπίδες, quorum maxima alias in Ægypto copia, qui *Bellonium* cum comitibus ita circa Cairum vexauere, ut Exanthematibus correpti viderentur *Obſ.* L. II. c. 35. qui *Myuntem* urbem vaſtauere, *Acarnenſes* urbe ſua depulere, ut legitur apud *Pauſaniam in Achaicis*.

Nondum quidem euoluta plene integra *Culicum* Hiſtoria, interim ex *Jonſtono Inſect.* Tab. X. varias in margine ſiſto ſpecies, & ex *Swammerdam Hiſtor. Inſect.* p. 95. *culicem aquaticum*, ubi A. ſiſtit vermiculum, e quo culex naſcitur, naturali, B. aucta per Microſcopium magnitudine. C. Nympham ex vermiculo, naturali, D. aucta magnitudine cum ſingulis ſuis partibus, Capite, thorace, ventre infimo, oculis, aculeo, antennis, alis, pediculis. E. culicem maſculum, naturali, F. aucta magnitudine, ubi de capite prodit medias inter particulas prominulas aculeus a. Oculi prægnagni b. Antennæ in 12. nigricantes globulos diuiſæ, lanugine quadam circumueſtitæ ſeu piloſæ. c. comites aculeo particulæ d. é fronte prominentes, triplici articulatione diuiſæ, itidem

piloſæ. e. eſt aculei vagina. f. Thorax, qui continet Pedes, g. alas. h. & binas appendices ſeu malleolos i. Pediculi k. 7. conſtant articulis, & deſinunt in duos uncinatos unguiculos, l. inueſtiti ſquammulis Lanuginoſis. Alæ membranoſæ cinguntur limbo lanuginoſo. Venter infimus m. in 8. articulos, uti quoque in Vermiculo & Nympha diuiſus, prorſus lanuginoſus. G. exhibet Culicem fæmellam auctâ, H. naturali magnitudine. Corrigit *aculeum* Swammerdamianum *Leeuwenhoek. Exper.* & *Contempl.* p. 148. Vultque culicem aculeum ſuum non euibrare, ſed thecam ſeu vaginam ex altero latere aperire, aculeumque non eſſe unicum, ſed veluti quadruplicem ex 4. partibus diſtinctis conſtantem. Siſtit I. thecam & aculeum in extremo hamatum & n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. partes ſeu organa, é quibus integer aculeus componitur, tum ſeparata ab inuicem, tum in vario ſitu exhibita: unde conſtat, culices profundius lædere, quam vel pediculos, vel pulices, & aculeis extractis, cuteque mox clauſa neceſſario ſequi tumorem, ſanguine é vaſculis læſis extrauaſato: Eſſe Culicem ζῶον ἀργαλεώτατον, κνησμοὺς ἐπιποιοῦν ἀηδεῖς καὶ βλαβερωτάτους, *Animal moleſtiſſimum, injucundos & valde noxios pruritus excitans.* Phil. L. I. Vit. Moſ.

TAB. CXXVII.

Sed non ſunt כִּנִּים *Culices* verum *Pediculi.* Rationes, quæ pro his militant ſunt apud *Bochartum* ſequentes, porro excutiendæ. Non in σκνῖπας proprie dictos, neque in ἐμπίδας, paluſtres Culices, quadrant, quæ refert Moſes de ortu τῶν *Cinnim* é puluere Terræ; quod tamen Argumentum mihi non videtur ſtringere. A naturali generatione ad miraculoſam productionem non valet conſequentia; Sed æque naturalis productio eſt é puluere Terræ: quinimo poſſet inuerti in ſenſum prorſus contrarium, & dici, voluiſſe DEVM oſtendere, ſe non eſſe alligatum ad ordinarias Leges Naturæ, & ex puluere ſicciſſimo producere poſſe, quæ ſolitus Naturæ curſus profert ex limo, imo, quid dico? ex puluere? ex Nihilo. 2. Quod Cinnim legantur fuiſſe in *Hominibus* & *Jumentis*, quod Pediculis conuenit magis quam culicibus, qui licet & Hominibus & Jumentis ſint infeſti, iis tamen non conſtanter ut pediculi, adhæreſcunt; πάρεισι, καὶ οὐ πάρεισι, ὁμοῦ δὲ φεύγουσι καὶ μένουσι καὶ περιιππεύουσι τὸν ἄνθρωπον τῷ πτερῷ, *adſunt & abſunt, ſimulque fugiunt & manent, aliisque hominem obequitant*, ut ſcite *Achilles Tatius.* Sed nec hoc argumentum eſt demonſtratiuum. Plaga certe fuit magna, imo maxima, ſi integri adfuere culicum exercitus, ſi unicum hominem ambiit turma, ſi auolantibus poſt illatum ictum 50. adfuerunt illicò 100. alii, ſuis quique aculeis parati. 3. Pediculis fauet Etymologia כון *Cun*, in Niphal נָכוֹן *nachon*, ſignificat *ſtabile* eſſe & *firmum.* Sunt proin כִּנִּים *firmum* & *ſtabile* Animalculum δυσαφαίρετον ἀπὸ τοῦ σώματος *Ariſtot. Hiſt.* L. V. c. 31. Habet hoc Argumentum non majus pondus, quam alia ex Grammatica deſumta. 4. Talmudicis כִּנָּה *cinnah* eſt *pediculus.* 5. ab eodem verbo כון vel Pihel כּוֹנֵן ortum videtur Græcum κόνις pro *lende* ſeu *ouo pediculi.* Forte & ex כִּנִּים facta κικνία μικρὰ φθειρία pro κιννία vel κινία. Sed eſt & hoc Argumentum precarium. 6. ex כִּנִּים factum כִּנָּם *Cinnam* cum M. epenthetico pro pediculorum copia, Exod. VIII. 17. Addo ex permutatione Literarum N. & L. ortum eſſe Arabum *Kehle Meninzk.* Lex. 4105. forte & *kælez* apud eundem p. 3746. *kæmkam*, *kæmkamet*, *kæmlet* p. 3762. 7. Autoritas adeſt Joſephi, qui φθεῖρας habet, Chaldæorum, *Jonathanis* & *Onkeloſi*, *Syri*, *Samaritani*, *Arabum & Hebræorum* omnium Lexicographorum, *Mahommetanorum*, &c. quod ſtringit præ omnibus Argumentum.

In pediculorum genere non ſubſiſtit amiciſſimus quondam mihi, νῦν ἐν ἁγίοις *Mich. Frid. Lochner* in ſua de *phtiriaſi Cordis Plinii Valeriani Commentatione Miſcell. Curios.* Cent. VIII. Obſ. 1. ſed ſpeciem ipſam determinat, quod fuerint hi Ægyptiorum pediculi non vulgares Capitis, ſed ferales, Arabibus *Filiæ durouz* id eſt, futurarum aut commiſſurarum dictæ, & Zecca, quam vocem à ſugendo deriuat *Ferrarius Orig. Ling. Ital.* p. 318. quaſi *ſugica*, *Zicca. Piatulæ*, *Platulæ* Italis, Vaſconibus *Pezzoladæ*, Gallis *Morbions*, Germanis *Filzläuſe*, *Blattläuſe*, quod pediculorum genus non in Inguine tantum nidulatur, ſed in omnibus partibus capillaturâ conſeptis.

Imo vero conjectare licet, fuiſſe hos pediculos כִּנִּים non unius generis, ſed multiplicis & multiuarii *Hominibus* & *Jumentis.* Occaſionem huic conjecturæ dant modernorum Naturæ Scrutatorum obſeruationes, quæ certos nos reddunt, eſſe non hominibus duntaxat, ſed & ſingulis Animantibus, Bobus, Equis, Canibus, Ouibus, Capris, Piſcibus, Inſectis, Auibus ſuos pediculos. Ita ut Commentarii locum ſuppleret tota, qua late patet, pediculorum Hiſtoria. Hæc meditatio ſi locum habet, Brachium τοῦ παντοκράτορος magis adhuc, quam ſi in una ſubſiſteremus ſpecie, manifeſtat. His cogitatis & ſubſcribit magnus *Bochart*




EXODI Cap. VIII. v. 16-19.
Cinnim, pediculi.

II. Buch Moſis Cap. VIII. v. 16-19.
Läuſe.

I. G. Pinz sculps.

JCB

RPJCB



EXODI Cap. VIII. v. 16-19.
Pediculi Geneſis.

II. Buch Moſis Cap. VIII. v. 16-19.
Natürliche Lauß-Zeügüng.

I. A. Friderich, sculp.

…chart Hieroz. P. II. L. IV. c. 18. En interim …ex *Redi Opere intorno agli Inſetti* Tav. 19. aliquot ſpecies aucta magnitudine deſignatas, quæ Ægyptios coronæ inſtar ambiunt.

A. Piatulam.
B. Pediculum Capreoli.
C. Cameli.
D. Aſini.
E. Arietis Africani.
F. Gallinæ Guineenſis.
G. Cerui.
H. Tigridis.

TAB. CXXVIII.

INterim é re erit præſenti, & illuſtrando miraculo ſeruiet mira *Pediculi* vel vulgatiſſimi ſtructura & generatio. Ortus animalculo huic ex *Lende*, Fig. I. qui illi pro ouo. Adeſt hoc magnitudine & naturali, & ſub microſcopio aucta, in ſuperficie externa veluti botryoidibus quibusdam particulis inæquale. Fig. 2. Lendem exhibet hoſpite ſuo, qui jam exiit vacuam. Unde ſtatim patet cita & generatio, & multiplicatio, quæ anſam dedit veriverbio, pediculum 24. horarum ſpatio abaui ac tritaui perſonam ſuſtinere. Fig. 3. ſiſtit pediculum ipſum, Nympham ouiformem. Fig. 4. eundem paulo majorem. Fig. 5. ſtatæ ætati proximum. Fig. 6. perfectæ ætatis, qui tralucens eſt prorſus, & conſpectui ſiſtit interanea quæque, etiam venas, arterias, Inteſtina contortuplicata. A. exhibet pediculum, prouti videtur á tergo. B. inuerſum. Pleniorem deſcriptionem ſi deſideres, adi *Swammerdam Hiſt. Inſect.* p. 64-169. Majoris formæ, vel maximæ pediculum ſiſtit Fig. C. ex *Hook. Microgr.* p. 211. Fig. D. unam e ſex ungulis pediculi ex *Leeuwenhoek Contin. Epiſt.* p. 70. ubi E F G. eſt magnus Unguis, quo pediculus neceſſe habet in corpore nullis crinibus obſito, ad apprehendendum ſupremam cuticulam, ut aculeum, quem in capite conſeruat, & mediante quo ſanguinem é cute extrahit, vi quadam corpori imprimat, & partibus H. ac I. crines veluti digitis prehendat. Unde patet, cur milites pluuia madidi magis á pediculis infeſtentur, quam tempeſtate ſicca? quando pediculus aculeum ſuum ex capite ſine ore in cutem deducit, tum á veſtibus in corpus non eſt comprimendus, ſed laxo illi opus eſt loco, ad anteriorem corporis ſui partem, quam incuruare non poteſt, multo minus, quod alias ſæpe fit, in capite conſiſtere, proinde cum alimentum hoc modo recipere nequeat, cuti ſæpe iſtum infigit aculeum, quem in poſteriore corporis parte gerit, & pruritum excitat. Ex ejusdem Lyncei Viri *Experim. & contempl.* p. 386. ſiſtitur Fig. K. pediculi caput, in quo videntur duo Oculi admodum nigri, duo perfecta cornua, articulata, pilis obſita, papilla item, quam Pediculus eſurus paulo longius educit, & ex qua aculeum ſuum profert. Fig. L. exhibet aculeum extra Papillam prolatum, Thecâ veluti incluſum, in extremo aliquantulum fiſſum.

Demit haud parum miraculo æquiuoca Scholarum generatio. Certiſſimi ſumus pediculum generari ex ouo, & in eo jam eſſe formatum actu, non ἐκ τῶν σαρκῶν, *é carnibus putrefactis*, ut voluit *Ariſtoteles Hiſt Anim.* L. V. c. 31. non ἐξ ἅιματος διαφθαρέντος, *ex ſanguine corrupto*, ut *Theophr. de cauſ.* L. II. c. 12. L. XXVI. c. 13. non ex ſudore & ſordibus, quod ſtatuêre *Galenus* L. I. de *compoſ. Med.* c. 7. *Auicenna Can.* L. IV. *Fen.* 7. *Tr.* 3. c. 26. Aliud eſt, naſci in his omnibus, ὅταν ὑγρασία πολλὴ ἐν τῷ σώματι ᾖ, *cum in corpore multa eſt humiditas*, ut *Ariſtoteles* ait, aliud ex, aliud dare locum & habitaculum Animalculis corpus exeſuris, aliud eſt materia ipſa, & cauſa formans. Diſtant hæc in immenſum. Creatio adeſt & in generatione ordinaria, relatiuè nempe ad primam pediculi productionem, adeſt & in immediata hac pediculorum, qui Ægyptios, eorumque jumenta infeſtarunt, productione, ergo Miraculum. Non permittit infiniti artificii ſtructura, quam hunc ipſum in finem exhibui, ut ſentiamus aliter. Valuit & hæc argumentandi ratio apud *Plinium.* L. XI. c. 2. ubi de *Culice.* Non erit textus ipſe extra rhombum, quia ſunt, qui per כנים *Culices* explicant. *In magnis ſiquidem corporibus, aut certe majoribus, facilis officina ſequaci materia fuit. In his tam paruis, atque tam nullis, quæ Ratio, quanta Vis, quam inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocauit in culice? & ſunt alia dictu minora. Sed ubi viſum in eo prætendit? ubi Guſtatum applicauit? ubi Odoratum inſeruit? Ubi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? depoſuit jejunam caueam, uti aluum? auidam Sanguinis & potiſſimum humani ſitim accendit? Telum vero perfodiendo tergori, quo ſpiculauit ingenio? Atque ut in capaci, cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminauit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet.*

Uti DEVS voluit ad compeſcendos Ægyptios, & grauiter puniendos οὕτως ἀφανέσι, καὶ ἠμελημένοις ζώοις, tam vilibus & contemtis animalculis, ſeu culices fuerint, ſeu pediculi, non Urſis, Pardis, Leonibus, Aſpidibus, Crocodilis,

dilis, aliàs Nili incolis: eligere quod ſolet, media imbecillima, ſed ea viribus dotare ſummis; ut de Hoſtibus ſuis triumpharet eò gloriosſius, eorumque ſuperbiam magis retunderet. Et forſitan afflicti præ aliis tum Sacerdotes, tum Magi Ægyptii. Forſan in plagæ hujus memoriam tertio quoque die corpus eradere ſolent Sacerdotes, ἵνα μήτε φθεὶρ μήτε τι ἄλλο μυσαρὸν ἐγγίνηταί φι θεραπέυȣσι τȣ̀ς Θεȣ̀ς, *ne Deos colentibus pediculus aut quid aliud inſit immundum*, ut ſcribit *Herodotus*. L. II. c. 37. & eosdem lineis veſtibus indui tradit *Plutarchus in Iſide*, quia linum eſt ἥκιςα φθειροποιὸν minime pediculos gignit.

Manifeſtauit & in hoc DEVS potentiam ſuam, quod Magi cum omni ſua arte pantomimica ſuccubuerint, ingenué profeſſi *digitum DEI hîc eſſe*. En quam proferunt Hebræi Doctores rationem! Quod Diabolus non dominatur ſuper creaturam, quæ Hordei grano ſit minor. Sed quam ridiculam! Nonne & Muſcæ ſæpe grano Hordei ſunt minores, & tamen ipſi Hebræi Diabolum *Beelzebub*, *Muſcæ Dominum*, appellitant? Non potuere producere magi pediculos, quia DEVS noluit, imo nec pantomimos agere, ut ante, quia ligauit eorum agiles manus. Hunc *digitum DEI* δάκτυλον ΘΕΟΥ. Luc. XI. 20. *Spiritum*, *Virtutem DEI* agnouiſſe dicitur in lethali morbo & proprio & fœdiſſimo Exercitus ſui *Antiochus Epiphanes*. Digitus autem DEI hic idem eſt ac *manus DEI*, *ut cognoſcant hanc eſſe manum tuam, te DOMINVM feciſſe hoc*. Pſal. CIX. 27. Teſtantur hac ipſa confeſſione Magi, Moſen eſſe DEI Prophetam, ſe vero Θεομαχεῖν. Et tamen veritatem in injuſtitia detinent, DEI ſeruis pro viribus obſiſtere pergunt, ut in eos quadret illud *Medeæ*:

— — Video meliora proboque
Deteriora ſequor.

TAB. CXXIX.

Exod. Cap. VIII. verſ. 21. 22. 24. 29. 30. 31.

Alioqui non dimiſeris populum meum, en ego mittam in te, in ſeruos tuos, in populum tuum, & in domos tuas varii generis Inſecta, & implebuntur domus Ægyptiorum varii generis Inſectis, deinde & terra ipſa, in qua ipſi ſunt.
22. Et ſeparabo in die illa Terram Goſen, in qua populus meus habitat, ut in ea nulla ſint inſecta, ut intelligas, quod ego ſum DOMINVS in medio Terræ.
24. Fecitque DOMINVS ſic, & venerunt varii generis Inſecta, atque ea grauia in domum Pharaonis & in domum ſeruorum ejus, & in omnem Terram Ægypti, & corrupta eſt Terra ab Inſectis illis.
29. Et dixit Moſes, Ecce ego egrediens á te, rogabo ad DOMINVM, ut recedant Inſecta hæc á Pharaone, á ſeruis ejus, & á populo ejus cras, modo Pharao ultra ne fallat, ac populum ſacrificatum DOMINO non dimittat.

Quodſi non dimiſeris eum, ecce ego immittam in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muſcarum: & implebuntur omnes domus Ægyptiorum muſcis diuerſi generis, & uniuerſa terra, in qua fuerint.

Faciamque mirabilem in die illa Terram Geſſen, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ, & ſcias, quoniam ego Dominus in medio Terræ.

Fecitque Dominus ita: Et venit muſca grauiſſima in domos Pharaonis & ſeruorum ejus, & in omnem terram Ægypti: corruptaque eſt terra ab hujuscemodi muſcis.

Et ait Moyſes: Egreſſus á te, orabo Dominum, & recedet Muſca á Pharaone, & á ſeruis ſuis, & á populo ejus cras, veruntamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum ſacrificare Domino.

30. Et



EXODI Cap. VIII. v. 21-31.
ערב Plaga Muscarum.

II. Buch Moſis Cap. VIII. v. 21-31.
Arob, die Mücken-Plage.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB

o. Et exiit Moſes à Pharaone, & orauit ad DOMINVM.

I. Et fecit DOMINVS juxta Verbum Moſis, & abſtulit Inſecta illa à Pharaone, à ſeruis ejus, & à populo ejus, ut ne unum quidem ex eis ſupereſſet.

Egreſſusque Moyſes á Pharaone, orauit Dominum.

Qui fecit juxta verbum illius: & abſtulit muſcas á Pharaone, & á ſeruis ſuis & á populo ejus, non ſuperfuit ne una quidem.

VOcatur Inſectum, vel Inſecta, noua hæc Ægyptiorum plaga, in textu originali עָרֹב, Græcis κυνόμυια, quæ vox alias *impudentem* notat, eſt enim nihil impudentius *Muſcâ* & *Cane*. *Ælian.* L. VII. c. 19. *Heſychius* κυνόμυια ἀναιδὴς, καὶ ἰταμὴ καὶ θρασεῖα, τοσαῦτα γὰρ τὰ ζῶα κύων καὶ ἡ μυῖα. Sed hic κυνόμυια eſt muſcæ ſpecies, *Muſca canina.* Sic & Pſal. LXXVII. 45. Pſalm. CIV. 31. Non abſimilis *Tabano*, μύωπι, quod conſtat ex *Æliano Hiſt.* L. IV. c. 51. VI. c. 37. *Homeri Scholiaſte* in *Odyſſ.* χ'. Deſcribit hanc *Philo Vit. Moſ.* L. I. ut δηκτικὸν καὶ ἐπίβελον ζῶον, καὶ γὰρ πορρώθεν μετὰ ῥοίζε, καθάπερ βέλος ἐισακοντίζεται, καὶ ἐμπίπτεσα βιαίως, ... μάλα ἐγχρίμπτεται, *mordax & inſidioſum animal, nam é longinquo in teli morem cum ſtridore fertur, magno impetu ruens (cuti) maximé hæret.* Exiſtimat *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. c. 15. eſſe *Muſcas* illas majores, quas *militares*, ςρατιώτιδας, & *canes*, κύνας vocari dicit *Lucianus*, quæ τραχύταται τὸν βόμβον καὶ τὴν πτῆσιν ὠκύταται, *ſonitu aſperrimæ & volatu velociſſimæ.* Apud *Euſtathium* nonnulli per ι ſcribunt κινόμυια. Mutat *Hieronymus* κυνόμυιαν in κοινόμυιαν, *Epiſt.* 35. ad *Suniam* & *Fretellam*, ut ſignificet Muſcarum omne genus. Sed κυνόμυιαν conſtanter legunt *Hieronymo* antiquiores. Vocem deriuat Philo non á canina impudentia, ſed quia canibus maximé infeſta. *Plin.* L. XI. c. 38. *Eſt & volucre canibus peculiare ſuum malum, aures maximé lancinans, quæ defendi morſu non queunt.* Has deſcribit *Mouſetus Inſect. Th.* c. 11. & *Aldrouand. Inſect.* L. III. c. 1. *Muſcæ caninæ*, inquit, *aluô ſunt tumida, & plurimo plenæ ſanguine, quem ex Animalium corpore flagrantiſſime exugunt, ut ex earum acutiſſimis, & dolorificis morſibus Homines etiam ſæpe percipiunt.* Muſca hæc Canum Anglis vocatur *a Dogge Flye*, Germanis *Hundsfliege*, *Hundsmuk*, Polonis, *Pſia mucha*, & à *Mouſeto* deſcribitur, quod careat proboſcide, verum illius loco geminos dentes, ut Veſpæ, habeat, quos alté infigat cuti. Arabibus *Sadſa* vocatur, á nocendo & *Sira* quaſi hirſuta, diciturque Camelos, Aſinos & Canes inuadere. Turcis *Sezat Meninzk.* Lex. 2789.

Sufficit multis non una Muſcarum ſpecies, imo nec genus, עָרֹב *colluuiem* volunt Inſectorum. Aquila παμμυῖαν, *Hieronymus omne genus Muſcarum, Muſcas diuerſi generis, Muſcam omnimodam.* Arabes *mixturam ferarum, venenata Inſecta, & reptilia omnis generis.* R. *Selomo omnes venenatorum Animalium ſpecies, Serpentum puta & Scorpionum ſimul permiſtas: AbenEzra feras omnes maleficas permiſtas ut Leones, Lupos, Urſos & Pardos. Jonathan in paraphraſi mixturam beſtiarum agri.* Primus hujus Sententiæ Author *Joſephus* L. II. c. 5. θηρίων παντοίων καὶ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν ἐδεὶς ἀπηντήκει πρότερον τὴν χώραν αὐτῶν ἐγέμισεν. *Regionem eorum feris omnis generis & multiformibus impleuit, in quorum conſpectum antea nullus inciderat.* Placent nobis Tigurinis generali titulo *Inſecta, Unzifer.* His omnibus multa opponi poſſent, aliis plus, aliis minus. Excludendæ ante omnia feræ majores, Leones, Pardi, Urſi, Lupi, quæ aut potuiſſent foribus occluſis urbibus ac domibus arceri, aut ſi irrupiſſent vi, horrendam edidiſſent ſtragem: nec agminatim irruunt, imo nec ſe inuicem tolerant, quod & contra ſerpentes & ſcorpiones objici poteſt. De mixtura ſiue colluuie nihil ſacer codex. Militat potius contra v. 31. *Et abſtulit Inſecta illa* עָרֹב *á Pharaone, á ſeruis ejus & á populo ejus, ut ne unum quidem* (ne unus quidem עָרֹב) *ex eis ſupereſſet.* Reſtringi proin debet ad certum Animalium genus ad κυνόμυιαν.

Immiſit DEVS Pharaoni עָרֹב כָּבֵד *Cynomyjam grauem* i. e. multam, numeroſam, muſcarum caninarum numeroſiſſimum exercitum. Idem grauitatis ſenſus occurrit. Geneſ. L. IX. Exod. IX. 1. X. 14. Hab. III. 3. I. Reg. III. 9. Coll. cum 2. Paral. I. v. 10. Eſt & Latinis *graue multum, valde.* A graui hoc Exercitu dicitur *Terra* Ægypti *corrupta*, deuaſtata, continens pro contento, Terra pro incolis. Ita explicat Pſaltes Pſal. LXXVIII. 45. *Immiſit in eos turbam Inſectorum, quæ vorarent illos.* Sap. XVI. 9. Ὃυς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα. Perditi autem Ægyptii, quia aculeis puncti undique, & ſanguine exſucti. Et quis ſcit annon creatis his à DEO Cynomyiis indita præter ordinem fuerit major, dolorifica valde & venenata vis? Videtur ita ſenſiſſe *Philo* memorans Θεήλατον προσβολὴν — Θείην ἐπιφροσύνην, ἡ τὸ ζῶον ὥπλιζε *á DEO comitatum impetum — DEI impulſum, qui hoc animal armauerat.*

Sunt hæ Cynomyiæ immediatum Diuinæ potentiæ & juſtiſſimæ Nemeſis productum. De omni Muſca hoc ἐν παρόδῳ notandum ex Naturæ Hiſtoria, non cito generari juxta Leges

ges Naturæ. Eaſdem ſubeunt & paulatinas Muſcæ mutationes, quas Apes, Veſpæ, Culices. Hæ autem non cooperante ſingulari Aeris & Anni temperie, ſed a Moſe prædictæ, & veluti ἀπὸ μηχανῆς vocatæ, *venerunt* turmatim *in domum Pharaonis, & in domum ſeruorum ejus, & in omnem Terram Ægypti.* Accedit ſingularis prorſus, & vires Naturæ altiſſimé ſuperans circumſtantia v. 22. *Separabo in die illa terram Goſen, in qua populus meus habitat, ut in ea nulla ſint inſecta, ut intelligas, quod ego ſum DOMINVS in medio terræ.* Et quemadmodum DEI juſſu venerunt ingrati hi Hoſpites, ita & abierunt. Egrediens à Pharaone Moſes *rogat ad DOMINVM ut recedant Inſecta hæc à Pharaone & ſeruis ejus, & à populo ejus cras*, & ecce ad preces Viri DEI DEVS *abſtulit Inſecta illa á Pharaone & ſeruis ejus, & á populo ejus, ut ne unum quidem ex eis ſupereſſet* v. 31. Eſt hæc circumſtantia attentione tanto majori digna, quia Ægyptus teſte *Bellonio.* Obſ. L. II. c. 47. Muſcarum eſt diues. Quorſum autem hæ deuenerint, an ab Angelo quodam, ventoue Θεηλάτῳ in Mare fuerint præcipitatæ, an in Libyæ vicina deſerta pulſæ, determinare non licet.

In margine videre licet inter varias majoris moduli Muſcas:

Fig. I. Muſcam caninam.

Fig. II. Aculeum muſcæ equinæ, prouti ſub Microſcopio conſpicitur ex *Leeuwenhoek Experim. & contempl.* p. 152.

TAB. CXXX.

Exod. Cap. IX. verſ. 3-6.

Ecce manus mea erit ſuper pecora tua, quæ ſunt in agro; in Equis, in Aſinis, in armentis & gregibus Peſtilentia (erit) grauiſſima.

Et ſeparabit DOMINVS inter pecora Iſrael, & inter pecora Ægypti, ut non moriatur ex omnibus, quæ ſunt filiorum Iſrael, quidquam.

Et poſuit DOMINVS certum tempus, dicens, cras faciet DOMINVS rem hanc in terra.

Fecit igitur DOMINVS poſtero die rem hanc, & mortuum eſt omne pecus Ægypti: & de pecore filiorum Iſrael ne unum quidem mortuum eſt.

Ecce manus mea erit ſuper agros & ſuper equos, & aſinos & camelos, & oues & boues peſtis valde grauis.

Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Iſrael.

Conſtituitque Dominus tempus, dicens: cras faciet Dominus verbum iſtud in terra.

Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die, mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit.

Tyrannum hactenus & Terram Ægypti afflixit DOMINVS Ranis, pediculis, Cynomyiis: debebant illæ terroris plus inferre, quam damni, & ῥητορεύοντες Claſſicum canere; iſti aſpectu ſuo, numeroſá copia, & aculeis cuti infixis Ægyptiis fieri moleſti, hæ, illis & iſtis nîl proficientibus aculeos profundius ad carnem uſque infligere, & majores excitare dolores. Sunt hæ viæ DEI admirandæ. Commonefacit TER OPTIMVS peccatores mortales per Prophetas ſuos & miniſtros, ut heic Pharaonem per Moſen: Verbis nîl proficientibus pergit MAXIMVS ad Verbera, ſed & tum caſtigat punitque per gradus.

Poſtquam Ranæ, pediculi, Muſcæ caninæ inanes contra Cor Pharaonis fecere inſultus, mittit DEVS exercitum animalculorum infinite paruorum, quæ majores edere debebant ſtrages, quam Animalia & Animalcula iſta omnia. Ex Hypotheſi loquor illorum, qui peſtem & hominum & Pecorum verminio animato adſcribunt, lancinanti omnia & erodenti, partes fluidas & ſolidas deſtruenti,

com-



EXODI Cap. IX. v. 3-6.
Lues pecuaria.

II. Buch Moſis Cap. IX. v. 3-6.
Die Vieh-Seüche.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB

RPJCB



EXODI Cap. IX. v. 8. 9. 10. 11.
Bubones peſtilentiales.

II. Buch Moſis Cap. IX. v. 8. 9. 10. 11.
Peſt=Beülen.

I. A. Fridrich sculp

compagem corporis totius breui ſoluenti. Verminoſa hæc lues, ſi verminoſa eſt, de quo adhuc ſub judice lis, peruertit prorſus motum ſanguinis tum inteſtinum, tum circularem, deſtruit ſecretiones, lancinando partes neruoſas, ſpaſmos infert & conuulſiones, & erodendo Bubones, Carbunculos, cauſatur, citamque inducit Mortem. Formidanda inprimis eſt incredibilis horum Animalculorum multiplicatio, conueniens equidem Naturæ Legibus. Quo minora ſunt corpora animata, eo eſt generatio numeroſior, & citior; quó majora mole, eo & tardior & numero minor. Exemplum vidimus ſupra in pediculis, qui ſpatio 24. horarum fiunt Abaui. Seu Animalcula ſint cauſa Peſtis, ſeu Salia corroſiua, ipſa ſui paruitate veluti tot inuiſibiles é manu DEI vibratæ ſagittæ maximos & terrores inferunt & damna maxima. Curioſas, ſi quis, de hac lue obſeruationes habet *Carolus Franc. Cogroſſi nella ſua nuoua idea del male contagioſo de' Buoi* quæ prodiit A. 1704. inprimis vero hanc materiam exhauſit *D. Jo. Kanold* Medicus Uratislauienſis in *kurzer Jahr-Hiſtori von den Seuchen des Viehes*, Budiſſin, 1721. 8.

Sed Exercitus hi DEI, ſi ſunt animati, varii ſunt generis, non unius: dantur lues, quæ graſſantur tantum in bouino genere, aliæ in Equino, aliæ in ouillo. Sed heic aggrediuntur indiſcriminatim, quicquid ex Brutis carne conſtat, venis & Sanguine. *Manus* DOMINI fuit *ſuper pecora, quæ ſunt in Agris, in Aſinis, in Armentis* & *Gregibus.* Eſt lues adeo uniuerſalis extraordinarii quid, ſed fuit hæc inſuper miraculoſa. Patebit id ex circumſtantiis. Lues omnis peſtifera pecorum non transmittitur, niſi per contagium, nec hoc niſi per contactum, & ſic, uti & peſtis Hominum, tranſit ex Prouincia in Prouinciam, ex pago in alium, ex uno ſtabulo in aliud, hinc omne fere præcautionis momentum conſiſtit in interruptione commercii, in ſeparatione Animalium infectorum a mundis, proſcriptione Locorum á lue tactorum. Sed heic inficitur ſimul & ſemel, imo proſternitur, omne Ægyptiorum pecus, *& mortuum eſt omne pecus Ægypti.* Nec ſerpſit, ut ſolet malum pedetentim, contigit fatalis ille ſimul & uniuerſalis ictus præciſo & prædicto tempore. *Poſuit* DOMINVS *certum tempus dicens, cras faciet DOMINVS rem hanc in terra.* Nec opus habebant Iſraelitæ cuſtodibus limitaneis, non Commiſſariis, qui examinent Atteſtata tranſeuntium tum Hominum, tum Jumentorum, multo minus fuiſſet mancipiis illis licitum, vulgare Mandata, quæ juris ſunt Majeſtatici, & Ægyptiorum pecora á Terra Goſen prohibere. Aheneus murus fuit ipſe DEVS. *Separabit DOMINVS inter pecora Iſrael, & inter pecora Ægypti, ut non moriatur ex omnibus, quæ ſunt filiorum Iſrael, quidquam — Et ecce! de pecore filiorum Iſrael ne unum quidem mortuum eſt.*

TAB. CXXXI.

Exod. Cap. IX. verſ. 8. 9. 10. 11.

Et ait DOMINVS ad Moſen & Aharonem: Accipite vobis volas veſtras plenas fauilla fornacis calcariæ, & ſpargat eam Moſes cœlum verſus coram Pharaone.

Et dixit Dominus ad Moyſen & Aaron, tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone.

Eritque puluis ſuper uniuerſam Terram Ægypti, ut fiat in Homine & jumento Apoſtema germinans ulcera in uniuerſa Terra Ægypti.

Sitque puluis ſuper omnem Terram Ægypti, erunt enim in hominibus ac jumentis ulcera & veſicæ turgentes in uniuerſa Terra Ægypti.

Et tulerat fauillam de fornace calcaria, ſteteruntque coram Pharaone, & ſparſit eam Moſes cœlum verſus, & facta ſunt Apoſtemata germinantia ulcera tam in Hominibus, quam jumentis.

Tuleruntque cinerem de camino & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cœlum, factaque ſunt ulcera veſicarum turgentium in hominibus & jumentis.

Magi non poterant conſiſtere coram Pharaone, quoniam fuerunt Apoſtemata in Magis, & in omnibus Ægyptiis.

Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter ulcera, quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti.

ALtius rurſus in graduali pœnarum ſcala ſcandit juſtiſſimus DEVS, Ægyptios affligens *apoſtematibus & ulceribus* שְׁחִין פֹּרֵחַ אֲבַעְבֻּעֹת *ulcere germinante inflationes.* Non videntur inflationes hæ ulceroſæ *Bubones* vel *carbunculi peſtilentiales*, ſed tumores inflammatorii cum veſicis vel puſtulis in cute eleuatis, ſero acri urente plenis; Fuit hoc malum, quod in Peſte perrarum, commune Hominibus & jumentis, moleſtum potius quam lethale: nîl legimus de ſtrage magnâ vel hominum vel pecorum: imo vero, quod rurſus in Peſte rarum, obambulare poterant Ægyptii; Magi ſtitiſſe quidem ſe videntur coram Pharaone, ſed non conſtiterunt, ſcilicet absque inſigni doloris ſenſu & ſigno.

Sed qualecunque fuerit malum, fuit miraculo inductum. *Accipere* quidem debebant DEI miniſtri *volas plenas fauilla fornacis calcariæ (cineris de camino) & ſpargere eam cœlum verſus coram Pharaone, ut eſſet puluis ſuper uniuerſam terram Ægypti.* Aſt nemo non videt, ſignum potius hoc fuiſſe Iræ diuinæ, quam medium inducendi mali. Nullus heic naturalis nexus inter cauſam & effectum, fuliginem ſparſam & Peſtem, vel malum Peſti analogum. Tantum abeſt, ut *Fuligo* ſit potius Antidotum. Sane *Spiritum Fuliginis* oleoſum in dira illa Gallica Peſte, quæ Maſſiliam primum inuaſit, adhibuere haud infelici ſucceſſu pro ſudorifero. Et carbunculis imponi ſolet fuligo, Sal & Albumen oui. Spiritum fuliginis in lue pecorum laudant vel ſolum, vel Nitro, Theriaca & Aceto mixtum *Achat. Valent. Romeiſen von der Viehſeuche* §. 10. p. 13. *Kanold Jahr-Hiſtori der Viehſeuchen*, p. 77. Adde, quod malum hocce infeſtauerit omnes Ægyptios nullo habito diſcrimine vel Ætatis, vel Sexus, vel Temperamenti, vel dignitatis, neminem autem Iſraelitarum. Adoranda heic, ut in omnibus Plagis, Manus Altiſſimi.

Commoda heic ſe offert occaſio explanandi ſpecialius diram, quæ *Peſtis* nomine venit, Luem.

Prima ſit mentio morbi truculentiſſimi, *Peſtis* Exod. V. 3. *Et dixerunt: DEVS Ebræorum vocauit nos, licet nobis quæſo, ut eamus iter trium dierum in deſertum, & ſacrificemus* DOMINO DEO *noſtro, ne forte accidat nobis Peſtilentia, aut Gladius.* Morbi, cujus originem ex oriente per omnes Peſtis, quæ quidem Europam unquam deuaſtauit, Hiſtorias pulchré demonſtrarunt egregii Viri *Kanoldus* Uratislauienſis, & *Aſtruc* Monſpelienſis, uterque occaſione Peſtis diræ in Gallia Annis 1720. & 1721. furentis, ille quidem *in Send-ſchreiben von der Peſt in Marſilien, mit einigen reflexionibus, ſonderlich von dem wahren urſprung der Peſtilenz aus und in Orient. Leipzig,* 1721. hic *dans ſa diſſertation ſur l'origine des Maladies epidemiques, & principalement ſur l'origine de la peſte. Montpelier*, 1721. Longum nimis foret heic & inſerere, quæ doctiſſimi illi viri, Amici mei optimi, hac de re in medium proferunt; Id imprimis urgeo argumentum, quod ex textu citato deſumi poteſt. Allegat Moſes in conſpectu infenſiſſimi Regis pro argumento dimiſſionis obtinendæ perſuaſorio Peſtem, morbum Ægyptiis certe hauc incognitum, æque cognitum ac eſt bellum malum mundo coæuum. Quis eſt quæſo qui ſibi perſuadere poſſit, loqui Populi Iſrae litici procuratorem, imo DEI Oratorem extraordinarium, de re prorſus Regi & Ægyptiis ignotâ, quam certè riſu exploſiſſet Rex á ver DEI cultu, & populi Iſraelitici petito alieniſ ſimus? Imo vero ex propoſitione Oratoris in ferre licet, Peſtem, quam in Proſcenium ducit Morbum fuiſſe maximé notum, Ægypti en demium, & forte tunc vel in Ægypto, vel in vicinia jam graſſatum, quandoquidem profe ctionem populi proponit tanquam remedium abigendæ Peſti idoneum. Malum leue quod piam nec curaſſet Rex, nec propoſuiſſet ve comminatus fuiſſet Moſes. Produci debeba argumentum, quo dari poſſet ſupplication pondus. Omnino inferre licet, tantæ fuiſſ violentiæ & obſtinationis hunc morbum, u omnem Medicorum hactenus adhibitorum curam eluſerit, nec ſuperſtes ſit aliud, quam ſupremi DEI, ſumma deuotione colendi, auxilium, idque ὡς ἀπὸ μηχανῆς.

Diriſſimam luem tum inter Homines tum pecora, graſſantem fuiſſe Θεήλατον, tum Ægypto endemiam, conſtat ex ipſa plagarum Ægypto infligendarum & inflictarum Hiſtoria Exod. IX. 3. *Ecce manus DOMINI erit ſuper pecora tua, quæ ſunt in agro, in Equis, in Aſinis, in Camelis, in armentis & gregibus, Peſtilentia (erit) grauiſſima*, quæ pœnâ mox effe ctui fuit data v. 6. *ut mortuum ſit omne pecu Ægypti*: pœnâ ordinariâ, quam quidem ex perti fuerint hactenus Ægyptii, longe majo ac grauior. Clarius, quod volo, conſtat ex Deut. XXVIII. 21. *Adhæreſcere faciat tib DOMINVS peſtem.* Coll. cum v. 27. *Per cutiet quoque te DOMINVS ulcere Ægyptia co*; ad quem locum plura ſuo loco. Ex plu ribus aliis locis pœnarum comminatoriis in

Veter

Veteri Codice reperiundis colligere facile eſt, fuiſſe Peſtem tum in Ægypto, tum vicinis Prouinciis, Morbum omnibus cognitum.

Confirmat hanc theſin omnis omnium Ætatum Mundi Hiſtoria, adeo quidem, ut ſint, qui pleno jure *Ægyptum* pro *patria Peſtis* agnoſcant. *Ægyptiorum loca ſæpiſſimé á Peſte atrociter deuaſtari, — imo illius Gentis Peſtem aliis omnibus ſæuiorem atrocioremque eſſe*, teſtis eſt *Proſper Alpinus*, qui per aliquot annos Medicum ibi egit, de *Medicina Ægypt.* L. I. c. 15. licet *ex proximis finitimisque locis ſæpe aſportari* (nempe Græcia, Syria, Barbaria) *& in Aegypto ſponte rariſſime naſci* contendat, & quæ ex Barbaria in Ægyptum veniat, omnium eſſe ſæuiſſimam. De *Peſte*, tanquam morbo Ægypti endemio plura habent Octauian. *Roboretus de Febre peticulari.* p. 151. 152. qui & ipſe fuit αὐτόπτης; *Chriſtoph Fürer von Haimensdorf Reiſe nach dem gelobten Lande*; *Mich. Angelus Andriollus*, qui & ipſe in Turcia degit, *de Febr. & morb. acut.* L. IV. c. 2. Cairi, ubi quotannis ſæuit malum A. 1580. *Sex ſeptemue Menſium ſpatio 500000. Hominum peſte periiſſe*, ſcribit *Alpinus* l. c. & *Joh. Tucher Reiſe ins Heilige Lande* in populoſiſſima & ampliſſima hac duorum milliarium Germanicorum in diametro urbe quotidie 20000. ad 30000. Letho fuiſſe datos; conferri poſſunt *Joh. Helfreich Reiſe ins gelobte Land*, *von Walsdorff Turkiſch Landſtürzer.*

Quænam *cauſa* ſit primordialis Peſtis inde ab antiquiſſimis temporibus in *Aegypto*, vel etiam aliis vicinis, tum Orientalibus, tum Meridionalibus, Prouinciis graſſantis, Quæſtio eſt ſolutu difficillima. Quæſiuerit illam Theologus in particulari judicio quodam diuino, Ægyptiis plagam hancce bene meritam imponente, & in μνημόσυνον conſtans veritatis atque Juſtitiæ Diuinæ ad hos usque dies conſeruante; dixerit alius, eſſe hoc ſui generis venenum á Creatore alicubi, ut heic, in orbe Terrarum depoſitum, inde veluti ex Promtuario in alias Terras, Prouidentiæ ductu, transferendum. Sunt hæc Præſuppoſita, quæ ſuas patiuntur difficultates, & probam demonſtrationis vix ſuſtinent. Eſt venenum hocce peſtilentiale adeo ſubtile, ut ſenſus omnes fugiat, adeo occultum, ut ad hunc usque diem, quo hæc ſcribo, ne ex pernicioſiſſimis effectis manifeſtari potuerit, & fortè Secula tranſitura ſint ante, quam vel cauſa, vel ſpecifica huic malo remedia fuerint detecta. Inter cauſas Ægypto applicabiles Phyſicas adduci equidem poteſt ardor Climatis ingens, quem ſuffere non poſſent Prouinciæ illius incolæ, niſi certis anni temporibus temperaretur tum ab inundante Nilo, tum á Ventis ſeptentrionalibus, qui Campſim illos meridionales ardentiſſimos Menſibus Martio, Aprili, Majo cuncta feré ad putredinoſam fracedinem diſponentes ſufflaminent: Venti proin ipſi ab Arabia deſerta & Arenoſa ſpirantes: Nili ipſius Aqua á Junio usque in Septembrem ſtagnans, limoſa, tandemque in putrilaginem abiens: modus Ægyptiorum viuendi, non, ut Europæi ſolemus, in ædificiis editioribus, ſed depreſſis admodum, ventilatione carentibus, imò cauernis ſubterraneis: Diæta praua in aqua ſtagnante, carnibus bubulis & Camelinis, Piſcibus fracidis, caſeo putri, aliisque id genus conſiſtentis, unde & præ nimia infarctione cachectici ſæpe euadunt, & leproſi, quæ omnia fuſé expoſita legas in laudati *Kanoldi Marſill. Peſt.* p. 67. Ex iis, quæ adduxi hactenus, certiſſimum hoc eſt, DEUM Ter Maximum cauſam eſſe juſtiſſimam flagelli hujus efficientem. Clarum id ex Exod. V. 3. IX. 15. Leuit. XXVI. 25. Num. XVI. 46. XXV. 9. Jer. XIV. 12. XXI. 6. XXIX. 17. 18. LI. 1. Ezech. V. 12. XIV. 19. 2. Reg. XXIV. 15. Habac. III. 15.

TAB. CXXXII.

Exod. Cap. IX. verſ. 18-26.

Ecce ego depluam cras hoc ipſo tempore grandinem grauiſſimam, qualis non fuit in Ægypto ab eo die, quo fundata eſt usque in præſens.

Mitte igitur & coge pecus tuum, & quicquid ruri habes, quicquid vel Hominum vel jumentorum inuentum ruri fuerit, nec in domo collectum, ſuper illos deſcendet grando & morientur.

Qui itaque é ſeruis Pharaonis Verbum DOMINI metuit, curauit, ut ſerui ſui, & pecus ſuum domum fugerent.

Qui vero cor ſuum ad Verbum DOMINI non adcommodauit, reliquit ſeruos ſuos & pecora ſua in agro.

Et ait DOMINVS ad Moſen: extende manum tuam verſus cœlum, ut ſit grando in tota terra Ægypti, ſuper Homines, ſuper jumenta, & ſuper uniuerſam Herbam agri in Terra Aegypti.

Et extendit Moſes baculum ſuum verſus cœlum, & DOMINVS, edidit tonitrua & Grandinem, diſcurritque Ignis per Terram, & depluit DOMINVS grandinem ſuper Terram Aegypti.

Et fuit Grando & Ignis ſeſe recipiens intra Grandinem, grauiſſima quidem, & qualis non fuerat per totam Terram Aegypti, ex eo tempore, quo facta eſt gens.

Et percuſſit Grando illa in uniuerſa Terra Aegypti omne quod fuit in agro, tam Homines, quam jumenta, ſed & omnem Herbam

En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis: qualis non fuit in Ægypto, á die, qua fundata eſt usque in præſens tempus.

Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim & jumenta, & uniuerſa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur.

Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & jumenta in domos.

Qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit Seruos ſuos & jumenta in agris.

Et Dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cœlum, ut fiat Grando in uniuerſa Terra-Aegypti ſuper homines, & ſuper jumenta, & ſuper omnem Herbam agri in Terra-Aegypti.

Extenditque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper Terram-Aegypti.

Et grando & ignis miſta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in uniuerſa Terra-Aegypti, ex quo gens illa condita eſt.

Et percuſſit grando in omni Terra-Aegypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine uſque ad jumentum: cunctamque herbam agri per-



EXODI Cap. IX. v. 18.-26.
Grando Ægyptiaca.

II. Buch Moſis Cap. IX. v. 18.-26.
Egyptiſcher Hagel.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

agri percuſſit grando, & omnia ligna campi confregit.
Duntaxat in Terra Goſen, in qua fuerunt filii Iſrael, non fuit grando.

percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.
Tantum in Terra-Geſſen, ubi erant filii Iſrael, grando non cecidit.

POterat Maximus & juſtiſſimus DEVS, quod v. 14. 15. minatur, *mittere omnes plagas ſuas in cor Pharaonis, & in ſeruos ejus, & in populum ejus, ut intelligeret, quod non ſit ſui ſimilis in univerſa terra — percutere Pharaonem & populum ejus Peſte, & exſcindere é Terra*, verbo, & Tyrannum & ſubditos funditus delere ſimul & ſemel, idque innumeris modis. Sed placuit ipſi Pharaonem *conſtituere, ut oſtenderet ei potentiam ſuam, & ut enarraretur nomen ſuum in uniuerſa Terra.* v. 16. Inſigni & demonſtratiuo Juſtitiæ, Longanimitatis, & prouidentiſſimæ Sapientiæ exemplo. Debebat Pharao ante tranſire per varios variarum pœnarum gradus, quam deleri, & hoc ipſo Potentia Summi Numinis eo magis glorificari. Ex plagarum Ægyptiis inflictarum ſerie occurrit nunc ſupra naturalis prorſus tempeſtas grandinoſa, Fulguribus & Fulminibus miſta.

Eſt *Grando* ordinarius Naturæ effectus, ſtillarum pluuialium in deſcenſu á Vento Boreali, vel alio frigidiori correptarum conglaciatio. Sed diſtingui debet Grando á Grandine. Eſt Ægyptus regio ubi raro, in Mediterraneis ſcilicet, Pluuia cadit, nunquam Grando. *Rariſſime glacies, neque nix, neque Grando ibi viſitur, cum Aer careat tanta frigiditate, qua hæc gigni queant. Alpin Medic. Aegypt.* L. I. c. 7. p. 11. b. Quid Climatum diuerſitas, imo vel ſitus locorum conferre poſſit ad Grandinis productionem, docent vel ipſæ Regiones Helueticæ, ut non neceſſe ſit transmigrare propterea in Ægyptum, Aſiamue aut Africam. Sunt ex noſtris Prouinciis eæ imprimis Meteoro huic vaſtatori obnoxiæ, quæ Boreæ liberum concedunt Acceſſum, ut ſunt Cantones Tigurinus, Bernenſis. Rarior eſt longe grando in vallibus, quæ Alpibus ſunt interjectæ. Eſt ratio Phænomeni haud obſcura. Eſt Aer in Vallibus profundioribus Alpinis compreſſior, & calidior, ut Grandinem, quæ ex altiori Atmoſphæra decidit, reſoluat in Pluuiam, prohibeatque guttas labentes, ne congelentur. Hæc ratio, cur in iis ſpeciatim Vallibus, quæ ab ortu protenduntur in Occaſum, Grando ſit admodum rara, uti in *Valleſia*. *Veſenæ* ad Riuerium lacum adeo rarum hoc Meteoron, ut teſtati ſæpe fuerint mihi incolæ, vix bis intra 40. annos lapſam fuiſſe Grandinem. Plura habeo hanc in rem in *Meteorologia Heluetica*. His in locis notabilis & repentinus Barometri lapſus non Grandinem prædicit, ſed denſam duntaxat Pluuiam, vel tempeſtatem pluuioſam, Auſtrique regimen. Heic autem nil legitur prorſus de ullo naturali indicio, ex quo quidem Ægyptii potuiſſent inferre ſecuturam vel Granedulam, nedum adeò exorbitantis magnitudinis Grandinem. Sed DEVS ille etiam Gentilibus *nubicoga* dictus, *ecce ego depluam*, inquit, & quidem *cras hoc ipſo tempore*, hac ipſa diei hora, *Grandinem grauiſſimam, qualis non fuit in Aegypto ab eo die, quo fundata eſt, usque in præſens.* Duplex heic miraculi indicium, unum in præciſo tempore, alterum in reipſa. Tanta autem fuit DEI Optimi longanimitas, ut moneri juſſerit Tyrannum á fatali pernicie. *Mitte igitur & coge pecus tuum & quicquid ruri habes, quidquid vel hominum, vel jumentorum inuentum ruri fuerit, nec in domo collectum, ſuper illos deſcendet Grando, & morientur.* Et ecce prognoſtico, quod Moſes DEI juſſu fecit, præciſé reſpondit effectus!

Porro excuſſam legimus hanc Grandinem *ad extenſum á Moſé baculum verſus Cœlum.* Obmuteſcat heic omnis Philoſophus & Harpocratem agat. Nullus heic nexus inter cauſam & cauſatum, vel potius ſignum & ſignatum, & minor longé, quam in illo, *Baculus ſtat in angulo, ergo cras pluet.* Extenſo vix baculo DOMINVS *edidit Tonitrua & Grandinem.*

Præbet ſingularis prorſus tempeſtatis hujus grandinoſæ diſpoſitio nouum omnipotentiæ Diuinæ argumentum. Hiſtoricus noſter αὐτόπτης ſimul & tanti miraculi Inſtrumentum emphaticis valde triſte hoc emergens exprimit terminis. *DOMINVS edidit tonitrua & Grandinem, diſcurritque Ignis per terram, & depluit DOMINVS Grandinem ſuper Terram Ægypti. Et fuit Grando & Ignis ſeſe recipiens intra Grandinem, grauiſſima quidem, & qualis non fuerat per totam Terram Aegypti, ex eo tempore, quo facta eſt gens.* Fundatur Miraculi & Dignitas & Eſſentia in incongruitate rei ad Ægyptium Clima. Exceſſiuum poſcebat frigus Grando, in illa Regione nunquam expectandum, & tamen intermicat grandini frequentiſſimus Ignis. Quod Globi ſunt miſſiles Urbi obſeſſæ, id fuere Ægypto maſſæ ingentes Grandinis & fulminei Globi. Pyrotechnia fuit Diuina. In grandinoſa quidem tempeſtate intercurrunt, fateor, ſæpe glomeres fulminei, qui magnas quò vadunt, & ſtupendas edunt ſtrages; Sed eſt, obſerua probé, differentia ut inter Grandinem & Grandinem, ita & inter fulmina & fulmina, imo infinita tanta, qualis inter opera, ut vocamus Naturæ & miracula. Interim Phyſici eſt, & ſibi & aliis repræſentare, quo-

modo DEI juſſu armamentarium illud Diuinum, Atmoſphæra repleri ſubito debuerit particulis aqueis, nitroſis, ſulphureis, mineralibus aliis, colligi hæ in denſas atro colore ſubrubentes Nubes, confringi hæ & diſcerpi, frangi & reſolui à forti Zephyro in Aere rarefacto prius á Vento meridionali, inſequi autem mox frigidiſſimus Boreas, qui denſo agmine labentes guttas congelauerit in glaciales moles. Interea dum temporis colligi debuere ſulphureæ, nitroſæ particulæ, in glomeres ignitos, rapidiſſimo motu accendi; medias inter tenebras micare fulgura, vibrari fulmina, murmurare Tonitrua.

Non prætereunda eſt emphaſis vocis יֵלֵךְ *ambulauit, iuit, diſcurrit*, quam nos reddimus *ſchieſſen, euibrari*, motui celerrimo Fulminis adæquatæ, quem Experientia Fulminis approbat; videmus quippe, momento citius vibrari fulmineum ignem ex apice Turris Arboriſue ad baſin, in ſegmenta dilacerari obuia Ligna, Tegulas Tecti ſummoueri, metalla denſiſſima liquari, ſaxa craſſiſſima forari, ut nihil ſit in hac Terra, quod tantæ vi reſiſtere queat.

Occupari debebat & terreri non *Viſus* duntaxat á fulmineis hinc inde vago motu diſcurrentibus Ignibus, ſed & *Auditus* ab innumeris Aeris tremefacti commotionibus & repercuſſionibus, & Mens ipſa tum á *Fulminibus*, tum á *Tonitrubus*, Pſal. XVIII. 14. 15. *Tonabat é cœlis DOMINVS, & Altiſſimus edebat vocem ſuam, Grandinem atque carbones ignitos. Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgura multa, quibus conſternatos eos reddidit.* Fuit certe terrificum hoc Phænomenon non fortuitus Atomorum in Atmoſphæra concurſus, ſed, Regii Pſaltis eloquio ſimul & elogio ſepties repetito, *Vox* DOMINI. Pſalm. XXIX. 3.

Grandinis ordinariæ & naturalis eſt, certum quendam ferire tractum, ad quem venti vehiculo ſeu impetu fertur, & proſtant vel nulla, vel pauciſſima Grandinis integræ alicui Prouinciæ fatalis Exempla, minus adhuc Regno. Id eſt, quo Ægyptiaca hæc ſe diſtinguit. *Percuſſit grando illa in uniuerſa Terra Aegypti omne, quod fuit in agro, tam Homines, quam jumenta, ſed & omnem Herbam agri percuſſit Grando, & omnia ligna campi confregit.* Cœcus ſit oportet, qui non heic digitum DEI videt. Et ex effectibus judicare certo licet, aliquot librarum fuiſſe grandineas moles, imo pro auctæ magnitudinis ratione majori vi in Terram dejectas.

En aliud Diuini Miraculi indicium! *Duntaxat in Terra Goſen, in qua fuerunt filii Iſrael, non fuit Grando.* Heic, ut in reliquis quoque Plagis ſilet Philoſophia omnis attonita. Fuit DOMINVS Prouinciæ huic aheneus murus, intergerinus inter Ægyptum & Goſen, populum ſuum & Hoſtes, paries.

Attentione, imo & ſtupore digna ſunt & *duratio* & *ceſſatio*. Tranſire ſolent grandinoſæ Tempeſtates paucis minutis. Heic vero durauit hæc diu, tamdiu nempe, ut potuerit v. 27. *vocare Pharao Moſen & Aharonem*, obſtinationem ſuam confiteri, *orare* per viros DEI DOMINVM, *ut ſatis eſſet Grandinis & Tonitruum*, imò usquedum *egreſſus Moſes á Pharaone ex urbe*, & in ipſo hoc egreſſu, quod mirum, nîl paſſus, *expanderit manus ſuas ad DOMINVM.* Tunc enim *ceſſarunt* demum *Tonitrua & Grando, nec pluuia fuſa eſt in Terram.* v. 29. 33.

TAB. CXXXIII. & CXXXIIII. A.

Exod. Cap. IX. verſ. 31. 32.

Et Linum & Hordeum percuſſa ſunt, Hordeum etiam maturuerat, & Linum calamos iuerat.

Triticum vero & Far non percuſſa ſunt, eo quod adhuc latuerant.

Linum ergo & hordeum læſum eſt, eo, quod Hordeum eſſet virens, & linum jam folliculos germinaret.

Triticum autem & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant.

In



EXODI Cap. IX. v. 31. 32.
Linum et Hordeum.

II. Buch Moſis Cap. IX. v. 31. 32.
Flachs und Gerſte.

I. A. Fridrich sculp.

RPJCB



Exodi Cap. IX. v. 32.
Zea et Triticum.

II. Buch Moſis Cap. IX. v. 32.
Dinckel und Waitzen.

M. Tyroff sculp.

JCB

IN conſpectum heic veniunt quatuor Plantarum uſui Hominum inprimis inſeruientium genera, á Grandine in Ægypto proſtrata. פִּשְׁתָּה *Linum*, quod ſcite ita deſcribit *Plinius* L. XIX. *Proœm. Dici neque inter fruges, neque inter Hortenſia poteſt. Sed in qua non occurret vitæ parte, quodue miraculum majus, herbam eſſe, quæ admoueat Ægyptum Italiæ: in tantum ut Galerius á freto Siciliæ Alexandriam ſeptimo die peruenerit, Babilius ſexta, ambo Præfecti: æſtate vero proxima Valerius Marianus ex Prætoriis Senatoribus à Puteolis nono die, leniſſimo flatu? Herbam eſſe, quæ Gadeis ad Herculis columnas ſeptimo die Oſtiam adferat, & citeriorem Hiſpaniam quarto, Prouinciam Narbonenſem tertio, Africam altero: quod etiam molliſſimo flatu contingit C. Flaccio Legato Vibii Criſpi Proconſulis? Audax Vita, ſcelerum plena aliquid ſeri, ut ventos procellasque recipiat: & parum eſſe fluctibus ſolis vehi. Jam vero nec vela ſatis eſſe majora nauigiis — Denique tam paruo ſemine naſci, quod orbem Terrarum ultro citroque portet, tam gracili auena, tam non alté á terra tolli: neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum tuſumque, & in mollitiem Lanæ coactum, injuria naturæ, ac ſumma audacia, & quo peruenire nulla execratio ſufficit contra inuentorem — cui ſatis non fuit hominem in Terra mori, niſi periret & inſepultus &c.* Planta hæc, deſcribente *Joh. Bauhino Hiſt. Plant.* L. XXX. c. 74. tenui radicula nititur, caule tereti, plurimum ſimplici, inani, cubitum aut ſesqui cubitum altó, alis circa ſummum diuiſo. Folia acuminata, culmum lata, uncias duas plus minus longa alternatim cauli appoſita: flores cœrulei, quinque partiti, ſtriati, quos capitula excipiunt rotunda, in quibus ſemen fuſcum, lubricum, latum. De hac Planta notandum, applicatiué ad noſtrum Textum, in Europæis Regionibus ſeri Vere, & maturari vergente Æſtate, ſed in calidioribus, qualis eſt Ægyptus, ſeri etiam ante Hyemem, & verno tempore cum aliis hybernis fructibus maturari. *In Græcia & Aſia omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur.* Plin. L. XVIII. c. 7. Unde & heic jam *iuerat in calamos*, גִּבְעֹל igitur eſt *culmus, calamus.* Vertit *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 134. הַפִּשְׁתָּה גִּבְעֹל *Linum orbiculatum erat*, h. e. Lini ſeminalis capſula erat orbiculata, quia גב proprie vexum ſonat, עָגוֹל rotundum. Fig. I. exhibet ipſumLinum, II. Ejus characteres.

שְׂעֹרָה *Hordeum, antiquiſſimum in cibis*, quod ex *Menandro* probat *Plinius* L. XVIII. c. 7. De hoc, qualecunque fuerit, *diſtichum* vel *polyſtichum*, certum, ante hyemem fuiſſe ſatum, nam & apud nos eſt *polyſtichum hybernum, Wintergerſte.* In Ægypto *ſexto à ſatu menſe meti* dicit *Plin.* l. c. *Caſſianus Agricult.* c. 12. ſationem inchoat ab Æquinoctio Autumnali, ceſſat Solſtitio Hyemali. De ſatione ita *Virgil. Georg.* L. I.

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci, atque umbris jam diuidet orbem
Exercete viri Tauros, ſerite Hordea campis,
Usque ſub extremum Brumæ intractabilis imbrem.

Sationem Hordei, ut Seges ad Feſtum Paſchatis matureſceret, poſt medium Menſis Marcheſuan, id eſt, circa ineuntem Nouembrem collocat *Babylon. Berach.* fol. 182. Clarum initio Menſis Niſan ſpicam fuiſſe mutilam. Unde forſan *Niſan Abib* dictus, quod ipſo hordeum ſpicaretur Exod. XIII. 4. *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 122. Ex multis Hordei generibus placet heic *polyſtichum*, idque *hybernum*, quod ita deſcribit *Caſp. Bauhinus Theatr. Botan.* L. I. p. 437. *Extremo pullulat ex altera grani parte deorſum germinante, radices fiunt tenues, numeroſæ veluti Tritici, ex altera vero ſurſum tendente herba, ſed unico folio ut cæterorum frumentorum arundinaceo, tempore miteſcente calami de medio mittuntur erecti, Tritico breuiores, fragilioresque, geniculis octonis articulati: circa quos folia binum cubitorum, Tritico latiora, ſcabriora, ſpicis in ordines & verſus nunc ternos, interdum 4. nunc 6. nunc. 8. digeſtis, longis, firmis, mordacibus & aſperis ariſtis é glumorum apicibus prodeuntibus, florem, qualis omnium ſpicam gerentium, tanquam valle quadruplici munitis, quæ ut Triticum florent, nam folliculo abſoluto quarto aut quinto die florere incipit, totidemque fere diebus floret: Poſtquam defloruit, craſſatur, conficiturque quamprimum intra dies 40. granum ſimplici tenuiſſimo glumo ſeu palea, tunicaue pertinaci hæſu id ſepiente includitur, & in area exteritur.* Producta ex Hordeo, Panem Hordeaceum, Ptiſanam, Polentam, Mazam, Crimnon, Maltum ſiue βυνὴν, Potionem ex Hordeo, aliis examinanda linquo, ne nimium digrediar, quam par eſt.

Fig. III. exhibet Hordeum Polyſtichum,
Fig. IV. characteres Hordei.

Triticum חִטָּה & חִנְטָה generali ſignificatu notat omne *Frumentum*, & ſpicis tritum, ac trituratione repurgatum, quod ex *Varrone* colligere licet & JC. *Dig. de Verborum obligation.* Heic tamen nullum dubium, quin ſpecies notetur peculiaris Frumenti, & forſan eſt, quod heic appinxi, *Triticum hybernum ariſtis carens* C. B. cujus hæc eſt deſcriptio ex *Theatr. Botan.* p. 352. *Ex radicibus multis tenuibus culmi plures geniculati aſſurgunt: quorum tertio aut quarto articulo ſpica ariſtis carens inſidet, nonnunquam breuibus cincta, circa feſtum S. Johannis florens: ubi defloruit grana ſubrotunda ſuccedunt, per quorum longitudo rimula diſcurrit, quæ aliis candida, aliis ſubrufa: alia rotundiora, alia oblongiora, grandiora quoque vel minora, craſſiora vel tenuiora, lutea, ſexaginta aut ſeptuaginta, interdum pauciora, ſæpe frequentiora, & ex ordine poſita, glumis ſeu folliculis incluſa, ex quibus facile excidunt, & facile in area inſtar ſecalis exteruntur, ſed nec decorticatione ut Zea opus habent.* Hoc, quod cæteris præfertur,

Septembri vel octobri ſeritur, & nouem menſibus in noſtris quidem agris moratur.

Fig. V. exhibet ſupra nominatum Triticum.

Fig. VI. Generales Tritici notas.

Sequitur aliud Frumenti genus כֻּסֶּמֶת quod *Zeam* vertunt. Eſt autem hæc Germanorum *Spelz*, *Dinkel*, *Dinkelkorn*, *Zweykorn*, *Veeſen*; noſtratibus *Korn*, nempe *Zea Dicoccos*, vel *Zea major*. C. B. non *Roggen* ut noſtra habet Verſio. Eſt enim *Roggen*, *Roken Secale hybernum*, *ſeu majus* CB. Palmam vernaculæ præripit Latina noſtra, quæ *Far* habet; *Zeam* enim dicoccon Veteres *Far* vocauere, ut *Aſclepiades* apud *Galenum 9. ſecund. loca* 3. affirmat φάῤῥες ὃ καλῦσι ζέαν *Farris quod appellant Zeam.* Hinc apud *Dionyſium Halicarnaſſeum* Romanorum antiquiſſimorum nuptiæ vocatæ φαῤῥακία, quod Conjuges veſcerentur φαῤῥῷ Sed quidem apud *Cæſalpin.* L. IV. c. 43. *Far* etiam nuncupatur quodcunque ſemen, quod à cortice mundatum & confractum in cibum elixatur. Ut adeo & Farris nomen ſit dubium & æquiuocum.

Fig. VII. eſt Zeæ ſupra nominatæ dicoccæ ſeu majoris.

Indicium præbet Textus noſter duplicis in Ægypto *meſſis*: Una nempe *Hordeacea* fuit & prior, altera *Triticea*, & poſterior Plin. L. XVIII. c. 7. *In Ægypto Hordeum ſexto á ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur.* Et *Clemens Alex. Strom.* L. VI. προπεπεςέρα ἐις ὥραν θέρȣς τȣ̃ πυρȣ̃ μᾶλλον ἡ κριθὴ *Meſſis tempore Hordeum Frumento citius matureſcit.* Sic mentio fit primæ Meſſis Hordeaceæ 2 Sam. XXI. 9. Hinc determinari poteſt tempus, quo Grando hæc Ægyptios afflixit. *Nam Hordeum erat* אָבִיב *ſpicatum, in ſpicis jam maturuerat, ſed triticum & far adhuc latuerant, erant* אפילות *ſerotina.* Metebatur autem Hordeum Martio, Triticum Aprili, vi. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 13.

TAB. CXXXIV.

Exod. Cap. X. verſ. 4. 5. 6. 12. 13. 14. 15. 19.

4. Alioqui, ſi recuſas dimittere populum meum, ecce adducam cras Locuſtas in fines tuos.	Sin autem reſiſtis & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos:
5. Et operient ſuperficiem Terræ, ut Terra videri non poſſit, depaſcentque reſiduum, quod ſeruatum eſt, quodque relictum eſt vobis à grandine, comedent etiam omnem Arborem germinantem vobis in agro.	Quæ operiet ſuperficiem Terræ, ne quicquam ejus appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris.
6. Inſuper domos tuas implebunt, & domos omnium ſeruorum tuorum, & domos omnium Ægyptiorum, quales non viderunt Patres, aut aui tui, a die, quo ipſi fuerunt ſuper Terram.	Et implebunt domos tuas, & ſeruorum tuorum & omnium Ægyptiorum, quantam non viderunt Patres tui & aui, ex quo orti ſunt ſuper terram usque in præſentem diem.
12. Ait ergo DOMINVS ad Moſen: extende manum tuam ſuper Terram Ægypti pro Locuſta, ut aſcendat ſuper Terram Ægypti, & depaſcat omnem Herbam Terræ, & omne, quod Grando reliquum fecit.	Dixit autem Dominus ad Moyſen: extende manum tuam ſuper Terram Ægypti ad locuſtam, ut aſcendat ſuper terram, & deuoret omnem herbam, quæ reſidua fuerit grandini.
13. Extendit itaque Moſes baculum ſuum ſuper Terram Ægypti, ad-	Et extendit Moyſes virgam ſuper Terram-Agypti, & Dominus induxit-

duxit-



EXODI Cap. X. v. 4. *etc.*
Plaga Locuſtarum.

II. Buch Moſis Cap. X. v. 4. *etc.*
Heuſchrecken-Plage.

M. Tyroff sculp.

PJCB

duxitque DOMINVS ventum
Orientalem ſuper Terram toto
illo die, & tota nocte. Mane
facto attulit Eurus locuſtam.

duxit ventum urentem tota die
illa & nocte, & mane facto Ventus urens leuauit locuſtas.

14. Aſcenditque locuſta ſuper totam
Terram Ægypti, & demiſit ſe in
omnibus finibus Ægypti, eaque
vehementer grauis: ante illam
non fuit talis Locuſta, nec talis
poſt illam ventura eſt.

Quæ aſcenderunt uniuerſam Terram Aegypti, & ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſtea futuræ ſunt.

15. Operuit enim ſuperficiem totius
Terræ, ut Terra obſcuraretur, &
comedit omnem Herbam Terræ,
atque omnem fructum Arborum,
quem reliquum fecerat Grando:
non relictum eſt aliquid viroris
tam in Arboribus, quam in reliqua herba agri per totam Terram Aegypti.

Operueruntque uniuerſam ſuperficiem Terræ, vaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur Herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat, nihil quoque omnino virens relictum eſt, in lignis & in herbis terræ, in cuncta Aegypto.

19. Et vertit DOMINVS Ventum
occidentalem fortiſſimum, &
ſuſtulit Locuſtas, defixitque eas
in mare carectoſum, ut in omnibus finibus Aegypti ne una quidem ſupereſſet.

Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in Mare Rubrum; non remanſit ne una quidem cunctis finibus Aegypti.

TErrori ſunt *Locuſtæ* inprimis Climatibus calidioribus Orientalibus, & Meridionalibus, imo damno terribili. Formidabiles magis ſunt hi DEI Exercitus Æthiopiæ, Palæſtinæ, Ægypto, Arabiæ, Tartariæ, Chinæ, toti Aſiæ & Africæ quam Europæ. Hanc ſi inuadant, hoſpites magis ſunt dicendi, quam inquilini, ut Peſtis. Perrare Heluetias noſtras ſalutant Terras. Annos 1338. & 1364. fatales memorant Annales Patrii. Tranſitum ut Hominibus, ita locuſtis difficilem reddunt Alpes. Sunt é contra Regiones noſtræ obnoxiæ magis damnis á frigore, Grandine. Ita, quod ἐν παρόδῳ obſeruamus, ſapientiſſimus DEVS per uniuerſam Terram diſtribuit & dona, & juſtiſſimas Plagas. Præter rem foret, ſuffulcire, quæ ſcribo, teſtimoniis, vel chartas haſce infarcire locuſtarum integris Prouinciis fatalium Hiſtoriis. Qui legere eas cupit, adeat *Plinium* L. XII. c. 29. *Franc. Aluarez Itinerar. Æthiop.* c. 32. *Ludolf. Comment. ad Hiſt. Æthiop.* P. I. n. 96. *Nic. Clenard. Hiſt.* L. I. p. 73. *Joh. Neuhof. deſcr. Regn. Sinar.* p. 152. 177. *Dapper. Afric.* p. 317. b. *Joſeph. de S. Ang. Gazoph. Perſic.* voce *Locuſta. Hotting. Hiſt. Eccl.* T. II. 7. 231. III. 657. IV. 109. V. 20. *Kirchmeyer. Diſſ. de Locuſtis inſolitis. Chardin Voyage de Perſe* T. IX. 227. Quæ prolaturus ſum inſeruient enodando textui.

Locuſtarum in Sacris 10. diuerſa occurrunt nomina, hinc inde excutienda. Heic obuium eſt אַרְבֶּה *Arbe*, quod deducunt Lexicographi á רָבָה *multum eſſe, multiplicari.* Nec male, vix enim eſt animal Locuſta fœcundius. Videantur hanc in rem loca Jud. VI. 5. VII. 12. Pſal. CV. 34. Jer. XLVI. 23. LI. 14. Joel. I. 6. Nah. III. 15. Judith. II. 11. ubi paſſim numeroſiſſimi Exercitus comparantur cum Locuſtis. Pro certo habet *Leeuwenhœk Experim. & contempl.* p. 384. ex vermibus oriri locuſtas, viditque fœmellam ſupra 80. ponere oua.

Conſiderabimus octauam hanc Ægyptiorum plagam in omnibus ſuis, prouti ordine memorantur, circumſtantiis, & ante omnia ex v. 4. Prognoſticon, *ecce adducam cras locuſtas in fines tuos*, veri Miraculi, quod hactenus iterató innuimus, κριτήριον. Hodie nihil comparet horum animalium, ſed craſtino die inundabunt Ægyptum. Phænomenon omnibus Naturæ viribus, & Naturali Philoſophia ſuperius.

Non ſufficiebat ſola Aduentus indictio. Recenſentur ſpecificé damna Regno inferenda. *Operient ſuperficiem Terræ, ut Terra videri non poſſit.* Debebat hic magnus DEI *exercitus*

Joel II. 25. Nubis ad inſtar denſæ obſcurare primo Aerem, proin *Terram*, quod legitur v. 15. Sed mox ſeſe demittere in *Terram*, eamque operire. Neceſſe eſt heic, de Locuſtarum generatione quædam præmonere. Non gignuntur hæcce Inſecta momento, non paucis horis vel diebus. Refert *Swammerdam Hiſt. Inſect.* p. 81. Locuſtas ad ſecundum mutationis ordinem, quo *Vermiculus priori Nymphæ forma, qua in ouo abſque alimento conſpiciebatur, relicta, paulatim aſſumtis alimentis per epigeneſin in membra euidentiora excreſcit; donec dein iterum in alteram Nympham abeat, non tamen motus expertem, ex quo ceu Inſectum alatum in lucem prodit, & tanquam nubili ætate ad generationem ſuæque ſpeciei propagationem pro ratione ſexus ſui inſeruit.* Nemo non videt, breue nimis extitiſſe tempus ab hodierno die ad craſtinum pro tanti Exercitus productione, licet vel ouula jam adfuiſſent, vel Nymphæ vermiculi. Longiorem moram poſcit Natura. Dices, jam fuiſſe actu generatas Locuſtas in vicina quadam Ægypto prouincia, nec opus fuiſſe niſi Euro v. 13. memorato, qui Animalia hæc adduceret. Non nego rem ita contingere potuiſſe. Sed quis eſt, qui præfixo & prædicto tempore ventum hunc concitauit? Nonne, qui & aliis omnibus Creaturis, ita & ventis imperat? Naturalis eſt numeroſiſſimæ prolis in Regionibus Orientalibus productio. Dum in Europa noſtra á frigore, aliiſue Tempeſtatum injuriis magna vel maxima ouulorum pars perit, ibi pleriſque vel omnibus ad ultimum perfectionis gradum felici Aeris temperie elatis.

Depaſcent Locuſtæ, ita pergunt minando & vaticinando DEI altiſſimi Miniſtri & Legati, *reſiduum, quod ſeruatum eſt, quodque relictum eſt vobis á Grandine, comedent etiam omnem arborem germinantem vobis in agro* v. 5. & en Prophetiam impletam v. 15. *Comedit Locuſta omnem Herbam Terræ, & omnem fructum Arborum, quem reliquum fecerat Grando, non relictum eſt aliquid viroris tam in Arboribus, quam in reliqua Herba agri per totam Terram Ægypti.* Neque id mirum. Ubi ſeſe demittunt cunque hujusmodi Exercitus, ibi nihil manet reliqui, paucis horis abſumitur totius Anni labor & prouentus: quicquid in agris viret, vorant Animalcula hæc, excorticant, radunt, deglabrant. Imo voracia ſunt adeo, ut ubi nihil manet reliqui, ſeſe deuorent ipſa, in mutua ſæuiant viſcera, Experientia teſte. Neque ſolo morſu dicuntur nocere Locuſtæ, ſed & contactu adurere. *Saliua earum virus eſt herbis & Arboribus tam noxium, ut in quodcunque incidat, id deperdat.* Ita *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 3. *ex Damire.*

Sed quid poterat eſſe reliquum ex prægreſſa Grandine? quæ *percuſſit in Uniuerſa Terra Ægypti omne, quod fuit in agro — & omnem herbam agri percuſſit & omnia Ligna campi confregit.* Exod. IX. 25. Soluit hunc nodum ipſe Scriptor Sacer. Exod. IX. 31. 32. *Linum & Hordeum percuſſa ſunt, Hordeum etiam maturuerat, & Linum in calamos iuerat. Triticum vero & Far non percuſſa ſunt eo, quod adhuc latuerant.* Vide quæ commentatus ſum in hunc locum. Et notum, Grandinem nunquam ita percutere, ut nîl maneat reliqui. Solemus dicere, omnia Grandine eſſe deleta, ſed intelligendum id ſemper eſt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: Obſeruat *Fuller. Miſcell.* L. III. c. 11. quod triticum & Far adhuc tenera, lenta, flexilique ſua mollitie ingruentes Grandinis ictus euitarint & ſubterfugerint. His adde ipſa Frumenta, ſi nondum in ſpicas iuerint, poſſe, proſtrata licet, reſurgere, imo & mox regerminare, haud proin neceſſe, fingere hiatum Menſium aut Annorum inter Plagam Grandinis & illam Locuſtarum, quo ſpatio ſuccreuerint noua Gramina, nouæ ſegetes, noui Arborum fructus. Non congruunt hæc Textui. Non potuiſſet ſcribere Moſes, Locuſtas abſumſiſſe, *quod ſeruatum eſt á Grandine.* Id ſane non potuit relinqui, quod nondum erat & é Terra progerminarat. Deſtruit quoque hoc figmentum Chronologia. Non potuit annum integrum triuiſſe Moſes in patrandis Miraculis. Agebat Vir DEI annum 80. cum conueni[t] Pharaonem. Exod. VII. 7. Et anno Ætati[s] 120. mortuus eſt in ora Terræ Canaan Deut. XXXIV. 1. 5. Interceſſerunt itaque 40. ann[i] ab acceſſu Moſis ad Pharaonem ad deceſſum ejus é Vita. Dicuntur autem Iſraelitæ pe[r] 40. Annos iter feciſſe per Deſertum. *Nequ[e] ſpatium adeo longum conuenit ſatis cum DE[I] bonitate, ut populo ſuo jam ad incitas redact[o] tam lente ſubueniſſet & tot moris interpoſitis. Se[d] & Juſtitia ejus requirebat, ut in tam grauem Pharaonis σκληροκαρδίαν continuis plagis animad[]uerteret, nec ullo ei dato reſpirandi ſpatio. Pro[]in iis accedimus, qui decem Plagas Ægyptiis in[]flictas intra breue tempus contrahunt, puta men[]ſtruum aut circiter.* *Bochart.* l. c.

Imo vero pernicioſæ adeo ſunt locuſtæ, u[t] mortuæ ſæpe plus noceant quam viuæ, nemp[e] viroſa, quam exhalant, mephiti particularum acrium, volatilium, Salinarum inducendo pe[]ſtem. Luem hanc ortam A. 804. ex Locuſta[]rum agminibus ex Gallia in Angliam tendent[i]bus, media via in Mare præcipitatis, & a[d] Anglica littora ejectis, quæ tertiam Brittan[]norum partem letho tradiderit, teſtis eſt *Sig[e]bert. Gemblacenſis:* & ſub M. *Plautio*, & M[.] *Fuluio Flacco* Coſſ. numeroſi Locuſtarum Exe[r]citus in Africano Mari demerſi fœtore ſuo v[i]roſo in ſola Numidia dederunt peſſum 80000[0.] in ora Carthaginis & Uticæ 200000. Utic[æ] 30000. milites, teſte *Oroſio Hiſt.* L. V. c. 11.

Pergimus. Pergit & Scriptor Sacer minan[]do. *Inſuper locuſtæ domos tuas implebunt, & domos omnium ſeruorum tuorum, & dom[os] omnium Ægyptiorum, quales non viderunt P[a]*

tr

res aut aui tui á die, quo ipſi fuerunt ſuper Ter-ram, usque in hunc diem. Et en minas datas effectui! v. 14. *Aſcendit locuſta ſuper Terram Ægypti, & demiſit ſe in omnibus finibus Aegypti, eaque vehementer grauis: ante illam non fuit talis locuſta, nec talis poſt illam ventura eſt.* Non contenti impudentes hi & ingratiſſimi hoſpites viuere agri, cui abſumendo aliàs ſunt & deſtinati, & parati, implent Pharaonis palatia, & Ægyptiorum ædes, ut aggrederentur, quæ quorundam eſt explicatio, Homines ipſos, imo & venenatis ſuis morſibus enecarent. Huc volunt pertinere illud Sap. XVI. 9. ὃς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα, καὶ οὐχ εὑρέθη ἴαμα τῇ ψυχῇ αὐτῶν, ὅτι ἄξιοι ἦσαν ὑπὸ τοιούτων κολασθῆναι. *Quos quidem Locuſtarum & Muſcarum morſus occiderunt, neque inuentum eſt remedium animæ* (i. e. vitæ) *ipſorum, quia digni erant, qui ab hujusmodi rebus punirentur.* Ubi libri autor niti videtur verbis Exod. X. 17. *Rogate* DOMINVM *veſtrum, ut auferat à me mortem iſtam.* Sed inde neutiquam inferri poteſt mors hominum. Eſt & Mors agrorum, Herbarum, Arborum. Ægyptii Joſepho dicunt. Gen. XLVII. 19. *Cur morimur, te id cernente? non ſolum autem nos ſed & agri noſtri.* De Arbore Jobus XIV. 8. *Quum Radix ejus conſenuerit in Terra, & ſtirps ejus in humo emortuus fuerit.* Paulus I. Cor. XV. 36. σὺ ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ. Imo.

Mors etiam Saxis lapidibusque venit.

Præterea Mors fuere Locuſtæ Ægyptiis, quia hos Subſidiis Vitæ, Regem reditibus ſuis priuarunt. Verba tandem illa, quæ locuſtas deſignant inſolitas, *quales non viderunt Patres aut Aui — & quales non ſunt venturæ*, intelligi poſſunt de Locuſtis extraordinariæ magnitudinis, quales ſunt illæ Indicæ apud *Plinium* L. IX. c. 3. *quaternum cubitorum* & L. X. c. 19. ternum pedum longitudinis, cruribus & feminibus ſerrarum uſum præbentes, cum inaruerint: vel quod credendum potius de numero exceſſiuo, vel noxa ex Hiſtoria ipſa colligendis *Boch.* l. c.

Reſtat Exercitus hujus Aduentus & diſceſſus. De illo ita Moſes, qui baculo extenſo debebat dare ſignum v. 13. *adduxit* DOMINVS *ventum orientalem ſuper Terram toto illo die, & tota nocte: mane facto attulit Eurus locuſtam.* Locuſtas gregatim volare, imo ventis vehi, conſtans fama eſt. *Plinius* l. c. *Gregatim ſublatæ vento in Maria aut ſtagna decidunt. Hieronymus* in Joel. II. Cap. *Etiam noſtris temporibus vidimus agmina Locuſtarum Terram texiſſe Judæam: quæ poſtea miſericordia* DOMINI . . . *vento ſurgente in mare primum & nouiſſimum præcipitatæ ſunt: Oroſius* L. IV. c. II. de locuſtis Africanis. *Repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per Aerem, Africano pelago immerſæ ſunt.* Ventum קָדִים *Kadim*, cujus vehiculo fuere aduectæ, vertunt communiter per *Orientalem* ſeu *Eurum.* Sed & notat, quod alibi docebitur, *Auſtrum.* Hinc Græci Νότον καὶ λίβα, *Notum* & *Africum* vertunt, & καύσωνα, *ventum urentem.* Et placet hæc interpretatio *Bocharto* præ illa, quum Eurus nonniſi ex Arabia Locuſtas potuerit in Ægyptum aduehere, ſed Auſter ex Æthiopia, quæ hac Locuſtarum Peſte multo eſt fœcundior. Sunt namque in Æthiopia nonnullæ gentes, quæ ſolis vixerunt Locuſtis, quas maximâ copia advehebant venti partim occidentales, partim meridionales, idque circa æquinoctium vernum, quo Anni tempore & in Ægyptum adductæ ſunt. *Agatharchides*, ubi de Acridophagis. ὑπὸ δὲ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν ὅτε Λίβες παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ζέφυροι πνέουσι παμμεγέθεις, ἀκρίδων πλῆθος ἀμύθητον ἐκ τῆς ἀνιστορήτου μετὰ τῶν ἀνέμων παραγίνεται χώρας. Confer *Diodorum* L. III. *Strabonem* L. XVI. Eſt ſane vero ſimilius, aduectas fuiſſe ex Æthiopia potius, quam ex Arabia. Licet non diffitendum, potuiſſe DEVM æque facile aduocare agmina illa ex Arabia, quam ex Æthiopia, imo & creare in Ægypto. Aduocatas autem fuiſſe & vento *tota die & tota nocte* flante aduectas, aliunde clarum eſt ex textu. Nil decedit Miraculo, quod non conſtitit in mero aduentu Locuſtarum, ſic enim & hodie patrarentur miracula, quoties ex una Regione migrant in aliam Locuſtarum agmina: ſed in eo, quod prædefinito tempore, immenſa copia, forté & inſolita magnitudine & ſpecie fuerint nutu Diuino Ægypto illata, quæ forſan ſolius Naturæ ductu non ſalutaſſent Ægyptum.

Imo & in eo, quod ejusdem ſupremi DOMINI juſſu, quo aduenerant, fuerint abductæ v. 19. *Et vertit* DOMINVS *ventum occidentalem & ſuſtulit locuſtas, defixitque eas in mare carectoſum (Rubrum) ut in omnibus finibus Aegypti ne una quidem ſupereſſet*, & quidem ad Moſis á Pharaone rogati ſollicitationem v. 18. *Exiuit á Pharaone, & orauit* DOMINVM. Ventus ille abductor vocatur רוּחַ יָם *Ventus maris* nempe Mediterranei, qui proin locuſtas præcipitauit in *Mare Rubrum.* Locuſtas à Ventis ſublatas & Maria ſuperuolitantes in eadem præcipitari conſtat ex diuerſis Hiſtoriis ſupra recenſitis. Neque heic quærendum vel fingendum miraculum: laſſari vento, inprimis remittente, Locuſtas longo tractu, quem trajicere deberent, neceſſum eſt.

In Tabulæ frontiſpicio videre licet Locuſtam ex majoribus, mutuo petitam ex *Merian Surinaamsch. Inſect.* p. 28.

TAB. CXXXV.

Exod. Cap. X. verſ. 21. 22. 23.

Dixitque DOMINVS ad Moſen, Extende manum tuam verſus cœlum, ut ſint Tenebræ ſuper Terram Ægypti, & tenebræ quidem, quas palpet aliquis.

Et extendit Moſes manum ſuam verſus cœlum, factæque ſunt Tenebræ obſcuriſſimæ in uniuerſa Terra Ægypti tribus diebus.

Non vidit quiſpiam proximum ſuum, nec ſurrexit quis de loco ſuo tribus diebus, omnibus filiis Iſrael autem lux fuit in ſuis habitationibus.

Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper Terram Ægypti tam denſæ, ut palpari queant.

Extenditque Moyſes manum in cœlum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in uniuerſa Terra Ægypti tribus diebus.

Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat: ubicunque autem habitabant filii Iſrael, lux erat.

Dici poſſunt *triduanæ* hæ Ægypti *tenebræ* typus *trihoriarum*, quæ contigerunt patiente & mox expirante CHRISTO. Binæ occurrunt nationes occœcatæ prorſus & obduratæ, ibi Ægypti, heic Judæi. Ibi DEI gratia illuxit Judæis, heic gentilibus. Tot inuoluimur tenebris, quot transigimus noctes. Sunt hæ *tenebræ naturales*, ut & Eclipſes illæ Solis & Lunæ. Sed Ægyptias has extraordinarias fuiſſe prorſus, & miraculoſas, patebit ex variis τεκμηρίοις ἀναμφισβητήτοις. Sed non eo aſcendet unquam Philoſophia, ut determinare queat, quænam corpora Naturalia fuerint immutata, & quomodo? Manebit hæc Quæſtio licet non intacta, ſaltem indeciſa.

Extendit Moſes ad DEI mandatum *manum ſuam verſus Cœlum, factæque ſunt tenebræ obſcuriſſimæ in uniuerſa terra Ægypti.* Quis, dic quæſo, nexus inter extenſionem baculi, & Tenebras iſtas plusquam Cimmerias? inter Cauſam & cauſatum, vel potius inter Signum & productum? motum inter Brachii & Naturæ curſum ab altiori cauſa interruptum? Attamen Naturam non præteribimus intactam, viſuri, quid illa temporis circumſtantia contigerit, licet quod viſuri ſumus, meræ ſint haud dubie tenebræ, tales manſuræ, donec Cauſæ primæ Efficienti placuerit, reuelare tum modum, tum rem ipſam. Conſideremus primo lucis fontem inexhauſtum *Solem*, abſque quo Terra omnis continuis, iisque denſiſſimis inuoluta eſſet Tenebris, vita nulla, calor nullus in toto vortice hujus ſyderis. Paſſum hunc eſſe in trihoriis illis tenebris paſſionalibus extra omne eſt dubium, quia πᾶσα ἡ γῆ, totum illud Hemiſphærium Terræ, cui Sol illucere debebat, obtenebrata fuit. Sed huic ratiocinio heic nullus eſt locus. Soli Ægypto, non vicinis ullis ſeu Aſiæ, ſeu Africæ Regionibus; imo nec Terræ Goſen, quæ Monarchiæ Ægyptiacæ erat pars, Plaga hæc fuit inflicta. Patet ex hac Phænomeni inſoliti circumſtantia, Solem triduano illo tempore nihil perdidiſſe de ſuo ſplendore, nec immutatum fuiſſe quidpiam circa centralem Terræ gyrationem. Deſcendenda itaque eſt ſcala 20640000. Milliarium Germanicorum a Sole ad Terram, & circumfuſam huic *Atmoſphæram*, ſpeciatim vero Ægyptiacam, quæ ſi conjecturæ locus, ut eſt, extraordinario prorſus modo ita fuit condenſata, ut radii Solares neque directi à Sole, neque à vicinis regionibus reflexi eam penetrare potuerint, ſeruata nihilominus fluiditate, aliisue ad vitam Hominum & Animantium neceſſariis Qualitatibus. Non enim Ægyptiorum ullum in denſiſſimis his Tenebris legimus ſuffocatum. *Sint Tenebræ*, ita DEVS enuntiat ſententiam juſto judicio latam; *quas palpet aliquis.* Vix locum heic habet literalis ſenſus ex allegatis modo rationibus. Metaphorica eſt locutio, qualis & illa Germanorum, *es iſt ſo finſter, das man einen Finger darinn könte abbrechen*, niſi dixeris, congelato veluti Aere vitam Creaturarum viuentium ſaluaſſe Miraculo. Poteſt & in Contemplationis Theatro ſiſti ſingularis



EXODI Cap. X. v. 21-24.
Tenebræ, Ægypti.

II. Buch Moſis Cap. X. v. 21-24.
Dicke Finſterniß.

G. D. Heüman sculps.

JCB

ularis quædam in *Hominum oculis & Menti-us* mutatio, de qua plura dicturus ſum in-:a.

Singulare prorſus eſt & inauditum, *non vi-iſſe quempiam proximum ſuum, nec ſurrexiſſe uem de loco tribus diebus*, altera Miraculi no-ı characteriſtica. Inferre hinc licet, nec ar-ſſe lampades aut faces, quas accendere vo-:bant Ægyptii, interruptum prorſus quòduis ujusuis cum proximo commercium.

Tertia Miraculi nota hæc eſt, *omnibus filiis ſrael lucem fuiſſe in ſuis habitationibus*, illuxiſſe s Solem, radios ſideris hujus per Atmoſphæ-ım libere fuiſſe transmiſſos, & objecta oculis npreſſa hinc transiiſſe ad Mentem.

Exponuntur Ægyptiorum hæ tenebræ ab ıuthore *Libri Sapientiæ* amplo veluti commen-ırio, e quo ea duntaxat producturus ſum, uæ propoſiti mei, & ſphæræ limites haud xcedunt Cap. XVII. 1. 2. μεγάλαι γὰρ &c. *Magna enim tua judicia & inenarrabilia, pro-ter hoc indiſciplinatæ Animæ errauerunt, opi-antes enim dominari nationi ſanctæ iniqui, vin-ti tenebrarum, & longæ compediti noctis, incluſi ectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ jacuerunt.* Jbi emphatica expreſſio: δέσμιοι σκότους καὶ μα-κρᾶς πεδῆται νυκτὸς, κατακλεισθέντες ὀρόφοις, ſimilis erè illi Judæ v. 6. δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον. Eſt ıuidem Nox quæque δεσμωτήριον, quo ſenſus xterni veluti compedibus ligantur, ſpiritus Animales in interiora cerebri ab Organis ex-ernis ſeſe recipiunt, valedicturi ad tempus ſuis ɔfficiis. Quantò magis Nox hæc triduana, ıua Ægyptii omnes & ſinguli vincti ſuo quis-ıue jacebant loco, ut *non viderit quiſpiam pro-cimum ſuum, nec ſurrexerit quis de loco ſuo?*

Pergo ad v. 3. λανθάνειν &c. *Latere enim pu-antes occultis peccatis, tenebroſo obliuionis ve-amento diſperſi ſunt, pauentes horrendè, & ſi-nulachris perturbati.* v. 4. οὐδὲ &c. *Neque enim, ıuæ continebat illos ſpelunca intrepidos cuſtodie-bat: ſonitus autem perturbantes eos circumſtre-pebant, & viſiones triſtibus mœſtæ vultibus ap-parebant.* In teſtes voco pientiſſimos etiam & ſaniſſimos cœtera, Noctem eſſe Terrorum, ſæpe haud fundatorum, matrem: Muſcam aſſurgere in Elephantum: ſonum quemuis vo-care ad arma, ad Incendii, nullibi extantis niſi in Imaginatione, ignem extinguendum. Com-modiſſime heic corpus noſtrum, quod circum-ferimus, comparare licet exercitui. Huic, ſi bene eſt diſpoſitus, excubitores in Extremis caſtrorum angulis, ſuis quisque locis parati, ir-ruptio hoſtilis haud adeo magno eſt terrori, nec tam alte ad interiora Caſtrorum penetrat: diſponuntur maturé omnia ad repellendos ho-ſtes. Nouit officialium quiuis & Militum, quid ſibi ſit agendum. Eſt hic caſus *vigilan-tium.* Pone nunc Excubias non expoſitas, omnem Exercitum tumultuarié in Caſtris inte-rioribus vel vagantem, vel ſecuré dormi-entem, videbis minimum quemque mo-tum, etiam falſos rumores, metu & conſter-natione replere omnia, imo vero numeroſum Exercitum parua manu ſuperari & fugari. Eſt hic caſus *dormientium.* Adde his conſcientiam prauam, ſcelerum præteritorum repræſenta-tricem, patebit, noctem verum eſſe carnifi-cem, cujus vel ſolus aſpectus horrendum in-cutit tremorem; premit ab extra miſerum au-cta aeris grauitas atque Denſitas, ab intra con-ſcientia tot flagitiis aggrauata. Exuitur Ratio dominio in ſpiritus hinc inde tumultuantes, qui mira & varia, & horrenda phantasmata ſiſtunt: heic videt auditque ſpectra, quæ reue-râ haud exiſtunt, niſi in proprio ſuo cerebro. Occaſionem huic digreſſioni dat Autor noſter, cujus relatio ſi fida, docet, DEVM non ob-ſcuraſſe duntaxat Ægyptiorum Aera, ſed & obtenebraſſe mentes, imò terruiſſe eos va-riis ἰνδάλμασι, ἤχοις καὶ φάσμασι ἀμειδήτοις. Ut omnibus præ metu ſteterint comæ, voxque faucibus hæſerit, quod poſterius proprium eſt eorum, qui *Incubo* vexantur, Cerebello à Ce-rebri mole incumbente preſſo. Plerorumque haud dubie fuit Votum. πέσετε (ὄρη καὶ πέτραι) ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κρύψατε ἡμᾶς Apoc. VI. 16.

v. 5. Καὶ πυρὸς &c. *Et ignis quidem nulla vis poterat lucere, neque ſtellarum nitidæ flammæ illu-minare ſuſtinebant triſtem illam noctem.* Nimi-rum ſplendente licet, quod ſupra vidimus, Sole, fulgente noctu Luna, lucentibus ſtellis in Horizonte Ægyptio, adeo erat Atmoſphæ-ra illa denſata, ut nullus radiis conceſſus fue-rit tranſitus.

v. 6. διεφαίνετο &c. *apparebat autem illis ſo-lum ſpontanea pyra timore plena, interim autem á non viſa illa viſione æſtimabant deteriora, quæ videbantur.* Deficiebant Lux & Ignis ab extra, ſed terrebant ignea mentes Phantasmata.

v. 7. Μαγικῆς δὲ &c. *Magicæ autem appoſita erant ludibria artis, & in prudentia jactantiæ cor-reptio contumelioſa.* Omnis Philoſophia & Ma-gica & Naturalis ad Digiti DEI nutum in lu-dibrium verſa, ut nulla omnino ratione, nul-la arte, ſuſcitare potuerint ignem.

v. 8. οἱ γὰρ ὑπισχνέμενοι &c. *Nam qui ſe pro-mittebant* (magno promiſſores oris hiatu) *ti-mores & perturbationes animæ ægroto depulſu-ros, iidem ridicula formidine laborabant.* v. 9. καὶ γὰρ &c. *Quod etiamſi nullum eos mon-ſtrum territaſſet, beſtiarum tamen tranſitu, ſer-pentiumque ſibilis exagitati periiſſent tremebundi, ineuitabilem etiam Aerem intueri ſe negantes.* Commune id impiorum fatum, ut qui á tre-mendi DEI timore ſunt alieni, percellantur ad λειποψυχίαν usque á minimo Muris ſerpen-tisque ſibilo.

v. 11. δειλὸν γὰρ &c. *Frequenter enim peſſi-ma occupant, conſcientia redarguente. Etenim formidoloſa res eſt, malitia proprio teſte conui-cta, & in conſcientia deliteſcens mala ſemper præ-ſagit.* v. 12. οὐδὲν γὰρ &c. *Nihil enim eſt metus niſi temeritatis adjumentum, & auxiliorum á ra-*

tione proficiſcentium defectio v. 14. 15. οἱ δὲ &c. *Ergo illi per impotentem vere noctem ab impotentis orci receſſu profectam, eodem ſomno ſopiti, partim monſtroſis exagitabantur viſis, partim animi defectione exolvebantur.* Dormiebant illi nocte illa τριυυχθημερινῇ oppreſſi triplici ſomno, naturali, ſtupore obdurati cordis, & Lethargo timore pleno á DOMINO iis immiſſo.

v. 16. εἰθ' ὄυτως &c. *Et hoc deinde modo, quicunque tandem fuiſſet illic collapſus, in anguſtias citra ferrum concluſus cuſtodiebatur.* Eſt reuera denſa nox verus Carcer, & conſcientia praua vinculum arctiſſimum. v. 17. 18. εἴτε &c. *Nam ſiue quis Agricola, ſiue paſtor erat, ſiue quis laborioſus in deſerto operarius, ineuitabilem quisque neceſſitatem ſuſtinebat. Siquidem omnes una tenebrarum catena conſtricti erant.* v. 19. εἴτε πνεῦμα &c. *Siue flatus ſibilans, ſiue denſos inter ramos canora vox auium, ſiue ſonitus aquarum impetu currentium, ſiue immanis ruentium ſaxorum fragor, ſiue viſum effugiens ſaltantium Animalium curſus, ſiue rugientium ſæuiſſimarum ferarum fremitus, ſiue Echo montium cauernis repercuſſa territando illos percellebant.* v. 20. 21. ὅλος γὰρ &c. *Totus enim Mundus clara luce reſplendebat, & expeditis frequens erat operibus, ſolis illis grauis nox incumbebat, imago tenebrarum, quæ ipſos in poſterum exceptura erant. Ipſi denique ſibi tenebris erant grauiores.* Scilicet totus reliquus mundus, cui Sol tum illuxit, imo & Terra Goſen, Ægypti portio, luce gaudebant.

TAB. CXXXVI.

Exod. Cap. XI. verſ. 7.

Apud cunctos autem filios Iſrael non (a) mutiet canis lingua ſua, neque in hominibus neque in jumentis.

(a) Al. non exeret linguam canis.

Apud omnes autem filios Iſrael non mutiet canis, ab hominibus usque ad pecus.

CAnis Ebræum nomen eſt כֶּלֶב *Celeb*, quod alii *quaſi cor* explicant כְּלֵב, alii *totum cor* כֹּל לֵב, alii *ſicut Leo* כְּלָבִיא, frigidis nominis ſimplicis alluſionibus. Placet *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 55. potius deriuatio à כְּלוּב quod *caueam* notat, ſed & *forcipem*, *uncinum*, quia ea eſt dentium caninorum firmitas, ea morſus tenacitas, ob muſculos Temporales & Maſtoideos fortiſſimos, ut cum Forcipibus comparare commode poſſis: niſi Forcipem á Cane deriuare velis. Adhuc hodie Arabibus & Turcis canis dicitur *Kelb*, *Meninzk.* Lex. 36. 4050. fœmella *Kelbet* Id. 3599. *eklüb.* plur. τῦ *Kelb.* Id. 5803. Seruant & Æthiopes vocem *Kelb. Ludolf. Com. Hiſt. Æth.* 149.

Quod nos reddimus, *non mutiet canis Lingua ſua*, vel, *non exeret Linguam canis*, Græci vertunt, ὀ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτῦ: Sed γρύζειν Suum potius eſt, idem quod *grunnire*. *Pollux de Vocibus Animalium* L. V. c. 13. Συῶν δὲ γρυλλισμὸς, γρυλλίζειν, γρυλλίζοντες, καὶ γρύζειν καὶ γρύζοντες. Sed ῥύζειν eſt Canum, quod & ῥόζειν ſcribitur, & ῥοίζειν & ἀῤῥαρίζειν. *Pollux* l. c. εἴποις ἂν καὶ ἀῤῥάζειν, καὶ ἀῤῥάζοντας, καὶ ῥύζειν, καὶ ῥύζαντας. *Suidas.* ῥόζειν, ῥέγχειν, ὑλακτεῖν, κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν κυνῶν, μεταφορικῶς δὲ ἐπὶ ἀνθρώπων. *Euſtathius* habet ῥοίζειν, & *Ammonius* ἀῤῥαρίζειν. Videtur ex hactenus dictis legendum eſſe, ὀ ῥύξει, vel ὀ ῥόξει, pro ὀ γρύξει κύων. Et tamen præfert *Bochartus* τὸ ὀ γρύξει, quia & legitur in Libro Judith XI. 19. ὀ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτῦ ἀπεναντί σε. & Joſ. X. 21. ὀκ ἔγρυξεν. *Heſychius.* γρύξαι, ἠρέμα κράξαι, ἠρέμα φθέγξασθαι, ἢ ὑλακτῆσαι. *Leniter clamare, leniter loqui aut latrare.* Quo ſenſu τῷ γρύξαι Græcorum reſpondet Germanicum noſtrum *grochſen*, quod fortean ex Græco deriuatur: potuiſſemus ita Textum in Vernacula reddere, *es ſol nicht ein Hund grochſen.* Reſpondet in textu Hebræorum חָרַץ, quod proprie non eſt *mouere*, ut voluit Kimchius, ſed *acuere, acrem eſſe, acriter agere.* Senſus igitur foret, *canis non exacuet, in acumen* non exeret linguam ſuam, Linguam inter dentes vibrando non producet, ut canes hirrientes ſolent.

Canis, quod notum omnibus, eſt, ignotos quoslibet morſu, ſaltem latratu laceſſere. Hinc fingitur *Hecuba* in *Canem mutata*, quia Græcorum Proceribus perpetuis conuitiis quaſi oblatrabat. *Plautus* in *Menæchmis Act.* V. *Scen.* I.

ME. Non tu ſcis mulier Hecubam quapropter Canem
Graii eſſe prædicabant? Mv. Non equidem ſcio.
ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, quenquam aſpexerat.
Itaque adeo jure cœpta eſt appellari canis.

Proin



EXODI Cap. XI. v. 7.
Canis exeuntibus mutus.

II. Buch Moſis Cap. XI. v. 7.
Kein Hund muckt.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

[illegible]



EXODI Cap. X. v. 3. 4. 5.
Agnus Paschalis ſelectus.

II. Buch Moſis Cap. X. v. 3. 4. 5.
Ausgeſondertes Oſterlam.

G. D. Heuman sc.

Proin, quod heic de Canum ſilentio legitur, l mere hyperbolicum eſt, vel inſigne, quod ǝdo, miraculum, nullum canem hirriuiſſe in tot Iſraelitarum millia Ægypto excedentia, & DEVS teſtatum voluit, ſe huic populo ſpecialius inuigilare & proſpicere. *Bochart.*

TAB. CXXXVII.

Exod. Cap. XII. verſ. 3. 4. 5.

oquimini ad omnem cœtum Iſrael, dicentes, Decimo hujus menſis, tollant ſinguli ſibi pecudem juxta (a) domos patrum, pecudem pro domo.

(a) Domus pro familia.

i vero domus minor fuerit, quam ut edendo agno (ſufficiat) ſumat is & vicinus ejus, propinquus ſcilicet domui ejus, pro numero animarum, numerabitis ad pecudem, quantum ſinguli edant.

'ecus ſit (b) integra, maſcula, annicula, quam ex ouibus aut capris accipietis.

(b) Integra, quæ omni vitio caret.

Loquimini ad uniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos ſuas.

Sin autem minor eſt numerus, ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui conjunctus eſt domui ſuæ, juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.

Erit autem agnus absque macula, maſculus, anniculus, juxta quem ritum tolletis & hœdum.

INgredimur amplam & utilem *Agni Paſchalis* Hiſtoriam. Sequemur autem Textum κατὰ πόδα, ut cuique verſiculo ſua adſit interpretatio. De vocabulo שֶׂה *Seh*, quod *agnum* notat, imo & *Capræ* eſt commune, ide ad Gen. XXX. 32. Addimus, *Homerum* ήλων nomine utrumque Pecus complecti, ηκȣ̀ς eſſe tam Caprarum, quam ouium cauas, pellem utramque νάκος, & μηλωτὴν, Excrenenta σκυράδας, vocem βλήχημα ſeu balatum, qua eſt Germanorum *bläken.* Commune eſſe Vocem שֶׂה clariſſime patet ex v. 5. Ubi ſpeialiter exprimitur, & veluti explicatur ſignificatus. *Ex ouibus aut capris eam accipietis.* Ἀδιάφορον proin fuit, ſeligere pecudem alterurum. Haud tamen eſt dubium, prælatam fuiſſe ouem, utpote manſuetam magis & docilem, victimam DEI gratiorem. Fuit quoque *Ouis* apud Ethnicos maxima Hoſtia. *Paulus* ex *Feſto, Maximam hoſtiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, ſed ab anima placatiore.* Et Græci Interpretes τὸ שֶׂה ἀμνὸν, κριὸν, πρόβατον, agnum, arietem, ouem reddunt 40. locis, χίμαρον, hœdum ſemel tantùm. Imo CHRISTVS Matth. XXV. 32. 33. ſeparat *Oues* ab *Hœdis*, electos á reprobis. Hœdus non mactatus, niſi ubi Agnus deerat. Theodoret. in Exod. Quæſt. 24. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τȣ̃ שֶׂה.

Jubentur Conuiuæ Agni conuenire *juxta domos Patrum, pecudem* (Agnum) *accipere pro domo.* Habent alii minus rectè pro *domo familias.* Familia latius patet, & diuiditur in plures domos. Joſ. VII. 14. Proin ſi minor fuerit domus, quam ut Agno comedendo par eſſet, jubebat Lex aduocare vicinos. Non autem debebat conuiuarum numerus eſſe denario minor, neque vicinario major. Contubernia, in quibus comedebatur Agnus, *Joſephus* φρατρίας vocat. Nec excludebantur Infantes; modo ne eſſent ἀρτιγέννητα βρέφη, modo geniti, quos *lacte egere* dicit Paulus Hebr. V. 12.

Debebat Agnus ſeponi *die decimo*, pro quo *Joſephus Ant.* L. II. c. 5. mira ἀβλεψίᾳ ſubſtituit τρισκαιδεκάτην τȣ̃ Ξανθικȣ̃ μηνὸς, *decimum tertium Xanthici menſis:* mactandus autem erat die decimo quarto: fuitque per quatriduum á caula ſegregatus, imo tradentibus Judæis Lectorum ſpondæ alligatus. Si Prophetarum more Ezech. IV. 6. dies ſumantur pro annis, idem videbimus in Antitypo. CHRISTVS è materna domo tanquam ex caula, anno ætatis trigeſimo ſeceſſit, quarto poſt anno cruci affixus. Et notatu dignum, CHRISTVM ipſa die decima menſis Niſan, qua Agnus in Ægypto ſeponi debebat, veniſſe Hieroſolymam. Joh. XII. 1. 12.

Debebat porro eſſe *Agnus integer*, *maſculus* & *anniculus* 1. τέλειος *perfectus*, omnis vitii & labis expers, ut quæuis alia victima, conf. Leuit. XXII. 19. 20. 21. Mal. I. 8. 2. *Maſculus*, quia mas præſtat fœmina, præſtantiora autem DEO ſunt immolanda. Sic & in Holocauſtis ſoli mares offerebantur, Leuit. I. 3. 10. Ægyptii quoque *Herodoto* teſte L. II. c. 41. Diis ſuis mactabant τὰς καθαρὰς ἄρσενας τῶν βόων, καὶ τὰς μόσχους *Boues & vitulos mundos, eosque mares.* 3. *Anniculus*, qui ſcilicet primum Annum nondum ſuperauit, Nam jam inde ab octauo die ſacrificio erat purus. Exod. XXII. 30. Leuit. XXII. 27. Non poterat proin eſſe die octauo minor, ante quem vix in cenſu Animantium æſtimari poterat, ſpurcitiesque plerumque ex partu adhæreſcit, neque Anno major. Secundo enim Anno agnorum libido accendi ſolet, qua in coitum feruntur, rarò primo, hœdorum potius. Ariſt. L. V. c. 14. Quoniam autem pecora fuere in Regionibus illis bifera, & fœturæ unius tempus incidit in menſem *Niſan*, alterius in menſem *Tisri*, Agni anniculi erant triplicis generis. 1. nati jam ante annum menſe Niſan, *vernales*, *Aquilæ* πρώϊμα, *Symmacho* πρωτόγονα. 2. nati ante ſex menſes, menſe Tisri, *autumnales*, *Aquilæ* ὄψιμα, Symmacho δευτερόγονα. 3. illo ipſo menſe Niſan nati, nondum menſtrui. Omnes has Agni Paſchalis conditiones impletas habemus in CHRISTO. Fuit is τέλειος, ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος 1. Petr. I. 19. à Peccato immunis, ut poſſet ſatisfacere pro nobis; maſculus, ut eſſet DEI Filius, Regisque & Sacerdotis & Prophetæ in Eccleſia munus cum dignitate obiret: maſculus non tam ſexus quam virtutis ratione, υἱὸς ἄρρην, ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Apoc. XII. 5. v. *Boch.*

TAB. CXXXVIII.

Exod. Cap. XII. verſ. 8. 9. 10.

Et comedent carnem illam eadem nocte, aſſam igni, & placentas infermentatas, cum amaris (Herbis) comedent eam.

Non comedetis ex ea crudum, aut quod coctione coctum ſit Aqua, ſed igni aſſum, caput ejus cum cruribus, atque interioribus.

Ne reſeruetis ex ea quidquam usque mane: quod vero ex ea usque mane relictum fuerit, igni comburetis.

Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes, cum lactucis agreſtibus.

Non comedetis ex eo crude quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni, caput cum pedibus ejus, & inteſtinis vorabitis.

Nec remanebit quicquam ex eo usque mane: ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis.

MActationem *Agni* ſequitur *aſſatio*, aſſationem ſequetur *manducatio*: videbimus ſingula eodem, quo præcipiuntur, ordine. De modo aſſationis nil habet facer textus. Deſcribitur autem á *Maimonide Lib. de Paſch.* c. 8. *Cum eum aſſant, á medio ore usque ad pudenda transfigunt cum veru ligneo, & ſubjecto Igne in medio furno ſuſpendunt.* Non proin quod nos ſolemus, verſabant in veru ferreo, ſed veru ligneo transfixum ſuſpendebant, quæ ſane figura CHRISTVM in cruce pendentem utcunque referebat. Inprimis ſi perpendamus illa *Juſtini*, rerum Judaicarum peritiſſimi, Sichemis nati ex Patre Samaritano, *Dial. cum Tryphone Judæo.* τὸ γὰρ &c. *Agnus enim aſſus in figuram cruci ſimilem conformatus ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur; & aliud rurſus ad interſcapilium, cui appenduntur Agni manus* ſeu pedes anteriores. *Boch. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50.

Præcipiuntur cum Agno מַצּוֹת *Azyma infermentata* & מְרוֹרִים *amaræ* herbæ. Sunt מצות proprie panes puri & ſinceri, ab omni fermento expurgati. Nam Fermentum pro corruptionis genere agnouere Veteres. Hinc *Hieronymus.* 1. Cor. V. 6. & Gal. V. 9. pro ζυμοῖ habet *corrumpit.* Modicum fermentum totam *maſſam corrumpit.* Refert. *Plutarch. Rom. Quæſt.* fermenti uſum *Flamini Diali* fuiſſe interdictum, quia ἡ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ καὶ



EXODI Cap. XII. v. 8. 9. 10.
Agnus Aſsatus.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 8. 9. 10.
Bratendes Oſterlamm.

H. Sperling sculp

PJCB

RPJCB



EXODI Cap.XII.v. 8. II. Buch Moſis Cap.XII. v. 8.

Herbæ amaræ, Endivium et Cichorium. Weiſſer Andorn, Syriſch Körfel-Kraü

G.D.Heüman sculp.

ὴ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη, *fermentum cum pſum ſit ex corruptione natum, maſſæ admixtum llam corrumpit.* Et mox: καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις ἡ ζύμωσις εἶναι *atque omnino fermentatio videtur eſſe putrefactio.* Et eſt ſane Fermentatio gradus, via, ad corruptionem. Quæ putreſcunt, per fermentationem tranſeunt. Eſt fermentatio incipiens partium diſſolutio, Putrefactio totalis. Illud proin Apoſtoli monitum, ut Feſtum celebremus in ἀζύμοις εἰλικρινείας. 1. Cor. V. 8. eſt ita intelligendum, ut unitis & veluti compactis animi & corporis, Intellectus & Voluntatis viribus reſiſtamus cuicunque malo, & diſſolui nos non patiamur á voluptatum aliorumue vitiorum illecebris. Ita quidem phyſicé de fermentatione ratiocinari licet, ſed aliter Medice. Eſt hic fermentatus panis præſtantior infermentato, leuior, magis εὔπεπτος, hic compactus nimis & δύσπεπτος. Propterea non, quod *Tacitus* voluit, perpetua lege & pro quotidiano uſu Judæis fuit panis azymus præſcriptus, ſed duntaxat, myſtico ſenſu, Azymorum illo feſto, imo ne quidem omnibus ſeptem diebus; primo namque fuit neceſſarium, ſex reliquis liberum: & tunc pro Azymis edere licuit *Oryzam, Panicum, fruges toſtas*, aut *fructus*, quod ex Salomone & *Maimonide* probat *Petauius* in *Epiphanium ad Audianorum hæreſin* p. 293. Attamen vetitum fuit per illos dies non ſolum fermentum comedere, ſed & domi habere, idque ſub graui pœna excifionis ex Iſraele. *Boch.* l. c.

Pergo ad מְרוֹרִים *merorim*, Plantas amaras, LXX. πικρίδες, de quibus dicere poſſumus, laborare nos & copia & inopia: copia ſi catalogum legamus, quæ ſacro huic uſui fuerunt juxta Judæorum traditionem adhibitæ; inopiâ, ſi perpendamus nomen illud eſſe generale, imo inopia, ſi conuenire debeant ſequentes notæ. 1. oportuit eſſe amaras, id vult etymon מרר *amarum eſſe*, מְרִירִי *amarum*, מְרוֹרָה *fel*. 2. edules. 3. vernas, quia edebantur menſibus vernis. Exod. XII. 8. Num. IX. 11. 4. reperibiles in Ægypto, Judæa & vicino deſerto, ubi Paſcha celebratum eſt. 5. obuias, & in promiſcuo uſu, nam rariores nec occurriſſent facile, nec ſufficere potuiſſent tantæ multitudini.

Miſnæ Autor in *Peſachim* c. 2. f. 39. & ex eo *Maimonides* Lib. *de ferm.* c. 7. §. 13. has quinque numerant חזרת *Chazareth*, עולשין *Ulſin*, תמכה *thamca*, חרחבינא *charchabina*, & מרור *meror*. *Chazareth* lactucam eſſe in confeſſo ponit *Bochart.* p. 603. eamque *capitatam*, quam Germani nos *Häuptlein-Salat* nuncupamus. In Gemara explicatur per חסא *chaſſa*, quæ Arabica eſt, & Lactucam notat. Utrumque & חזרת & חסא deriuant Gemariſtæ à חוס *miſereri*, quod ejus uſus ſit in veſpera Paſchatis, in Cœna, quæ inſtituitur in memoriam Agni Paſchalis, qui Symbolum fuit Miſericordiæ diuinæ. *Quid eſt chaſereth? idem quod chaſa? quia miſertus eſt DEUS noſtri. Bartenora in Peſach* c. 2. f. 39. & monet *Buxtorff. Lex. Rabbin.* p. 722. לְטִיךְ notare Rabbinis ipſam *Lactucam Lattich*. Speciatim autem huc pertinet *Lactuca Picris* dicta apud *Plinium* L. XIX. c. 8. *peſſimum* (Lactucæ) *genus cum exprobratione amaritudinis appellauere picrida.* Sed eſt, ut mox videbimus, *picris* etiam *Cichorii* Synonymum, & ipſius *Lactucæ ſatiuæ* C. B. folia caulefcente Planta amareſcunt. *Lactucam capitatam* exhibet Fig. I.

TAB. CXXXIX.

VArie עולשין *Ulſin* redditur, *Intybus, chærophyllum, cicerbita, Sonchus, Troximum*, plerique tamen *Intuba*, de quibus Poëta:

— — & amaris intuba fibris.

Pro *Intybo* ſtat *Gemara Hieroſolymitani Talmudis* in *Peſachim*, ubi עולשין interpretatur טרוקסימון *Troximum*, Τρώξιμον, quod ipſum eſt *Intybum*, σέρις, *Didymus Geopon.* L. XII. c. 28. Σέρις, τἔτ' ἐςι τρώξιμα. *Trallianus* paſſim, ἔντυβον καὶ τρώξιμον. Hinc quia *Intybum* edule, & in Acetariis crudum comeditur, *Gloſſæ* á *Stephano* editæ p. 12. *Acetaria* τρώξιμα, nempe á τρώγω. Sed in *Gemara* ſunt עולשין duarum ſpecierum, *Ulſin agri* & *ulſin horti*, & additur, *Ulſin horti* eſſe *Lactucam*, quia nempe Lactucæ ſimilis. *Dioſcoridi* Σέρις, *Intubum ſatiuum Lactucæ ſimilius eſt & latifolium.* Nam diſtinguit & ille Σέριν ἀγρίαν ab ἡμέρω, addit, ἀγρίαν σέριν Πικρίδα vocari. Erit igitur *Ulſin horti* Endiuia, Endiuien Fig. II. *Ulſin agri Cichorium* Fig. III. de quo plura infra.

TAB. CXL. CXLI. CXLII.

SEquitur תמכה *Thamca.* Hoc R. *Salomo* exponit מרובייא *marrubium*, *Baal Aruc* קרדו *Carduum*, *Gemariſtæ Hieroſolymitani* גנגיר *Gingidium*, alii *muſcum* creſcentem circa Palmam, Judæi recentiores *Raphanum majorem Bochart* p. 607. *Parthenium* τῇ γεύσει πικρίζον *Dioſcoridi*, quod & Afri vocant *Thamacath.* *Auctarium Dioſcoridis.* παρθένων, Ἄφροι θαμακὰθ. Apud *Plinium* legitur & *Tamnacum* L. XXI. c. 30. Et quædam *Parthenii* ſpecies hodieque vocatur *Tanacetum*, unde Gallorum *Tanaſie*. Hujus ſemen adhuc hodie ſaccharo conditur. Sapor ejus licet eſt amarus, non tamen eſt injucundus v. *Bochart. Phaleg* L. II. c. 15. Cocq. *Phytol.* S. c. 20. Sect. I. §. 2. p. 255. Poſſumus proin pro *Thamca* agnoſcere vel *marrubium album vulgare* C. B. Fig. IV. vel *Gingidium folio Fœniculi* C. B. Fig. V. vel *Gingidium foliis chærefolii.* C. B. Fig. VI. vel *Tanacetum vulgare luteum* C. B. Fig. VII. vel *Matricariam vulgarem ſeu ſatiuam* C. B. Fig. VIII. omnes has Plantas potius, quam Chærophyllum ſatiuum C. B. quod pro *Gingidio Dioſcoridis* agnoſcit *Ruellius.* Eſt enim hoc dulcis ſaporis non amari.

Minus conſtat, quid ſit חרחבינין *Charababinin* vel *Charchobinin. Maimonides* & *Bartenora* poſt *Iſaacum* exponunt per Arabicum קרצינא vel קרציינה *Kirſenna*, *Eryngium.* Conſtat id ex *Auicenna* qui ad *Kirſennam* refert, quod de *Eryngio* habent Dioſcorides & *Galenus. Dioſcoridi* herba eſt τῶν ἀκανθωδῶν, *é ſpinoſarum genere*, *cujus initio* (hoc eſt, primum naſcentia) *folia ſale condita olerum modo comeduntur.* Legit *Hiller. Hieroph.* P. II. p. 57. *Kerratzina*, *Chamæmelum.* Gemariſtis חרחבין *Charchabin* idem videtur cum חרחלין, ſed eſt utrumque æque ignotum. Suſpicabatur aliquando *Bochart. Hieroz.* p. 607. pro חרחבין ſcribendum eſſe חרהכין *Charchacin*, *Urtica.* Hebræis ſane חרך eſt *urere* & חרול pro *Urtica* occurrit Job. XXX. 7. Soph. II. 9. Urticam autem in cibis adhiberi non ſolum in extrema fame, ut apud *Procop. Goth.* L. III. & in morborum remedia, ſed quoque in quotidianum uſum, patet ex *Chryſippo* apud *Athenæum* L. IV. μήποτ' ἐλάιαν ἔσθι' ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρα. *Ne comede unquam oliuam* (id eſt, optima quæque) *ſi urticam habeas Hyemis tempore.* Tandem *Urticæ* tribuitur *amaritudo mordax* apud *Plinium* L. XXI. c. 13. Damus nos prærogatiuam *Chamæmelo* ſiſtentes Fig. IX. *Chamæmelum vulgare*, *Leucanthemum Dioſcoridis* C. B. pro *Eryngio*, ſpeciatim *marino* ſtat, quod radices ſaccharo conditæ principem inter dulciaria locum obtineant, teſte *Rajo Hiſt. Plant.* p. 384.

TAB. CXLIII.

GEnerale nomen eſt מְרוֹרִים omnibus Herbis amaris, quarum in Paſchate uſus fuit, ſed & ſpeciale מרור *meror* ut *Græcum* πικρὶς. *Lactucæ* ſpecies ceteris amarior *Plin.* L. XIX. c. 8. *Peſſimum autem Lactucæ genus cum exprobratione amaritudinis appellauere Picrida.* Et L. VIII. c. 27. *Picrida ſilueſtrem lactucam* vocat. *Titulus in Apuleii Herbario* c. 30. de *Lactuca ſylueſtri Græcis* θρίδαξ ἀγρία *dicitur*, *aliquibus* πικρὶς. Hinc *Hieronymus* in *Exodo & Numeris* Græcum ἐπὶ πικρίδων reddidit cum *Lactucis agreſtibus.* Eſt & πικρὶς *ſylueſtre Intubum. Dioſcorides* loco ſupra allegato, *Aetius*, *Suidas* & *Theophraſtus* πικρίδα ponunt inter τὰ κιχωριώδη. *Plin.* L. XXI. c. 17. *Amara aphace, & quæ picris nominatur, & ipſa toto anno florens: nomen ei amaritudo impoſuit.* Illuſtrandis his facit, quod *Abenbitari Meruria* ſit *Intubi ſylueſtris ſpecies maximé amari.* Et *Serapioni* in Libro *Albaui* ſeu *Aggregatore Lactucæ ſpecies, in qua eſt amaritudo & unde fluit Lac.* Erit itaque מרור *Cichorium* vel *Sonchus*, nam huic conuenit magis nota à Lacte deſumta, quam & Lactucæ ſylueſtri dat *Dioſcorides* & *Theophraſtus Hiſt.* L. VII. c. 4. cui hoc Lactucæ genus dicitur ὀπῶδες σφόδρα, *lactiferum valde*, confer *Bochart.* p. 606. placeret *Sonchus læuis laciniatus latifolius* C. B. Fig. X. cui jungo *Sonchum læuem anguſtifolium* C. B. Fig. XI.

Numerant quoque Gemariſtæ inter Paſchales Herbas הרדופנין *Hirdophnin*, quæ non tam Herba, quam Arbuſtum eſt, & quidem *Rhododaphne* ſeu *Rhododendron.* In *Schemoth Rabba* c. 5. dicitur ad *Aquas creſcere, floresque habere Roſis ſimiles, & folia, quæ Beſtiis ſint venenum.* Ita & *Dioſcorides* τὴν ῥοδοδάφνην dicit creſcere τόποις παραποταμίοις, ſecus amnes, & habere τὸ ἄνθος ῥοδοειδὲς. De vi Rhododaphnes Aſinis, Mulis, Equis, & aliis pecoribus



Exodi Cap. XII. v. 8.
Marrubium album, Gingidium.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 8.
Endivien, Wegwarten.

G. D. Heuman sculp.

RPJCB



EXODI Cap.XII.v.8.
Gingidium, Tanacetum.

II. Büch Moſis Cap.XII.v.8.
Fremd Körfel-Kraüt, Reinfaren.

G. D. Heüman ſculp.

RPJCB



EXODI Cap. XII. v. 8.
Matricaria, Chamæmelum.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 8.
Mutter-Kraut, Chamillen.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB



EXODI Cap. XII. v. 8.
Meror, ΠΙΚΡΙΣ, Sonchus.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 8.
Sonchen-Kraut.

Catharina Sperlingen scu

ꝑus lethifera plura legi poſſunt apud *Lucianum* n *Lucio*, *Strabonem* L. XV. *Dioſcoridem*, *Plinium*, alios. Merentur autem inprimis legi, quæ de vi venenata *Chamærhododendri Ponticæ maximæ Meſpili folio flore luteo*, & mellis inde ꝑb apibus collecti obſeruat *Tournefort Voyage.* T. II. p. 221. *Hirdophnen eſſe Rhododendron* teſtatur quoque *Cohen de Lara* Tr. *de conuenientia Vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis.* Lit. ה p. 35. *Hirdophne*, ῥοδοδάφνη, *Rhododendrum Hiſpanorum Adelfa mata conccida.*

In generali מְרוֹרִים *Plantarum amararum* inſinuatione ſubſiſtit DEI mandatum, ut maneret Judæis ſeligendi inter oleraceas vel lactuceas libertas: nam non omnis fert omnia tellus. Hodierni Judæi utuntur *Raphano majori*, *Armoracia*, *Chærefolio*, *Petroſelino*, *Hederæ foliis* & ſimilibus, pro Regionum diuerſitate, *Lochner Nerium* p. 71.

Non fuerunt hæ *Herbæ amaræ* absque Myſterio. Significabatur *vita amara*, quam viuebant in *ſeruitute illa* graui ac dura, nempe *luto & lateribus omnique ſeruitio ruris.* Exod. I. 14. Ut exclamare omnino potuerint, quod poſteri in captiuitate illa Babylonica. Thren. III. 15. *Satiauit me amaritudinibus, inebriauit me Abſinthio.* Dicuntur quippe Hebræis *amara*, quæcunque animum grauiter angunt. Eolem fine comedebatur & Panis azymus, utpote Palato parum gratus, *panis miſeriæ.* Deut. XVI. 3. Azyma hæc fruſtulatim apponuntur, quia pauperibus diſtribuuntur κλάσματα, non panes integri conf. Boch. p. 611.

Pergimus ad reliqua Præcepti v. 9. *Non comedetis ex ea, crudum, aut quod coctione coctum ſit aqua, ſed igni aſſum.* Crudum eſt Hebræorum נָא *na*, vox ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, proprie non plane *crudum* ſed *imperfectê coctum.* Sic exponunt Doctores recutiti, *Maimonides*, *Selomo*, *Kimchi*, *Pomarius.* Idem vult *naa* Arabum. Verbo: non debebat eſſe caro ἡμιόπτη, *ſemiaſſa* vel ſolum *uſtulata*, qualis illa apud *Alexim* in *Pannychide*, ubi quidam coquum ita objurgat:

> \- - - ἡμιόπτα μὲν
> τὰ κρεαδ' ἐςὶ, τὸ πεκομμ' ἀπόλλυται
>
> \- - - ſemicoctæ ſunt
> Hæ carnes, corruptum eſt minutal.

Qualis ſæpe comedi ſolet ab Anglis, imo plenè aſſatæ præferri. Reddidit *Oleaſtrius* hoc נָא *fractum, diſſectum* à נוּא *frangere, diſſecare*, & vult agnum debere aſſari integrum, non diſſectum per partes, ut fit in iis, quæ elixari ſolent, imò & ſæpe aſſari. Sed eſt hæc interpretatio ἀπροσδιόνυσος. Aſſari quidem poteſt agnus integer, ſed non comedi niſi diuiſus aut diſſectus. Quis igitur animo concipiat, DEVM Moſi dixiſſe non *comedetis agnum diſſectum?* Præſcriptus eſt & coctionis modus, *aſſatio.* Notabilis heic diſtinctio inter agnum Paſchalem, & reliqua Sacrificia. Illum aſſare, hæc elixare oportuit. *Ita illi coxerunt Paſa Igne juxta morem, quæ vero ſanctificata fuerunt, coxerunt in ollis, abenis & caldariis* 2. Paral. XXXV. 13. ubi aperte diſtinguitur *coctio ad ignem*, id eſt, aſſatio á *coctione in ollis*, elixatione. Et aſſandum quidem erat *caput* Agni cum *cruribus atque interioribus.* Sed quomodo id intelligendum? Num viſcera manebant intra Agnum non exenteratum? Sic, parum abeſt, Hottentottorum cœnam egiſſent, fœdam ſatis & ſpurcam, quod manſiſſent inteſtina cum Excrementis, imo horum fœtor integrum Agnum conſpurcaſſet. Placet, quod commentantur Judæi, aliàs circa hujusmodi ritus nimium ſuperſtitioſi, viſcera debuiſſe ſeponi á corpore, & ſeparatim in furno ſuſpendi, nec in Agni ventrem retrudi: fuiſſet quippe hæc, retruſione facta, inſtituta aſſatio elixationis ſpecies, & agni corpus inſtar ollæ. Ex cauſis, cur aſſari debuerit Agnus, placent quæ cum feſtinatione Iſraelitarum conueniunt. Eſt hic coquendi modus ſimpliciſſimus & citiſſimus. Non opus olla, non Aqua, non alieni ſaporis condimento, ſed ſolo Igne. Hinc *aſſa caro ſola* dicitur Latinis, & *aſſa voce cantare* idem quod *ſola voce*, nullo organo adhibito. Huc facit, quod legimus apud *Homerum* Iliad ξ. Ubi *Eumæus* bubulcus:

> Ὀπτήσας δ' ἄρα πάντα φέρων, παρέθηκ' Ὀδυσῆι.
> Omnia aſſata afferens appoſuit Ulyſſi.

Ad quem locum *Euſtathius.* *Nota hîc, diligentem Eumæum, aſſas carnes Ulyſſi apponere, cum eas tumultuarié paraſſet præ feſtinatione.* His quidem excluſum nolo myſterium: Iræ diuinæ in Peccatores accenſæ ardorem exprimit commodé aſſatio. Huc faciunt graues illæ querelæ. Pſal. XXII. 15. 16. *Factum eſt cor meum ſicut cera liquefactum intra viſcera mea, exaruit ut teſta virtus mea, Lingua mea adhæreſcit faucibus.*

Supereſt Lex illa v. 10. *Ne reſeruetis ex ea quidquam uſque mane, quod vero ex ea usque mane relictum fuerit, Igni comburetis* Obſeruatum id in omnibus ſacris conuiuiis, *Manna.* Exod. XVI. 19. *Sacrificio Euchariſtico* Leuit. VII. 15. XXII. 30. Tale quid habuere & Romani, teſte *Macrobio Saturn.* L. II. c. 2. *Sacrificium apud Veteres fuit, quod vocabatur* Proteruia. *In eo mos erat, ut ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis jocus eſt. Namque* Albidium *quendam, qui ſua bona comediſſet, & nouiſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet,* Proteruiam *feciſſe dicebat, quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.* Imo & in priuatis aſpernabantur pridianas dapes. Unde ἑώλον, id eſt, τὸ ἐις τὴν ἕω λειπόμενον, *quod in Auroram usque relinquitur*, *Suidæ* idem quod ψυχρὸν, μάταιον ἀνωφελὲς, ἀνίσχυρον *frigidum, vanum, inutile, inualidum.* Et cautum fuit hac Lege, ne ſacri cibi conſume-

 rentur,

rentur, vel in profanos cederent uſus. Sane Agni λείψανα vel oneraſſent diſceſſuros Iſraelitas, vel Ægyptiis fuiſſent ludibrio, canibusue prædæ, ſi relinquerentur. Imo forte hæ reliquiæ Iſraelitis ipſis ſeruatæ ceſſiſſent in objectum Idololatriæ uti ſerpens æneus.

TAB. CXLIV.

Exod. Cap. XII. verſ. 11.

Sic autem comedetis illam, Lumbi veſtri ſint accincti, calceamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculus veſter in manu veſtra, & comedetis eam cum feſtinatione, Pæſa hoc DOMINI.

Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes, eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini.

NE quis miretur hunc Judæorum habitum: Viatorum eſt mox iter aggreſſurorum, per arenoſa deſerta, rudes ſcopulos inceſſurorum. In Ægypto videntur degiſſe diſcalceati, tum quia Pharaonis mancipia, tum quia Orientalium is mos vetuſtiſſimus. Occurrunt paſſim ἀνυποδησίας exempla. In *Lycophrone Baleares.*

῎Αχλαινον ἀμπρεύουσι, νήλιπον βίον.

Sine tunica trahunt diſcalceatam vitam.

Ex *Xenophontis Libro* de *Lacedæmonum politia* diſcimus, noluiſſe Lycurgum ut calceis emollirentur horum pedes, ſed eorum priuatione obdurarentur. De Cretenſium pueris venationi incumbentibus, imo puellis Veris tempore flores in montibus quærentibus idem legimus apud *Oppianum*, L. I. & IV. *Cyneg.* de Cyrenaicis Virginibus in *Callimachi Hymno in Cererem*; Quin Virgo Regii Sanguinis *Antigone* in *Sophoclis Oedypo Colonæo* deſcribitur:

- - - πολλὰ μὲν κατ᾽ ἀγρίαν
῞Υλην ἄσιτος νηλίπους τ᾽ ἀλωμένη

- - - ſæpe in horridis
Syluis jejuna & nudipes oberrans.

Diſcalceatos vel ſemper vel ſæpe offendimus *Phocionem* apud *Plutarchum*, *Lycurgum* Rhetorem, *Catonem* apud eundem in horum Vita, *Neronem* apud Suetonium c. 51. *Cottam* apud *Martialem.* L. XII. Imo *Clementis* Judicio *Pædagog.* L. II. c. 11. viro maximè conuenit, ut ſit diſcalceatus, niſi ad militiam proficiſcatur; *Guido Panciroll.* L. I. *Rer. perd.* p. 318. ait: *Dio refert: Senatores olim diſcalceatos fuiſſe, præterquam ſi publice conueniſſent; Catoniani* moris mentionem facit *Horatius.* L. I. Ep. XIX.

Quod ſi quis vultu toruo ferus, ac pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem,
Virtutemque repræſentet, moresque Catonis.

Videtur ἡ ὑποδησία fuiſſe moleſta; τὸ ὑποδέδεσθαι idem quod τὸ δέδεσθαι *vinciri*, ac ſi *caligatum* dixeris *Ligatum.* Apud ipſos Judæos proſtant excalceationis exempla, *Dauidis* 2. Sam. XV. 30. *Jeſajæ* XX. 2. *Ezechielis* XXIV. 17. *Berenices* Regis Agrippæ Sororis, quæ pro Judæis γυμνόπους πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευσε τὸν Φλῶρον, *nudipes coram tribunali Florum* Judææ Gubernatorem *deprecata eſt*, teſte *Joſepho Bell. Jud.* L. II. c. 15. *Hegeſippo* L. II. c. 8. Et diſtinguenda ſunt Climata. In Septentrionalibus noſtris ἡ ἀνυποδησία minus eſt & familiaris & ſalutaris, ſed in feruidis plagis, qualis eſt Ægyptus, facile ſuſtinenda. Et hodie Afros, in eodem cum Ægypto parallelo magna anni parte nudis incedere pedibus nemo neſcit. Sed quod ſupra innui, calceatio jam erat neceſſaria pro Itinere longo, aſpero, ſenticoſo, imo 40. annorum, quorum decurſu per miraculum calcei non fuere detriti. Deut. XXIX. 5. Huc facit monitum illud in *Theocriti Paſtoribus*

᾽Εις ὄρος οὐκ᾽ ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε,
᾽Εν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε, καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

In monte cum ambulas, ne diſcalceatus eas, Batte,
In illo enim Rubi & Aſpalathi frondent.

Ut manus rudi labore, ita pedes nudo inceſſu redduntur calloſi. Videntur autem noſtri Paſcha comediſſe non ſedentes ſed ſtantes, ἀκλινῶς καὶ παγίως ἑςῶσι τοῖς ποσὶ, *pedibus immobiliter & firmiter ſtantibus*, ut legimus apud *Philonem Lib.* de *Sacrificio Abelis & Caini.* Ad hunc ritum alludit Apoſtolus. Eph. VI. 14. 15. Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ Ευαγγελίου τῆς ειρήνης

TAB.



EXODI Cap. XII. v. 11.
Coena Paschalis.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 11.
Verzehrung des Oſterlamms.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJC



EXODI Cap. XII. v. 22.
Hyſsopus Origanumque intincta.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 22.
Eingetauchte Yſop und Doſten.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB



EXODI Cap. XII. v. 22.
Postes ſanguine sparsi.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 22.
Blut-beſprengte Thür-Pfoſten.

M. Tyroff sculp.

TAB. CXLV. CXLVI.

Exod. Cap. XII. verſ. 22.

(a) Accipite quoque faſciculum Hyſſopi, & tingite in ſanguine, qui fuerit in pelui, & contingite ſupera limina & duos poſtes ſanguine, qui eſt in pelui, nullusque ex vobis domus ſuæ fores egrediatur uſque mane.

(a) Ebr. trahite & accipite, ut Germanus dicit: *Ziehend hin.*

Faſciculumque Hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & utrumque poſtem, nullus veſtrum egrediatur hoſtium domus ſuæ usque mane.

OCcurrit heic ante omnia אֲגֻדַּת אֵזוֹב *faſciculus Hyſſopi,* qua debebant aſpergi Ædium poſtes & ſuperliminaria. Aliud Aſpergillum ex Cedro, Coccino & Hyſſopo inuenimus. Leuit. XIV. 6. 7. 49. 51. Num. XIX. 6. 18. Quo alludens David á peccatis ſuis purgari petit Hyſſopo. Pſ. LI. 9. Id propter ὕσσωπος *Heſychio* dicitur βοτάνη ...μηχῦσα, herba *abſtergens*, *purgans*. Hebræum אֵזוֹב etiam per ὕσσωπον reddit Apoſtolus Hebr. IX. 19. 21. Vocum adeſt ſimilitudo Hebraicæ, Græcæ, Chaldaicæ אזובא *ezoba*, Æthiopicè, *Ezob*. Taceo Linguas Europæas plerasque, Italicam *Hiſſopo*, Hiſpanicam *Iſopo*, Gallicam & Anglicam *Hyſſope Iſope*, Germanicam *Iſop*, *Yſop*, Belgicam *Yſope*, Danicam & Hungaricam *Iſop*, Bohemicam *Hyſop*, Polonicam *...ſopie*, Lithuanicam *Izapas*. Et ſane non potuerunt falli Græci Interpretes, qui ὕσσωπον conſtanter reddunt, quia tunc, cum ſacros libros ſunt interpretati, ſtetit adhuc Judæorum Reſpublica, in qua τȣ̃ *Ezob* quotidianus erat uſus aſperſorius, ut nullum Sacerdotum latere potuerit, quid eſſet *Ezob*, quos inter fuit & *Joſephus*, imo unus é primis, qui & Græcos ...it ſequutus. Affine inſuper eſt Syriacum *...upha*, pro quo male nonnulli legerunt *lupha* ...είζωον. Arabes quidem exponunt צעתר i. e. *Origanum*. Sunt *Origanum* & *Hyſſopus* plantæ affines, imo Succedaneæ, in eadem apud optimos Botanicos claſſe, & Hyſſopus veterum Origano haud abſimilis, Ὀρίγανος Ἡρακλεωτικὴ ...ύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ & *Origanum Onidis* ...υκοτέρα τοῖς φύλλοις καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ. *Dioſc.* L. III. c. 32. 33. hinc & Talmudici ציתרי *Tſithri Origanum* numerant inter Hyſſopi genera. Imo & ſunt Herbæ congeneres, *Ma...um*, *Sampſuchum*, *Majorana*. Et pro *Majorana* inclinat *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 50. Tolerari poſſunt hi omnes, ut Judæis licitum fuiſſe autumem, pro Regionis diuerſitate vel hac vel illa congenere Planta uti: Nam non omnis fert omnia Tellus. Sunt & ipſius *Hyſſopi* variæ ſpecies. In *Tractatu* Talmudico *de Sabbatho* פאה *Peah*, סיאה *Seah*, צתרי *Tſithri*, קורנית. Ignota jam omnibus Botanicis nomina. Facilius forte cum Botanica moderna conciliari poſſent, quæ á regione in qua creſcunt, denominationem habent, videlicet אזוב יון *Hyſſopus Græca.* אזוב כוחלי *Hyſſopus Cochalienſis*, אזוב רומי *Hyſſopus Romana*, אזוב מדברי *Hyſſopus ſylueſtris* vel ex *deſerto*, quæ leguntur in *Cholin* c. 3. f. 62. b. Ex quibus haud dubié liberum fuit Judæis, eam eligere ſpeciem, quæ erat ad manus; ſed miror, quo fundamento *Tremellius* אזוב exponat per *Muſcum*, *Lev. Lemnius* & *Schindlerus* per *Adianthum*. Haud dubie hi pro baſi ponunt 1. Reg. IV. 33. ubi *Salomon* dicitur *diſſeruiſſe de Plantis à Cedro, quæ eſt in Libano, usque ad ezob, qui naſcitur ex pariete*, id eſt, à maximis ad minimas, quales ſunt *muſci*, *Adiantha*, *ruta muraria*, *Trichomanes*, quæ vero Paſchatos noſtræ Hiſtoriæ & aſpergillo haud quadrant. Quadraret potius *Piſcatoris* & *Ochini Libanotis* ſeu *Roſmarinus*. Manebimus in *Hyſſopo*.

Hyſſopi Officinarum cœruleæ ſeu ſpicatæ C. B. *Hyſſopi vulgaris ſpicati anguſtifolii flore cœruleo rubro & purpureo* J. B. cujus & adjicimus Iconem Fig. I. & Characteres Fig. II. hæc eſt apud J. B. deſcriptio. Ex radice lignoſa, gunt plures, quadratæ, ſubhirſutæ, geniculatæ, dodrantem longæ, ramoſæ, ad quarum nodos folia oriuntur verticillatim poſita, foliis Lauendulæ ſimilia, ſed duplo breviora, ſapore acriuſculo, odore non ingrato: flores in ſpicam longam digeſti ſunt ad ramorum articulos, in unam partem fere ſpectantes, monopetali, labiati, quorum labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, bifidum, in tres par-

tes diuiſum, mediâ cochlearis inſtar excauata bicuſpide, & quodammodo alatâ. Ex calyce ſurgit piſtillum 4. veluti Embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. Ex J. B. & *Tournefortio.*

Eſt *Hyſſopus*, quem non dimittimus abſque myſtico uſu Planta aromatica, quæ ratione volatilium ſuarum & oleoſo-ſalinarum particularum reſoluit ſanguinem viſcidum, majorem in corpore motum caloremque excitans, hinc & á veteribus Plantis calidis adnumeratus. Ita ſane Sanguis & omnis paſſio CHRISTI rigida noſtra & frigida corda excitat, mortuos nos in peccatis reſuſcitat, cupiditates nobis natura viſcoſitatis aut glutinis adinſtar adhærentes abſtergit, reſoluit, diſſipat, vitales, ſpirituales, reddit. Εὐωδία Hyſſopi, & amaricans ſapor repræſentat ſacrificium unicum & fragrantiſſimum CHRISTI, nosque ipſos diſponit, ut opera bona in fragrantem odorem & gratitudinis teſtimonium DEO offeramus deuotiſſima mente. Reſiſtit Hyſſopus vi amaroris ſui putredini, & lumbricos viſcera noſtra lancinantes enecat. Ita & nos ſanguine dulciſſimi Seruatoris aſperſi, nec alio medio, rodentem conſcientiæ Vermem ſubigimus, & tranquillas reddimus animas. Abſtergens eſt Planta Hyſſopus, & viſcoſitates parietibus ventriculi ac inteſtinorum affixas veluti defricans, uſualis proin in balneis & clysmatibus, externa forma cum vino cocta in Epithematibus adhibetur ad diſſipandos tumores varios, etiam inflammatorios. Ita & nos ſanguine CHRISTI fermentum veteris Adami abſtergimus, paſſionibus deprauatis quibuscunque nos liberamus, inde á Planta Pedis usque ad capitis verticem, tumoribus ulceribusue obſitos. Specificum porro perhibetur Hyſſopus in Epilepſia, teſtibus vetuſtiſſimis Arabum & Græcorum Medicis, *Hippocrate* de *Morbo Sacro*, *Tralliano* L. I. c. 15. *Meſſue de Simpl.* c. 18. *Jan. Damaſcen.* L. III. *art. curand.* c. 23. Tali morbo caduco conferri queunt percommodè variæ Tentationes, anxietates, conſcientiæ terrores & angores, quibuscum ſi confligandum nobis eſt, præſtantius non ſuppetit remedium, quam pretioſiſſimus Seruatoris Sanguis. Silentio prætereo, ne euagari nimis videar, alias Hyſſopi proprietates, ſtaturam non alté ſurgentem, Humilitatis indicem, vires pectorales, cephalicas, Cosmeticas, relegans Lectorem ad *Wedelii Diſputationes de Hyſſopo in genere, de Hyſſopo Herba Sacra, de Hyſſopo myſtica*, quæ extant in *Exerc. Medic. Philol*, Dec. VII.

Vas, quo Agni ſanguis excipitur סַף *Saph* vocatur, Plurale ספּוֹת סִפִּים vel סַפּוֹת occurrit. Jer. LII. 19. 1. Reg. VII. 50. 2. Reg. XII. 13. ubi de Vaſis Sanctuarii. Hinc forte *ſimpuuium*, *ſimpulum* dictum vaſis lignei genus in ſacris adhibitum apud *Nonium* ex Varrone. *Bochart. Hieroz.* p. 586. cujus diuerſas ſiſto formas ex veterum Romanorum Monumentis. Eſt & *Sipho* Hydracontiſterium, machina reſtinguendis incendiis idonea. *Heſychius.* Σίφων ὀργανόν τι εἰς πρόεσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. Quocum percommode comparatur cor, infiniti artificii Hæmacontiſterium, & naturali, & myſtico ſenſu huc quadrans, quod fuſius diducere nunc haud vacat.

Præcepit DEVS, *ut nullus* Iſraelitarum *domus ſuæ fores egrederetur usque mane*, ut nempe ſe viderent ſub cuſtodia agni Sanguinis cuſtoditos, neque in manus Angeli percuſſoris inciderent. Sic Noacho & Noachidis nulla fuit ſalus, niſi in Arca, familiæ Raab in Jerichuntis excidio nulla niſi in domo, ex qua pendebat funiculus coccineus, cui quoad colorem reſpondebat Sanguis Agni. Huc videtur alludi Jeſ. XXVI. 20. Ita fidelibus Noui Teſtamenti nulla Salus niſi in Domo DEI in Sanguine Agni immaculati.

Quia *Origanum* & *Majorana* Plantæ ſunt *Hyſſopo* congeneres, ſiſtere volui Tab. CXLV. Fig. III. *Origanum ſylueſtre*, quod *Cunila bubula Plinii* C. B. ſiue *Origanum vulgare ſpontaneum* I. B. & Fig. IV. ejus characteres; nec non Fig. V. *Majoranam vulgarem* C. B. ſiue *Majoranam majori folio ex ſemine natam* I. B. ejusque characteres. Fig. VI.

RPJCB



EXODI Cap. XII. v. 29. 30.
Cædes Primogenitorum.

II. Buch Moſis Cap. XII. v. 29. 30.
Erſchlagene Erſtgeburth.

I. A. Fridrich sculp.

TAB. CXLVII.

Exod. Cap. XII. verſ. 29. 30.

Et factum eſt media nocte, quod DOMINVS cæderet omne primogenitum in Terra Ægypti, á primogenito Pharaonis ſedentis ſuper ſolium ejus, uſque ad primogenitum captiui, qui eſt in (a) carcere, & omne primogenitum jumentorum.

(a) In domo putei vel foueæ.

Et ſurrexit Pharao noctu, ipſe & omnes ſerui ejus, atque cuncti Ægyptii, & factus eſt clamor magnus in Ægypto, quoniam non erat domus, in qua non erat mortuum aliquid.

Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum.

Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſerui ejus, cunctaque Ægyptus: & ortus eſt clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.

ELucet, ſi ullibi in prægreſſis Ægypti plagis, in ultima certe hac τὸ Θεῖον. Præcedunt comminationes Propheticæ. *Adhuc unam Plagam adducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, ...um tandem vos dimittet.* Exod. XI. 11. *Circa ...nedium noctis ego exibo in ipſam Ægyptum, mo...rieturque omne primogenitum in Terra Ægypti, ... primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, ...uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt mo...lam, atque omne primogenitum jumentorum. Et ...erit clamor magnus per totam Terram Ægypti, ...qualis nunquam fuit, & qualis nunquam futurus ...eſt. Apud cunctos autem filios Iſrael non mutiet ...canis lingua ſua, neque in Hominibus, neque jumen...tis.* Exod. XI. 4. 5. 6. 7. *Tranſibit DOMINVS ...ut cædat Ægyptios.* Exod. XII. 23. Et en! ad literam nunc impletur, quod DEVS fuerat interminatus, imo ad apicem literulæ. Quis autem inſolita hujusmodi, imo monadica, prædicet, niſi qui omniſapiens? Quis comminationes dabit effectui, niſi qui omnipotens?

Inſolita dico, imo monadica, quæ nec ante contigerunt, nec poſt. *Peſtis*, ſeu alius morbi acutiſſimi genus, graſſans per uniuerſam Ægyptum, unicam tantum in una familia tollens, & repentina quidem morte, quæ non, ut communiter, é medio aufert imam populi fæcem, colluctantem cum Fame & omni miſeria, ſed omnem Filium Primogenitum, nullo habito diſcrimine Temperamenti, Ætatis, vigoris, Nobilitatis, imo quæ ad pecus uſque deſcendit, ejusque primogenita. Quod ſi tetigiſſet Plaga hæc primogenitum ſolum Pharaonis, variæ potuiſſent excogitari atque produci cauſæ naturales, ut diuites ſunt Medicorum filii hujusmodi conjecturis. Nam Mors æquo pede pulſat pauperum tabernas Regumque turres. Neque fuiſſet alicujus in oculis Ægyptiorum momenti plaga, ſi affeciſſet decades aliquot, vel centurias Mancipiorum. Videre debebant & palpare Ægyptii Digitum DEI, tanto quidem magis, quia á Lue hac immunes fuere omnes Iſraelitæ: perſuaſi eſſe DEVM parietem intergerinum inter Ægyptios & Hebræos. Et ad Miracula pertinet ipſa, quam DEVS dictauit, prophylaxis, *qua Sanguine agni contingi* debebant *ſupera Limina, & duo poſtes.* Exod. XII. 22. ſicque Percuſſoris euadere iram.

TAB.

TAB. CXLVIII.

Exod. Cap. XII. verſ. 37.

Profecti ſunt itaque filii Iſrael de Ra-emſes in Suchoth circiter ſexcenta millia peditum fortium virorum præter pubem.

Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe in Socoth, ſexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis & mulieribus.

PLus habet hîc *Iſraelitarum* Ægypto egredientium *numerus* in receſſu, quam quidem prima fronte videtur: conferendus probe cum illo, qui expreſſo DEI mandato inſtitutus fuerat, calculo primo die ſecundi Menſis & Anni ab exitu ex Ægypto, quo ſoluere debebant *dimidium ſicli juxta Siclum Sanctuarii* omnes *nati viginti annos & ſupra*, nempe 603550. Leuitis excluſis, quod conſtat ex Exod. XXXVIII. 26. Num. I. 46. 47. II. 32. 33. Ubi notandum, jam ante numerationem hanc in deſerto primam periiſſe 3000. occaſione μοσχολατρείας. Noſtro, quem nunc examinandum ſumimus, numero accedit propius Iſraelitarum, Canaan itidem mox ingreſſurorum 601730. Num. XXVI. 51. Quod ſi inſuper addere deſideres Infantes, Uxores, Senes, ſurges facile ad 3000000. Hominum, qui Numerus ſane enormis, ſi conferatur cum 70. illis Animabus, maſculini nempe Sexus, quæ cum Jacobo deſcenderant in Ægyptum, quarumue mentio fit reiterata Gen. XVI. 26. 27. Exod. I. 5. Deut. X. 22. Act. VII. 14. in diuerſos nos rapiunt ſenſus.

Nempe á *Jacobi* ingreſſu in Ægyptum ad exitum usque Iſraelitarum ex Ægypto defluxerunt Anni 205. Qui piâ nec ſcrupuloſa deuotione magnalia hæc DEI aſpicit, adimpletas videt ad unguem DEI promiſſiones Patribus iterato factas, Abrahamo Gen. XXII. 17. *Certiſſime benedicam tibi, & multiplicabo vehementer ſemen tuum, quemadmodum ſtellas cœli, & arenam, quæ eſt in littore maris.* Imò vero miram hanc DEI benedictionem populo in exemplum ſiſtit, conuicturus eum de veritate rei. Deut. X. 22. *Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt Patres tui in Ægyptum, & nunc poſuit te DOMINUS DEUS tuus, & multiplicauit te veluti ſtellas Cœli.*

Sunt ex Atheorum ordine, quibus multiplicatio hæc tam cita 70. Hominum ad 600000. mera eſt Fabula, explodenda ſibilo, ſed ſunt quoque, qui φαινόμενον hocce inter Miracula referunt. Et his & illis ſubſidio veniunt graues & duræ, quas in Ægypto ſuſtinuit populus Iſraeliticus longa ſeruitute preſſus, calamitates, ingens infantum maſculorum juſſu Principis forte occiſorum numerus. Sed nebulam diſcutiet utrisque inprimis Arithmetica & ſingularis DEI prouidentia, qua idipſum, quod ad Gentis deſcriptionem viam parare debebat, inſeruiit ejusdem multiplicationi: nec deſunt cauſæ naturales. Erant Iſraelitæ ut Bumulgi, ita & γαλακτόφαγοι, viuebant Lacticiniis & Carne, ad morem feré Heluetiorum, qui duram quidem, ſed ſanam viuunt vitam; Haud derant illis, quod ex Hiſtoria conſtat pretioſæ illæ & ſapidæ cæpæ Ægyptiacæ, quibus coagulum illud Lactis forte in ventriculo congeſtum reſoluebatur, imo & ſtimulus fuit additus ad opus illud, propagationi generis Humani deſtinatum. His accedit Labor durus, ſed digerendis cibis crudioribus & Sanitati proficuus. Excœcatam videmus & heic Pharaoni & Conſiliariis Regiis ἀφιλοσόφοις mentem. Horum intentio erat, graui Labore & multo ſudore diminuere hunc populum. En, ita ſtolidus Tyrannus: *populus filiorum Iſrael major eſt & fortior nobis, agite, callide circumueniamus eum, ne augeſcat: fieret enim, ſi nobis bellum ingruat, ut junctis hoſtibus contra nos pugnaret, atque ex Terra emigraret. Exod.* I. 9. 10. En Rationem Status, quæ obtinuit in aula Ægypti! ſed & en medium in ſapientiſſimo illo Status diuini conſilio formatum! *Conſtituerunt ſuper* (populum Iſrael) *Præfectos, qui tributa exigerent, adfligerentque eum oneribus ſuis, extruxeruntque Urbes Pharaoni, quæ eſſent Repoſitoria, nempe Pithom & Raemſes.* Sed percipite mox conſilii acutiſſimi effectum: *Quo vero magis eum afflixerunt, hoc magis augeſcebat, & erumpebat.* v. 11. 12. Ineunt horum Seculorum Tyranni, quorum enumeratione ſuperſedeo, aliam longe ab illa viam. Exequendis hujusmodi truculentis conſiliis præſto ſunt violentiora remedia, Rotæ, Patibula, Ignis, Exilia, Triremes, Gladius, tenebricoſi & putridi Carceres, violentæ conuerſiones. Non quidem latuerant Pharaonem & hujus generis violenta remedia, tale certe fuit mandatum illud Regium ad obſtetrices Hebræas: *Quando in partu adſueritis Hebræis mulieribus, videri-*



EXODI Cap. XII. v. 37.
Exitus Israelitarum.

II. Büch Moſis Cap. XII. v. 37.
Iſraelitiſcher Aüszüg.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

videritisque eas in partu filium parturire, interficite eum, ſi filia fuerit, viuat v. 16. breuiſſima utique ad intercipiendam Humani generis propagationem via. Sed quonam id, quod omni & Diuinæ & Humanæ Legi contrariatur Præceptum ſucceſſu fuit effectui datum? *Timuerunt obſtetrices DEVM, & non fecerunt, quod præceperat eis Rex Ægypti, ſeruaruntque filios viuos* v. 17. Maximi Principis injuſtiſſima juſſa vilipenſa mirare, & Conſilia Status peſſima euerſa á duabus feminis, quarum nomina *Siphra* & *Pua* æternæ memoriæ ſunt ſacra v. 15.

Explicationi eorum, quæ modo protuli, inſeruit, quod Medicina nos docet, Laboribus duris, & parco ſimul victu, vel fame, delicatulis cibis, vel minus ſolidis, melonibus, Cucumeribus, Lactuca, Hominis vires atteri: roborari e contra laboribus duris licet, ſed cibis ſimul ſolidis; conuenire videmus caſeum etiam peſſimæ notæ, & panem δύσπεπτον Ruſtico vel Lignicidæ, non item delicatulo: & ſuppetit Ratio: dant ſolidi cibi nutrimentum ſolidum, fibras & carnes ſolidas: forti membrorum corporis actione promouentur omnes corporis ſecretiones, à quibus dependet & Vita noſtra, & Sanitas. Hinc ſoluendum Miraculum illud, quo ad duriſſimos triremium labores damnati, omnibusque Aeris injuriis expoſiti, imo & Officialium furori, miſerrimam hanc vitam, vel potius quotidianam mortem ad 20. 30. annos protrahunt, & ultra. Docet præterea nos experientia quotidiana, abjectiſſimæ fæcis Homines, qui pauperrimam vitam multo ſudore trahunt & labore, ditiores eſſe prolibus, quam Ventres illos craſſos, otioſos opulentorum. Extat hanc in rem obſeruatio apud *Hippocratem de Aere, Aquis & Locis*, Libello illo aureo. Sect. III. p. 75. de *Scythis*, qui ob corporis mollitiem, humiditatem & frigiditatem generandæ proli inidonei ſæpe macilenta ſuarum ſeruarum, duro labore enutritarum corpora in ſubſidium vocare opus habent, familias propagaturi. Et de *Tartaris* atque *Chinenſibus*, Nationibus ratione Vitæ generis oppoſitis, obſeruant Hiſtorici, generare illos, expeditionibus bellicis adſuetos filios plures quam filias, hos vero delicatulos plures fœmineas proles, quam maſculas.

Sed pergimus ad accrementum illud prodigioſum Iſraelitarum à 70. perſonis ad 600000. Heic ſubſidio venit ex Matheſi *Progreſſio Geometrica*, quæ ſcalæ inſtar breui ab exiguo nos ducit ad maximum numerum. Pone cum *Auguſtino Torniello*, ſpatio 30. Annorum parere unicam conjugem marito ſuo proles 14. Filias nempe 7. & totidem Filios, obtinebis annis ſepties triginta ſiue 210. poſteros 117649. virilis ſexus omnes, & á 7. Viris eadem ſeruata proportione 823543. Si 7. Prolium hæc eſt multiplicatio, qualis erit quæſo 70? *Capello* placet progreſſio decimalis, dat hæc Patri 40. annos nato filios 10. & 200. annorum decurſu 1000000. Propius ad ſcopum noſtrum ferit hæc tabula

Cum Jacobo venerunt in Ægyptum	54.
Generatio I.	540.
II.	5400.
III.	54000.
IV.	540000.
III. & IV.	594000.

Ubi nomen Rationis ſemper eſt 10.

Si cui ſcrupulum mouet Iſraelitarum Ægypto egredientium numerus exceſſiuus (nam ſunt &, quibus videtur paruus nimis) ei perpendendam damus inſignem Ægyptiacæ terræ fœcunditatem ſane Veteribus celebratam. En teſtimonia! *Ariſtotelis Hiſt. Anim.* L. VII. c. 4. πολλάκις καὶ πολλαχοῦ &c. *pariunt mulieres ſæpe & plerisque in locis geminos, quemadmodum in Ægypto. Pariunt etiam tres aut quatuor, & quidem nonnullis in locis frequenter id fit — ſed quinque ſummum naſcuntur, jam enim pluribus id eueniſſe viſum.* Et mox μία δέ τις &c. *quædam quatuor partibus peperit 20. liberos, quinos enim ſimul peperit, eorumque multi ſunt educati. Plinii* L. VII. c. 3. *Trigeminos naſci certum eſt, Horatiorum, Curiatiorumque exemplo: ſupra inter oſtenta ducitur, præterquam in Ægypto, ubi fetifer potu Nilus — in Ægypto ſeptenos uno partu ſimul gigni autor eſt Trogus.* Plura teſtimonia ſi deſideras, lege *Senecam* L. III. *Quæſt. Natur.* c. 25. *Paulum* JC. in *Leg.* III. *Digeſt. Columellam de re Ruſt.* L. III. c. 8. Si hæc non ſufficiant, conſidera multos ex Iſraelitis, pro more Gentium orientalium, imo & Patrum fuiſſe πολυγάμους, plurimos in prima Adoleſcentia maritatos. Πολυτέκνων paſſim proſtant Exempla. Haud opus adducere profana. *Gedeonem* in Sacris Pandectis legimus patrem 70 filiorum Jud. VIII. 30. *Jairum* XXX. *Jud* X. 4. *Ibzanem* patrem 30. filiorum & totidem filiarum. Jud. XII. 9. Abdonem 40. filiorum & 30. Nepotum auum v. 14.

Ne quis autem miracula hæc quærat Naturæ in remota illa, & vegetiori magis mundi ætate. Accedam propius ad noſtra tempora. Obſeruant Phyſici moderni, Anglicæ imprimis Nationis, ex emortuorum Catalogis, e quibus hebdomadatim & annuatim conſpicere licet, & ad calculum redigere, proportionem mutuam *natorum*, & *denatorum*, viuere in circa $\frac{34}{100}$. in ætate media inter 16. & 65. annos, quæ ipſa eſt ætas virorum bello idoneorum, & proportio eorum, qui maſculini ſunt generis ad ſummam omnium. Computa ex hoc fundamento ſummam totalem Iſraelitici populi, obtinebis, quod ſupra indigitaui generatim 3454765. nempe 1764706. ſexus maſculini, pro ſexu fœmineo $\frac{1}{15}$. in circa minore 1647059. additis Leuitis, non numeratis juxta Num. I. 47. 43000. Calculum proſequenti patebit, Iſraelitas ſeſe in circa ſingulis 14. annis duplaſſe, id

quod hodie faciunt ſubinde Familiæ ſpatio annorum 20. Nationes integræ 360. aliquando etiam citius, quæ multiplicatio reſpondet & illi Iſraelitarum, quod patebit Exemplo Dauidicæ illius numerationis conferendæ cum Iſraelitarum, qui Ægypto egreſſi fuere, numero. Sed obſeruandum, quod mox ſequitur.

Non nempe eſt unquam ex oculis remouenda *Prouidentia* DEI circa regimen Generis Humani, ejusque multiplicationem, quæ non ſemper fuit eadem. Inde à Creatione ad Diluuium, imo & à Diluuiana Inundatione ad exitum hunc Iſraelitarum, magna fuit Hominum multiplicatio: ſuppeditabat ad hunc finem DEVS ſubſidia omnia huic fini adſequendo neceſſaria, ætatem prouectam magis, ſanitatem minus interruptam, annos omni ex parte fertiles: debebat Terra habitari & impleri. Aſt repartitione per orbem habitabilem facta numeroſæ adeo multiplicationi haud amplius eſt locus. Ubi, & unde, viuerent mortales? Quorſum colonias mitterent? Nonne Regiones omnes, de Europæis in ſpecie loquar, infarctæ? Quid, putas, contingeret, ſi loco 350000000. quot quidem viuos nunc computant in orbe habitato nonnulli eruditi, viuerent 11055000000. qui prodirent juxta *Cluueri* computum, ſi multiplicatio illa Patriarchalis adhucdum locum haberet? Quid, ſi vel Canto Tigurinus vel Helvetia foret 31. vel 32. vicibus numeroſior, quam nunc eſt? nonne ad nutriendam tantam mortalium viuorum copiam opus eſſet Mannæ cœleſtis delapſu, Coturnicibus vel Locuſtis aliunde advolantibus?

Eſt eadem prope propagationis numeroſioris proportio, quæ vitæ longioris Patriarchalis. Fiebant tunc temporis generationes multæ ſimultaneæ, quæ nunc ſunt ſucceſſiuæ. Non generabat duntaxat Pater, ubi exceſſit ephebis, ſed pergebat ita ad 60. 70. imo centenos aliquot annos, & videre poterat integras, quæ ex Lumbis ſuis prodiere, Nationes. Omnia hæc fieri nunc debent ſucceſſiuè, ſenſim ac ſenſim, & effectui dari non per Patres, ſed per filios, nepotes, abnepotes. Poſita vitæ periodo media Patrum 450. noſtra 22. annorum, prodibit proportio illius ad hanc ut 20. ad 1. Generatio ſic ante Diluuium vigecupla, quæ nunc eſt ſimpla.

Illuſtrari poſſent, quæ hactenus dixi, exemplis ſingularum ſeu Tribuum ſeu Familiarum Iſraeliticarum. Sed commodius haſce reſeruo in Commentarium ad Num. I.

TAB. CXLIX. CL. CLI.

Exod. Cap. XIII. verſ. 21. 22.

Et præcedebat eos DOMINVS interdiu per columnam Nubis, ut deduceret eos per viam; noctu vero per columnam Ignis, ut luceret eis, quo incederent diu noctuque.

Interdiu columna Nubis non receſſit à conſpectu populi, nec Ignis columna noctu.

Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris in utroque tempore.

Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.

SUnt in pulcherrimo illo Meteororum Theatro, Atmoſphæra, Mira & miracula, mira multa pro miraculis agnita. Heic tot ſæpe conſpicias Philoſophos, quot ſpectatores, imo tot fere Prophetas, qui ex raris quibusuis Phænomenis de rebus etiam futuris judicare & prognoſticari norunt. Heic quiuis etiam ignorantiſſimus Phyſicum agit, pictorem, Vatem, ex quouis figurare, fingere ſciens quiduis. Imo ſunt, quod mireris, in ſchola hac meteorologica doctiſſimi quique Idiotæ maximi. In Officina verſamur, ſeu Theatro, ubi vel ſolæ radiorum per Nubem denſam, Atmoſphæram, Refractiones repræſentant virgas, Haſtas, Enſes, Exercitus integros, Sarcophagos, & id genus alia, quæ mox atque comparent per uniuerſum ſparguntur Terræ habitatæ orbem, Nouellarum explent paginas, intrant vel irrepunt potius in ſecretiſſima Principum cubicula, & Templorum conſcendunt Cathedras. Exemplum ſiſtit, ne longius diſcedamus à Columna



EXODI Cap. XIII. v. 21. 22.
Aurora Borealis.

II. Büch Moſis Cap. XIII. v. 21. 22.
Nordſchein.

B. S. Sedlezky sculps.

PJCB



EXODI Cap. XIII. v. 21. 22.
Columna Nubis diurna.

II. Büch Moſis Cap. XIII. v. 21. 22.
Wolcken-Saüle bey Tage.

I. G. Pinz sculp.

PJCB

TAB. CLI.



EXODI Cap. XIII. v. 21. 22.
Columna Ignis nocturna.

II. Büch Moſis Cap. XIII. v. 21. 22.
Feür = Saüle des Nachts.

B. S. Sedlezki sculp.

RPJCB

umna noſtra, quam examinandam ſumſimus, Nubis & Ignis Meteorum d. 23. Febr. 1716. viium in agro Tigurino, inter horas 10. & 11. veſpertinas *Columnæ* inſtar *Ignis* erectæ, quæ quaquaverſum ſparſit fulgorem, orta occaione Incendii in pago *Lommis* Turgouiæ, unde radii per Atmoſphæram ſpeciatim Irchelii nontis denſam refracti per Lentem veluti optiam *Egliſouienſibus* exhibuerunt rarum phænonenon Fig. I. Ut nihil dicam de Columnis illis igneis, magno ſæpe numero, & mire luenti varietate in *Aurora Boreali* conſpicuis, nira olim portendentibus Fig. II.

Sed nunc comparebit aliud prorſus Phænomeon reuerâ θαυμάσιον, *Columna Ignis ac Nubis*, quæ icuti fuit certiſſimum & viſibile, præſentiæ)EI teſtimonium, infinitis ſuperat paraſangis mnes Naturæ vires. Patebit id ex ipſo Exaine: patebit, non fuiſſe, quod *Herm. von er Hardt Eph. Philol.* Diſc. VI. contendit, coımnam fumi ab Igne Aræ conſtanter ſurgens. Patrocinatur illi Fumus ex Incendiis Ædim, Aere tranquillo, Columnæ inſtar rectâ ırgens. Teſtimonium en: Jud. XX. 40. *Cum ımus cœpiſſet aſcendere ex Urbe, columna ſciliet fumi, reſpiciebat Benjamin poſt ſe, & ecce niuerſa ciuitas aſcendebat cœlum verſus.* Coımnam proin & hanc Ignis aliud nihil fuiſſe uam Ignem & fumum ex Altari diu noctuque ırgentem, qui & ipſe fuerit Diuinæ præſenæ ſignum. Ita utique concipimus, locum caſtra mouente Moſe cum Altari transportam fuiſſe Columnam Nubis & Ignis. Nec fficultatem, ſi diis placet, patitur circumſtani illa, qua *ſoluens Angelus DEI, qui præcebat Caſtra Iſraelis, ibat poſt eos: Migrauit ıoque Columna Nubis, quæ erat ante eos, & tit à tergo illorum. Venitque inter Caſtra Aeptiorum, & Caſtra Iſraelitarum, & fuit nubes tenebræ* (Ægyptiis) *illuſtrauit vero noctem* ſraelitis) *ut alter ad alterum tota iſta nocte non cederet,* Exod. XIV. 19. 20. Redit huc omne yſterium, fuiſſe ſacrum Ignem, in fronte aſtrorum locari ſolitum & portari, hac vice tro locatum, inter primum pilum Ægyiorum, & poſtremum agmen Iſraelitaım.

Occurrit in Originali Textu vox עַמּוּד, quæ c & alibi notat *Columnam*, & talem quidem, ıæ in ciuili Architectura ædificia ſuſtinet, i II. Reg. XXV. 17. I. Reg. VII. 3. & conſtat dinarie ex Lapide, Marmore, Ære, aliaue ateria ſolidiore: id ſecus ſi foret, non reonderet Columna uſui, cui eſt deſtinata. d heic obuia eſt columna fluida in fluido, & men diu noctuque immota, nullis nec venrum flatibus turbata, nec ſolis ardore diſſiıta, non, niſi motis caſtris, loco mota: uctura ex fluidis Aquæ, Aeris & Ignis Eleentis ædificata, in Libero Aere erecta, cer. tamen temporibus, Fixarum ad inſtar in teıiſſimo Æthere regulariſſimè mota. Signum Meteoricum numeroſiſſimo Exercitui datum, quod cum aliis *Meteoris* nihil commune habet prorſus præter locum, ad Miracula, vel miraculoſa prodigia jure referendum. Sunt, quod nobis Experientia dictat, Meteora Aquea dicta & emphatica, particulis aqueis conſtantia, aliisue heterogeneis, vel etiam a varia radiorum refractione orta, breuis admodum durationis, cito ſæpe fiunt, citoque pereunt. Exempla dant Irides, Halones, Parhelii, Paraſelenes, Nubes. Sed heic eſt Meteoron in annos durabile; Locum mutant illa ſæpiſſime in momenta, pro Ventorum ſpiratione varia, imo pro ſpectatoris ipſius ſitu mutato, uti modo citata. Sed hæc Nubis Ignisque columna pro Architecto non ſolum agnoſcens immutabilem DEVM, ſed & DOMINO inhabitatore manet eodem conſtanter loco, nec inde mouetur, niſi jubente DEO vel volente.

De figura & extenſione, ſiue *magnitudine* hujus *Columnæ* nîl certi conſtat. Nomen habuit Columnæ, &, ut videtur formam, imâ ſui parte latior, hinc contractior, ſuperne rurſum dilatata, ut partes Columnæ, Baſin, Scapum, & Capitellum exprimeret. Hoc ſicuti habet majorem ab Axi ecphoram, ita videtur Columna illa ſuperne ſeſe valde dilataſſe, imo maximam forte Caſtrorum partem interdiu obumbraſſe, noctu illuminaſſe. Inferre id licet ex Num. XIV. 14. *Dicetur hoc habitatoribus hujus Terræ, audierant enim, quod tu* DOMINVS ſis *in medio hujus populi, & quod tu,* ô DOMINE *oculo ad oculum appares, & quod Nubes tua ſteterit ſupra eos, & quod in Columna Nubis præceſſeris eos interdiu, in Columna Ignis autem noctu.* I. Cor. X. 1. ὀ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοὶ, ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν. Imo clare id vult Pſaltes. Pſ. CV. 39. *Expandit quoque Nubem pro velo, & Ignem qui noctu luceret.* Unde ſimul conſtat, Columnam hanc Iſraelitis non fuiſſe duntaxat ὁδηγὸν, ſed & alia maximi momenti officia præſtitiſſe in ſterili illo & feruido Arabiæ arenoſæ Climate interdiu defendiſſe á Solis ardore, noctu Lampadis vicem egiſſe, ut & itinera proſequi, & negotiis vacare commodiſſime potuerint.

Neminem noui ex Viris doctis, qui duplicem ſtatuat columnam, Ignis unam, alteram nubis. Una fuit & unica, quæ nunc vocatur Columna Nubis, nunc Columna Ignis & Nubis. Interdiu namque formam habebat Nubis, noctu Ignis. *Nubes Domini erat ſuper Tabernaculum interdiu, & Ignis erat in eo noctu coram oculis uniuerſæ Domus Iſrael,* Exod. XL. 38. *Quo die erexit* (Moſes) *Tabernaculum, nubes obtexit ipſum Tabernaculum Tentorii Teſtimonii: aduentante autem veſpera adparebat ſuper Tabernaculo veluti ſpecies Ignis usque mane, ſic fiebat jugiter, ut Nubes ipſum obtegeret, & noctu ſpecies Ignis,* Num. IX. 15. 16. Di-

 xeris

xeris *Phoſphorum* hunc plane diuinum (nam dantur & phoſphori naturales interdiu vel candicantis vel opaci coloris, noctu lucentes) Ignem fuiſſe Nube circumfuſum. conf. *Buxtorff. Hiſt. Arc. Fœd.* c. 12. *Schindler. Lex. Pentagl.* in עמור p. 1338. Ita vidit quoque *Ezechiel.* I. 4. *Nubem magnam, & Ignem ſeſe reciprocantem ſplendentem per circuitum.* Probabile ſane eſt fuiſſe Columnam hanc interdiu non opacam, obſcuri nigricantis coloris (ut ſolent eſſe Nubes Tempeſtatum grauiorum præſagæ) ſed ſplendentem, candicantem, ut apparet interdiu *Luna*, Phoſphorus ille ſeu *Luminare minus, quod dominatur noctu.* Gen. I. 16. qua cum Columnam hancce Nubis & Ignis confert *Galilæus de Galilæis Syſtem. Coſmic. Dial.* I. p. 115. Sic ſane viſa Johanni νεφέλη λευκὴ, καὶ ἐπὶ τὴν νεφέλην καθήμενος ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου. Apoc. XIV. 14. Obumbrauit Saluatorem & tres diſcipulos νεφέλη φωτεινὴ Matth. XVII 5.

Quemadmodum ſolent Nubes imminente Tempeſtate graui nunc ea parte, qua Soli opponuntur, eſſe vel candidæ, vel igneo colore rubentes, nunc, imprimis auerſa parte, obſcuræ, nigricantes, vel atræ, eoque magis terrificæ, ita fuit de qua nunc, Columna illa miraculoſa tunc opaca, ſi quando DEVS majeſtatem ſuam declarare voluit, & terrorem incutere populo. *Sic facta ſunt Tonitrua & Fulgura, & Nubes graues ſuper montem Sinai* Exod. XIX. 16. DEVS erat *in caligine* Exod. XX. 21. *Et in monte Horeb erant Tenebræ nubes & caligo*, Deut. IV. 11. DEVS habitaturus in caligine I. Reg VIII. v. 12.

Quemadmodum *columna* illa *Nubes* fuit ſed non naturalis, non incerto motu vaga, non bullulis conſtans aqueis, ita fuit & *Ignis*, verum non naturalis, ſed prorſus Diuinus. Diſſipaſſet Ignis particulas aqueas, vel hæ ſuffocaſſent Ignem, vel per Ἀντιπερίστασιν, ut loqui amant Barbari, utriusque generis particulæ, aqueæ & igneæ ſeſe exoneraſſent quotidie in graues tempeſtates, illæ in denſos Imbres, hæ in Fulgura & Fulmina. Habuit nihilominus affinitatem cum Nubibus fulmigeris. Proruperunt ſane ſubinde Fulmina, irato DEO vel etiam propitio, ſed Diuina. Aharone ſummo Sacerdote prima vice functiones ſuas peragente, & cultum veluti inaugurante *egreſſus eſt Ignis é facie* DOMINI *deuorauitque in Ara Holocauſtum & Adipes*, Leuit. IX. 24. Vibratum autem hoc Fulmen fuit ex ipſa Columna. Nam *viſa eſt Gloria* DOMINI *uniuerſo populo* v. 23. Idem *ignis egreſſus é facie* DOMINI *deuorauit* (Nadab & Abihu, afferentes Ignem alienum) *mortuique ſunt*, fulmine tacti, *in conſpectu* DOMINI Leuit. X. 2. Idem *egreſſus á* DOMINO *deuorauit 250. Viros* ex conjuratione illa Core, Dathanis & Abirami, *qui ſuffitum faciebant*, Num. XVI. 35. Affinis fulmineo Igni, qui parcit ſæpe corporibus maximé inflammabilibus, disjiciens alia vel peſſumdans pepercit, & intacta prorſus liquit Arcam Fœderis, Aulæa, Altare Holocauſtorum, alia. Ut non fuerit Ignis pictus, nuda Ignis forma, quod volunt aliqui. *Friedl. ad Num.* IX. *Claſſ. ult.* Qu. 47. *Gejer* ad Pſ. CV. 79. *Bonfrere ad Exod.* XIII. 21. & ut videtur *Buxtorff. Hiſt. Arc. Fœd.*

In Orientalibus & Meridionalibus illis Regionibus, quæ ab Iſraelitis pertranseundæ erant, commodiora ſæpe ſunt Itinera nocturna diurnis, propter ingentem Solis ardorem, Atmoſphæræ & Terræ ipſius æſtum. In hujusmodi profectionibus nocturnis Columna Ignis fuit δαδοῦχος. Inferre id licet ex noſtro textu Clarius ex Num. IX. 21. *Si Nubes per Diem & Noctem manſiſſet, & deinde aſcenderet, ſoluerunt.* Et Deut. I. 33. DEVS *præceſſit Vos in Via, ut exploraret vobis locum, ubi quieſceretis: nocte quidem* (præceſſit) *in Igne, ut videretis viam, in qua incederetis, interdiu autem in Nube.*

Opus ſane habebat hic populus tali ὁδηγῷ tum interdiu, tum noctu. Peragranda fuit Arabia deſerta, Regio vaſtiſſima, ſed arida, ſed viæ incertæ, non habitata, vel Rupibus nudis, vel collibus arenoſis inæqualis, nec Fluminibus, nec Riuis Fontibusque perflua, Plantis & Arboribus tantum non deſtituta. Mare arenoſum, ubi opus eſt pyxide nautica. De quo alibi plura. Et fuit profectio hæc lenta, vel propter Senes, Infantes, grauidas, puerperas, ægrotos, lactantia pecora. Et patebit ex Hiſtoria ipſius Itineris, ſæpe triduo non perrexiſſe ultra duo milliaria.

In columna hac veluti Symbolo viſibili manifeſtauit ſe DEVS ipſe, alias nullibi incluſus, nullibi excluſus, utpote cui *Cœlum ſolium, Terra ſcabellum pedum* Jeſ. LXVI. 1. qui DEVS *eſt de propinquo* & DEVS *de longinquo — Cœlum & Terram implens.* Jer. XXIII. 23. 24. οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχων. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν Act. XVII. 27. 28 Hinc in Textu noſtro expreſſe dicitur *DEVS præceſſiſſe* Iſraelitas *interdiu per columnam Nubis* &c & Exod. XIX. 9. *Veniam ad te in denſa Nube* inquit DOMINVS, Num. XII. 5. *Deſcendi* DOMINVS *in Columna Nubis* Num. XIV. 14 *In Columna Nubis præceſſiſti eos interdiu, in Columna Ignis autem noctu:* Imo vero motus ſiu mutatio ſitus hujus Columnæ erat ipſum Verbum DEI. *Juxta os* DOMINI *ſoluerunt fili Iſrael, & juxta os DOMINI caſtra fixerunt — Juxta os* DOMINI *reſederunt*, & *juxta os* DOMINI *ſoluerunt.* Num. IX. 18. 23 Manifeſtare ſeſe inprimis voluit, qui ipſe eſt λόγος αἰώνιος, Filius DEI, nubibus alias pro Vehiculo uſus, & uſurus. In Monte Thabo ἐπεσκίασεν αὐτὸν νεφέλη φωτεινὴ Matth. XVII. 5 Cœlos aſcendentem νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν Act. I. 9. Vidit Johanne Apoc. XIV. 14. ἐπὶ τὴν νεφέλην λευκὴν καθήμενο ὅμοιο

PJCB



EXODI Cap. XIV. v. 27. 28.
Triumphata Ægyptiorum ſubversio.

II. Buch Moſis Cap. XIV. v. 27. 28.
Bewunderter Untergang der Egypter.

M. Tyroff sculps.

RP.JCB



EXODI Cap. XI. v. 16-fin.
Tribuum Transitus per XII. hiatus.

II. Buch Moſis Cap. XI. v. 16-fin.
12. Wege durchs rothe Meer.

M. Tyroff sculp.

RPJCB



EXODI Cap. XIV. v. 16.
Transitus Iſraelis miraculosus.

II. Buch Moſis Cap. XIV. v. 16.
Der Iſraeliten Wunder Durchgang.

M. Tyroff sculps.

JCB



EXODI Cap. XIV. v. 16-fin.
Trajectus per Littus arenosum.

II. Buch Moſis Cap. XIV. v. 16-fin.
Durchgang beym Ablauff des Meers.

M. Tyroff sculps.

…μοιον υἱῷ ἀνθρώπȣ. Ad ultimum Judicium venturus comparebit in Nubibus: ὄψονται τὸν υἱὸν ἀνθρώπȣ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ Matth. XXIV. 30.

TAB. CLII. CLIII. CLIV. CLV.

Exod. Cap. XIV. verſ. 16 — fin.

6. Tu vero tolle in ſublime baculum tuum, & extende manum tuam ſuper mare, & diſſeca illud, ingredienturque filii Iſrael per Medium Maris in Sicco.

Tu autem eleua virgam tuam & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud: ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum.

1. Et extendit Moſes Manum ſuam ſuper Mare, & DOMINVS effecit, ut decurreret Mare per Orientalem Ventum vehementem tota illa Nocte, & fecit Mare, ut eſſet ſiccum, & diſciſſæ ſunt Aquæ.

Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper Mare, abſtulit illud DOMINVS, flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt Aqua.

2. Et ingreſſi ſunt filii Iſrael in medium Maris in ſicco, & aquæ fuerunt illis Murus á dextra eorum, & á ſiniſtra eorum,

Et ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci Maris: erat enim Aqua quaſi murus á dextra eorum & læua.

3. Et inſequuti Ægyptii ingreſſi ſunt poſt eos ad medium Maris, totus (ſcilicet) Equitatus Pharaonis, currus ejus & equites ejus.

Perſequentesque Ægyptii ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis Equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris.

4. Factumque eſt in cuſtodia matutina, ut reſpiceret DOMINVS ad caſtra Ægyptiorum, in Columna Ignis & Nube, & caſtra eorum conturbauit.

Jamque aduenerat Ivigilia matutina, & ecce reſpiciens DOMINVS ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.

5. Et [(a)] conſtrinxit Rotas curruum ejus atque difficulter duxit eum, ut diceret Ægyptius, fugiam á conſpectu Iſraelis, DOMINVS enim pugnauit pro eis contra Ægyptios.

Et ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii fugiamus Iſraelem: DOMINVS enim pugnat pro eis contra nos.

(a) Al. amouit.

26. Et dixit DOMINVS ad Moſen, extende manum tuam ſuper Mare, ut reuertantur Aquæ ſuper Ægyptium, ſuper currus ejus, & ſuper Equites ejus.

Et ait DOMINVS ad Moyſen: extende manum tuam ſuper mare, ut reuertantur aquæ ad Aegyptios ſuper currus & equites eorum.

27. Et extendit manum ſuam ſuper mare, & reuerſum eſt mare in (b) alueum ſuum ante lucem, fugeruntque Aegyptii obuiam illi. Et præcipitauit DOMINVS Aegyptios in medium maris.

(b) Al. robur.

Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos DOMINVS in mediis fluctibus.

28. Et refluebant Aquæ, operueruntque quadrigas & equites, atque totum Exercitum Pharaonis, qui Mare ingreſſi fuerant poſt illos, ut ne unus quidem ex eis ſupereſſet.

Reuerſæque ſunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti Exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidem ſuperfuit ex eis.

29. Filii autem Iſrael iuerunt per medium Maris in Sicco, & aquæ fuerunt eis vice muri á dextra eorum, & à ſiniſtra eorum.

Filii autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro á dextris & á ſiniſtris.

30. Seruauit itaque DOMINVS illo die Iſraelem de manu Aegyptiorum, ut Iſraelitæ viderent Aegyptios mortuos ad littus Maris.

Liberauitque DOMINVS in die illa Iſrael de manu Aegyptiorum, & viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris.

IN confeſſo eſt in nulla mundi periodo tanta fuiſſe patrata, tot & tam varia, Miracula, ad Eccleſiæ bonum, ad Hoſtium terrorem, ad Gloriam DEI, quam vero in Ægypto, ante & poſt liberationem, & dehinc in Deſerto. In Ægypti Theatro comparuere Inſecta varia, Pediculi, Ranæ, Locuſtæ, Grando, Fulmina, Tenebræ, Morbi Peſtilentiales. Exeunte populo comparet altiſſimus DEVS in columna Nubis & Ignis. Nunc ad anguſtias redacto populo, ordo tangit *MARE*. Furioſum hoc Elementum, quod Xerxis eluſit catenas, cedit heic baculo Moſis. Fluidum hocce, quod juxta Leges Naturæ & Motus Libellam dat exquiſitiſſimam, partibus quidem in perenni inteſtino motu inter ſe fluitantibus, ſed quoad ſuperficiem ſupremam eandem præciſé à centro diſtantiam obſeruantibus, Fluidum, inquam, hocce nunc in rapidos fluctus eleuatum, nunc in ſulcos profundos depreſſum, inconſtans admodum, non duntaxat á ſummo ad fundum ſciſſum viam concedit Iſraelitis, ſed muri ad inſtar ſtat utrinque erectum: perit Motus inteſtinus, & tamen ſeruatur. Aqua manet aqua amiſſis proprietatibus. Rem ſiſtimus ſtupendam, quæ quidem omnem omnium Philoſophorum Horizontem tranſcendit. Conſideratione tamen noſtra eſt digniſſima.

Contigit mira hæc Hiſtoria in *Mari Rubro*, quod Sinus eſt Oceani inter Arabiam & Ægyptum ad Fretum Babelmandel usque protenſus. Ad oram hujus maris tingi debebat arena Iſraelitarum omnium ſanguine, niſi DEVS viam per ipſa Maris profunda paraſſet. Sed heic dum littori adſtamus, magnalia DEI viſuri & admiraturi obuiam veniunt Ægyptii viri haud leuis doctrinæ, qui miraculum heic loci patratum extenuant, & ad Maris ordinarium ab Æſtu refluxum reducunt; ad quem in Naturæ Phænomenis probé verſatus Moſes attenderit, populum Iſraelis ab Ægyptiorum furore liberaturus. Eſt hæc opinio non nobiscum nata, ſed antiquiſſima *Artapani* apud *Euſebium Præp. Euang.* L. IX. c. ult. & ex Artapani relatione *Memphitarum*. Ipſi *Joſepho* viro eruditiſſimo aliàs, nec exiguæ autoritatis ſuſpicione haud caret Miraculum hocce L. II. *Ant. Jud.* c. 7. quod *Alexandro M.* in Perſia acciderit idem ad Mare Pamphylium, teſte *Arriano* L. I. & P. *Scipioni Africano* in occupatione Carthaginis nouæ apud *Liuium* L. XXVI. c. 45. Adſociant ſeſe *Joh. Clericus Diſſ. de Maris Idumæi trajectione* adnexa Comm. *in Libro Moſis* p. 613. *Caſp. Coelius* apud *Janum Nicium Erythræum Pinacothecæ Vir. Illuſtr. Porphyrius* apud *Riuetum Comm. in Exod.*

Cadet ſponte, Dagonis ad inſtar, Naturæ hoc Idolum, quod & *Spinoza* reueretur, alium DEVM non agnoſcens, vel ex relatione ſola Hiſtoriæ. In mandatis habebat Moſes *extendere Manum ſuam ſuper Mare.* Sed cui hoc? ſi Mari ordinarius fuit tum affluxus, tum refluxus. Annon poterat expectare Vir DEI tempus refluxus? Quis nexus manus Moſis cum eo quod contigit? cauſæ & effectus?

Poſt-

Poſtquam *extendit* Moſes *manum ſuam, ſuper Mare* DOMINVS *effecit, ut decurreret Mare per Orientalem ventum vehementem tota illa nocte, & fecit Mare, ut eſſet ſiccum.* An hic ventus ſpiraruerit, diuiſione Aquarum jam facta, ad exiccandum fundum lutoſum, quod volunt *Abulenſis, Bonfrere, Cornelius à lapide?* vel an Symbolam contulerit ſuam ad ipſam Aquarum diuiſionem, non excluſa fundi exiccatione, quæ Janſenii eſt & *Riueti* ſententia? examinare heic non vacat. Ne quidem id puto neceſſarium, quandoquidem nullus ventorum ex viribus naturalibus Aquas ita diſcendere valet, & diſciſſas ſeruare, ut utrinque ſtare poſſint murorum inſtar erectæ, quin momento citius confluant. Pone, ventis ſuas eſſe vires diſcindentes vel diuidentes: Subjecta eſt & aqua legibus ſuis, juxta quas omnes ejus partes ſeſe ad libellam diſponunt. Neque vero eſt ſimile, neque ex Hiſtoria probabile, duraſſe hunc ventum in tranſitu ipſo. DOMINVS *effecit, ut decurreret Mare per Orientalem ventum vehementem tota illa nocte, & fecit Mare, ut eſſet ſiccum, & diſciſſæ ſunt Aquæ. Et ingreſſi ſunt filii Iſrael in medium Maris,* (non ſolum ad oram, ubi Aqua refluere ſolet) *in ſicco, & Aquæ fuerunt illis Murus à dextra eorum, & à ſiniſtra eorum.* Stupet heic attonita omnis Philoſophia, & littori adſtans introſpicit aperti, imo diſciſſi Maris Abyſſum, imo vero τὰ βάθη τῆς δυνάμεως καὶ σοφίας Θεοῦ, & præ ſtupore vox faucibus hæret. Neutiquam conveniunt, quibus Sacer utitur Hiſtoricus, loquendi hi modi Maris fluxui atque refluxui. Subſcribet qui vel ſemel vidit Æſtus hanc reciprocationem. Et quid? ſi heic ſolitus, vel ſolito paulo major, ſuffecit æſtus, quomodo, quæſo, poterat Motus hîc Pharaoni, Domino Territorii & Ægyptiis aliis eſſe ignotus?

Mappas inſpice, videbis, Ventum Orientalem ſpiraſſe ex *Arabia Petræa, Cairum* verſus. Si moveant tibi ſcrupulum Verba Moſis, *in medium Maris,* collata cum diſtantia á littore ad oppoſitum littus, conſidera, juxta recentiſſimas Geographorum obſeruationes *Rubri Maris* prope *Suez* exiguum eſſe, & vix 4. vel 5000. paſſuum trajectum. Conſentit *Strabo* L. II. p. 69. Ἀράβιος κόλπος ποταμοῦ δίκην ςενός ἐςι καὶ μακρὸς. *Petrus du Val* Epiſt. XI. diſtantiam ab Arabico littore ad *Suez* non majorem teſtans quam Pauſylupi in Neapolitana mole, nempe duorum milliarium Italicorum, ut proin Iſraëlitis haud fuerit difficile, paucarum horarum ſpatio hiatum, de quo loquimur pertranſire. Expeditior, fatemur, fuiſſet trajectus, ſi quod *Clericus* vult, potuiſſent Iſraelitæ in primo pilo admodum lato in arenoſo Maris retrofluxi littore progredi: Sed regerimus, potuiſſe eadem, qua ipſe vult, aciei latitudine fundum maris tranſire: nam de latitudine hiatus ſilet prorſus Scriptura. Ita nulla nos ratio cogit, cum Hebræis quibusdam, ſed & Chriſtianis, Doctoribus ſtatuere, ingreſſos fuiſſe Iſraelitas Mare, certo quodam angulo, petram quandam veluti in ſemicirculo circumiuiſſe, & eodem loco, ubi ingreſſi fuerant, rurſum fuiſſe egreſſos.

Grauiter torquet premitque *Clericus* Scripturam, imò, ut rem facti ridiculam reddat, exorditur à Gallo quodam Poeta, qui piſces ducit ad muros hosce cryſtallinæ pelluciditatis aqueos, ut ſpectatores ſint tranſeuntium Iſraelitarum. Sunt ipſi verba illa Exod. XV. 8. *In flatu narium tuarum coaceruatæ ſunt aquæ, flumina conſtiterunt ut cumulus, abyſſi coagulatæ ſunt in medio mari,* metaphoricæ locutiones, imo Poëtici luſus; ut *aquæ* eſſent *murus à dextra eorum, & à ſiniſtra eorum,* ſufficit illi Mare à dextra defluens, à ſiniſtra in foueis paſſim reliquum. Illuſtrandæ bellæ huic cogitationi inſeruire debet, quod Nahum de *Alexandria,* vel juxta *Bochartum* de *Thebis* effatur III. 8. *An tu melior ſorte eſſes, quam No - Ammon, quæ ſita eſt in fluminibus, aquis circumflua, cujus propugnaculum Mare, à Mari etiam murus ipſius?* Neminem, qui unquam vidit Urbes Mari adſitas, vel Fortalitia ad portus munita, latet, quo ſenſu Mare ipſum Urbium adſitarum poſſit dici antemurale, imo murus, & quomodo ad Maris ipſius impetus, hoſtiumque advolantium inſultus effrœnandos ibidem fortia extrui ſoleant mœnia.

Conſiſtit *Clerico* omne heic quidem patratum Miraculum in eo, quod DEI juſſu, & vento mediante, refluxus Maris fuerit major ſolito. Fauere autem ſibi putat locum ex *Diodoro Siculo Biblioth.* Lib. III. pag. 173. ἡ θάλασσα *&c. mare cœnoſum cum ſit, non deprehenditur profundius tribus Orgyiis:* confirmat idem *Bellonius Obſ.* L. II. c. 58. & *du Val.* l. c. fauet idem aliud de notabili valde Maris rubri æſtu teſtimonium ex eodem *Diodoro* L. III. p. 172. ἔχει νήσους &c. *habet Inſulas longas & anguſtos tranſitus, æſtum vero multum & vehementem,* teſtaturque *Bellonius Obſ.* L. II. cap. 67. ab exundante Mari περίχωρον Urbis *Tor* aliquando Aquis ſubmergi.

Aſſenſum præbebit haud difficilem, qui ſitum hujus Maris conſiderat à meridie ad ſeptentrionem protenſum, tandemque anguſtum. Obſeruamus idem fere Phænomenon ad ipſum Oceanum occaſione canalis anguſti ſatis Angliam inter & Galliam, Aquam altius ſurgere ad *Vindanum Portum, Breſt,* & aliis in Brittanniæ Gallicæ oris: Cur non idem accidere poteſt *Suez,* & locis vicinis? His autem omnibus nondum obtinet *Clericus,* quod vult, non, quod quidem prætendit, demonſtrat. Dimidium fatetur Miraculum, ſed cur non integrum? Imo ſi introſpiciatur penitius, etiam dimidium Miraculi ex *mente Clerici* cadit: ſuſtentat hoc ἥμισυ ſolus ventus ſolito vehementior, qui utique ex cauſis mere naturalibus fortius ſpirare

 pote-

poterat. Exempla allegat ipſe, Maris, quod Menſe Julio 1672. per 12. horas in Belgio refluxit, magno Anglis, qui Belgicas Prouincias Claſſe ſua inuadere volebant, impedimento. *Rhodani* A. 1490. à forti Auſtro retropulſionem in Lacum Lemanum. De qua tamen heic ὡς ἐν παρόδῳ adnotandum, in cauſa fuiſſe potius *Aruæ* torrentis in *Rhodanum* influxum, quæ & 3. Dec. 1570. & aliis vicibus Rhodanum in lacum ipſum repulit, & Molendinorum rotas in contrarium ire coëgit. Sed incumbit porro *Clerico* probare, duraſſe Ventum vehementem adhuc in ipſo Iſraelitarum tranſitu, id quod faciet difficulter admodum, & tum ex Scriptura, tum ex circumſtantiis variis inferet potius contrarium. Quod ſi vero durauit Ventus duntaxat ad ingreſſum usque, quî fit, ut refluæ ſponte Aquæ non inundarint Iſraelitas? An hic Ventus קָדִים fuerit non tam Orientalis, uti explicari ſolet communiter, quam Septentrionalis, quo imprimis habet *Clericus* opus pro fortiori ſuo in Littoribus Arabicis refluxu, vel quiuis alius vehemens, heic non inquiram.

Eſt Ægyptiorum per Mare tentatus tranſitus, vel in Mare ingreſſus, pervicaciſſimæ obdurationis indicium, triſtiſſimum obſtinatorum Peccatorum Symbolum: viderant jam ſatis in Ægypto, imo palpabant, DEI prementem Digitum. Nunc ducendus eſt exercitus integer inter altos duos parietes, erectos nec ex marmore, nec ex Saxis quadratis, ſed ex Aqua: pertranſeunda Vallis, ex qua utrinque ſurgunt fluidi Montes: dictare debebat ipſis vel *Ratio*, ſi qua ſupererat, ſola, facilius nihil eſſe, quam horum Murorum collapſum, & collabentibus his, ineuitabilem totius Exercitus ruinam: & ingrediuntur tamen *Currus & Equites*; tentant viam, utut aſperam, non unquam tritam, Fruticibus & Plantis Marinis, plerumque durioribus, cochleis, Conchis, ſtratam & obſitam, niſi DEO placuerit, in gratiam populi ſui explanare illam, obicesque tollere. Aſt enimuero glorificari debebat immenſa DEI potentia Hoſtium clade. *Reſpexit* DOMINVS *ad caſtra Ægyptiorum in Columna Ignis & Nube, & caſtra conturbauit.* Tunc demum aperuere oculos excœcati Ægyptii, quum proximam viderant ruinam, pendentes capitibus ex filo aqueo gladios. In articulo mortis audiuntur Lamentationes, Fatorum execrationes: conturbantur caſtra, retromeare tentant alii, alii feſtinantiſſime progredi, periculum omnes euadere. *Sed* DEVS *conſtrinxit rotas curruum, atque difficulter duxit eos.* Et finale excidium Ægyptiaci Exercitus in undis Maris tunc demum effectui fuit datum, quum Moſes DEI juſſu manum extenderat, DEVSque Leges Naturæ aliquandiu ſuſpenſas reſtabiliuerat, in puncto veluti Saturationis. Nam *refluebant Aquæ, operueruntque quadrigas & equites, atque totum Exercitum Pharaonis, qui Mare ingreſſi fuerant poſt Iſraelitas, ut ne unus quidem ex eis ſupereſſet.*

Sed ne quid nimis de *Ægyptiis* horumque obſtinatione. Advocatum inueniunt in *Clerico*. *Crediderunt*, inquit, *Ægyptii Iſraelitas æſtus præter ſolitum majoris occaſione uti: ideoque ſibi etiam quamprimum tranſeundum, ne redeuntibus fluctibus via intercluderetur. Quanquam ira furebant Ægyptii, non ſunt tantæ inſaniæ incuſandi, ut ſi Prodigium hic eſſe ſuſpicati eſſent, attamen in Maris alueum deſcendere non dubitaſſent; prodigium autem ſine dubio factum hic vidiſſent, niſi rem inſolito æſtui tribuere cum aliqua veri ſpecie potuiſſent.* Sed dicat nobis Procurator, annon ſatis hi viderint Prodigiorum in Patria? annon Pharao ipſe & Magi ſui agnouerint Digitum DEI? annon quotidie dentur Tyranni & Peccatores privati, qui cœco paſſionum depraua tarum impetu moti talia patrent, quæ ratione ſanæ repugnant, ipſosque in barathrum ruinæ totalis, temporalis ſimul & æternæ, præcipitant? Sunt conſilia DEI nunquam non ſapientiſſima, qui Hominibus utitur tanquam Inſtrumentis, ad exequendum decreta deſtinatis.

Et refluebant Aquæ, inquit Sacer Hiſtoricus, redibant nempe ad priſtinam Fluiditatem, collapſi ſunt muri aquei. Interſpiraſſe heic Ventum vult *Clericus*, nixus Exod. XV. 10. *Vento tuo flauiſti, Mare eos operuit, demerſi ſunt veluti Plumbum in Aquis vehementibus.* De hoc cum illo contendere nolo; refluere poterant Aquæ, reſtitutis naturæ Legibus propria grauitate, ſed & interuenire poterat Ventus.

De interitu Exercitus Pharaonici ita ſentit *Clericus*, quod Equites & Currus proſequi viam non facile potuerint in ſolo lutoſo, molli, arenoſo, curruum rotis inſuper ad acutas rupes & Corallia aſpera fractis. Ita rurſus extenuare videtur miraculum. Ei non regero, niſi verba Moſis. *Conſtrinxit DEVS rotas curruum ejus, atque difficulter duxit eum.* An id effectui dederit mediis naturalibus, vel hyperphyſicis, perquirere nolo. Parata eſt tota Natura ad DEI nutum: ſtat omnipotenti liberum, mandata ſua exequi juxta Naturæ Leges, vel agere ſupra eas. Accidit ſæpe, quod haud negabit *Clericus*, ut naturalia adhibeat media, & tamen Miracula patret. Tale eſt, ſi ſpirat Ventus, & vehementer, qui juxta Naturæ ordinem vel non flaret, vel non adeo fortiter; imprimis ſi eventus adeo inexpectatus, ut heic, ante fuerit prædictus. Nam *ita dixit Moſes ad populum: Ne timueritis, conſiſtite, & videte ſalutem DOMINI, quam vobis hodie feret; Nam quos hodie vidiſtis Ægyptios, poſthac ultra perpetuo non videbitis*, Exod. XIV. 13. Num adhuc hodie in fundo Maris conſpicuæ ſint curruum Ægyptiacorum reliquiæ inter *Aziruth* & *Eltor*, ubi, teſte *du Val*, Arabes oſtendere ſolent locum tranſitus, κρινόμενον eſt, inquiſitione curioſi antiqua-

tiquarum æſtimatoris dignum, qui campana urinatoria mediante ſeſe demitteret.

Mythologiam Judæorum redolet, viam, qua transiere Iſraelitæ, non ſolum fuiſſe minimé lutoſam, ſed ſiccam; non aſperam, inæqualem ſed planam, amœniſſimi prati inſtar Herbarum omni genere obſitam. Fauet his, qui ita ſomniant Sap. XIX. 7. *Nubes, quæ caſtra obumbrabat, & quæ aquis prius occupata terra emergens ſicca apparuit, iter item expeditum é Mari rubro, & Herboſus é fluctu violento campus.* Qui locus ſi foret, ut non eſt, Canonicus, ita, quod nemo non videt, explicandus, quod eadem prope facilitate tranſierint Iſraelitæ per fundum Maris, ac ſi planities quædam herboſa pertranſeunda fuiſſet.

Audi plura. Non una fuit, ſi Rabbinis nonnullis, *Origeni*, *Epiphanio*, aliis fides, per Mare via, ſed duodecim, quot ſcilicet fuere Tribus, ut ſingulæ Tribus pertranſierint ſingulas. Nituntur hi Pſal. CXXXVI. 13. *fidit Mare Rubrum ſectionibus* לִגְזָרִים Vernacula noſtra facit diuiſiones, vel ſectiones binas, *der das Rohr-(Schilff) Meer in zwey Theil getheilet hat*, potius loquendi noſtro more unicam. Qui rem unam in medio ſecat, ſectione unica binas utique facit partes. Frigide admodum *Clericus* ſectiones haſce explicat ita, ut ab una parte fuerit Mare, ab altero Aquæ hinc in foſſis littoralibus reſiduæ. Ridiculum eſt inprimis commentum R. *Samuelis Maroccani*, qui citante Janſenio, vult, omnem Iſraelitarum Exercitum inambulaſſe Aquis, fluido hoc facto leuiorem, vel Mari veluti conglaciato.

Superſunt bina inſignia de Tranſitu hoc Iſraelitarum per Mare rubrum teſtimonia apud ſcriptores gentiles. Prius eſt *Strabonis* L. XVI. ἱστορεῖται &c. *Memoriæ proditum eſt mirum quidpiam, & ex iis, quæ raró contingunt, in littore accidiſſe inter Tyrum & Ptolemaidem: Cum Ptolemaici prælium cum Sarpedone Imperatore commiſiſſent, fugâ inſigni facta, pelagi adfluxu æſtui ſimili obrutos eſſe fugientes atque alios in pelagus abreptos, alios in locis depreſſis mortuos relictos fuiſſe. Poſt cum ſecutus eſſet refluxus, corpora detecta, atque offenſa inter piſces mortuos promiſcué jacentia.* Fauet locus ita opinioni *Clerici* ut eam inde fabricaſſe videatur. Bene tamen obſeruat is, quod heic dicitur de *Tyrio Mari*, explicandum eſſe de *Rubro*; *Sarpedonem* non eſſe nomen proprium, ſed idem quod שׁר פּרון *Sarphadon*, dux *liberationis* vel *liberatorum* qualis certé cluet Moſes. Extat alter locus apud *Diodor. Siculum* L. III. p. 174. παρὰ τοῖς &c. *Apud Ichthyophapos accolas traditur Hiſtoria, ſeruatâ à majoribus fama, cum fuiſſet ingens refluxus, exiccatum eſſe totum ſinus alueum, qui viridis erat aſpectu, Mari in contrarias partes refuſo. Cum adparuiſſet autem in fundo Terra, iterum grauem æſtum ſuperveniſſe, & in priſtinum ſtatum alueum reſtituiſſe.* Propius adhuc, quod vel legenti patebit, accedit Hiſtoriæ noſtræ *Troglodytarum* hæc traditio, quam Strabonis illa relatio, imo & *Clerico* fauet, unde & verba illa ΜΕΓΑΛΗΣ ΑΜΠΩΤΕΩΣ *ingens refluxus*, majuſculis literis imprimi juſſit.

Incidit, ex quo Commentarium huncce finii, in manus citanda mox Cl. *Bajer. Diſſ.* ex qua præcipua nec dum tacta, excerpam, *Clerico* imprimis oppoſita. Anno ſacro, jam Lege Diuina introducto certum, Tranſitum Iſraelitarum, qui primum Paſcha excipiebat proximé, paucis ab Æquinoctio diebus accidiſſe. Dies egreſſus fuit Exod. XII. 28. â Paſchate primus, diciturque expreſſe Num. XXXII. 3. *decimus quintus Menſis primi* ducto ſcilicet vel à medio Nouilunio, vel à prima Phaſe, menſis initio. Præcipitarunt veluti in fugam acti Iſraelitæ iter. Ex Manſionibus Num. XXXIII. 3. &c. expoſitis colligere eſt, egreſſos ex *Raemſes* ſub veſperam diei 15. conſediſſe in *Suchoth*, die 16. *Ethamum* perueniſſe; die 17. caſtra metatos eſſe in *Pi-hachiroth*. Vult id trajectus *Cairo* ad oppidum *Sues*, quem *Bellonius Obſ.* L. II. c. 14. confecit, lenté proficiſcens, tertia nocte. Hac veſpera aſſecutus eſt Pharao Iſraelitas Exod. XIV. 9. Dies igitur tranſitus fuit vel 4. â Plenilunio, ſi incidat exitus in primam Plenilunii, vel quintus, ſi exitus uno die ſerius contigit; Neque ſi ad ipſam horam definiendam accedamus, errabimus, ſi dicamus, trajectionem paulo ante mediam noctem coepiſſe, & ad tertiam circiter horam matutinam duraſſe. Interceſſerant enim Veſperam inter dictam & tranſitum populi adverſus Moſen querelæ, hujus conſolatio, DEI ad Moſen de percutiendo ac tranſeundo Mari mandatum: Columnæ Nubis inter utrumque Exercitum poſitio: Maris per ventum facta receſſio & exiccatio: vaſorum collectio, populi cum gregibus & impedimentis ordinatio. A tertia nempe hora incipit *Vigilia matutina*, qua *reſpexit DOMINUS ad caſtra Ægyptiorum, & Caſtra conturbauit*, Exod. XIV. 24. Luna tunc attigit Meridianum poſt mediam Noctem h. 2. min. 21. juxta priorem Hypotheſin vel h. 3. m. 12. juxta poſteriorem. Addi nempe debent ſingulis diebus 48. min. quod ſerius ad Meridianum redit Luna. Valent quidem hæc ea conditione, ſi plenilunium incidat in medium illius Noctis, qua Populus Ægypto exiuit, vel proxime præcedentis; ſed nil derogat calculo, ſi vel aliquot horis eueniſſet ſerius, differentia ſurgente aliquot duntaxat minutorum.

Inde concludere licet, tempore Tranſitus Iſraelitarum per Mare non fuiſſe refluxum, ſeu detumeſcentiam ordinariam, ſed quidem affluxum, aut intumeſcentiam ad ſupremum gradum, cujus initium retro numeratis 6. Horis fuit Hora veſperæ 8. vel 9. Ægyptiorum contra ſubmerſionem incidere intra horas 3. & 6. in medium ferme refluxus ordinarii tempus. Quodſi inſuper conſideremus, Maria

circa Æquinoctia, itemque in Pleniluniis ac Nouiluniis inprimis præ aliis temporibus turgere, conſtabit, Aquas tempore tranſitus fuiſſe altiſſimas, & prima vigilia, qua Ægyptii perierunt, humillimas, quia refluxus reſpondet plerumque affluxui.

Exod. Cap. XIV. verſ. 19. 20.

19. Et ſoluens Angelus DEI, qui præcedebat Caſtra Iſraelis, ibat poſt eos. Migrauit quoque Columna nubis, quæ erat ante eos, & ſtetit à tergo illorum.

20. Venitque inter Caſtra Ægyptiorum & Caſtra Iſraelitarum, adfuit nubes & tenebræ (Ægyptiis) illuſtrauit vero noctem (Iſraelitis) ut alter ad alterum tota iſta nocte non accederet.

Tollensque ſe Angelus DOMINI, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum.

Stetit inter Caſtra Ægyptiorum & Caſtra Iſrael: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent.

EXpoſuimus ea, quæ quidem dici poſſunt diuino hoc Meteoro, ſupra ad Exod. XIII. 21. 22. Viſum quidem jam ante, & ſtatim ab Iſraelitarum Exitu, ſed locum nunc mutat, *quæ erat* Columna *ante eos, ſtat à tergo illorum*, paries intergerinus inter binos Exercitus, ſed Ægyptios verſus tenebricoſus, ex Iſraelitarum parte lucidus, ad inſtar fere lanternarum illarum, quæ ab ante duntaxat illuminant, ſplendorem projicientes, à poſt non: ſi magna paruis, Diuina artefactis comparare fas eſt.

Exod. Cap. XV. verſ. 5.

Abyſſi eos operuerunt, deſcenderunt in profunditates veluti lapis.

Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

TRanſierunt reuera Ægyptii per vallem umbræ ac Mortis binos inter muros aqueos, ſuſpenſis Naturæ Legibus Diuina Virtute extructos, Iſraelitas perſecuturi: Nunc reddita ſibi Natura, reſtabilitis legibus, collabuntur Muri, confluunt Aquæ, obruunt Hoſtes DEI. Ubi obſervare eſt, eſſe Homines tantillo grauiores Aquâ, etiam marinâ, & ſponte demergi, ni natandi arte, alioue artificio ſuſtententur, & tanto quidem promtius, quo plura ſecum portant grauiora, ut heic tum pedites, tum equites grauati erant armatura. Et fuit haud dubiè collapſus ille haud lentus, ſed violentus atque impetuoſus, aggeribus, ut ita loquar, à preſſione partium omnium vicinarum ruptis, impetuoſior tantò, quo altiores fuerant illi muri. Ut ſimul fuerint correpti, operti, ſuffocati.

Exod. Cap. XV. verſ. 8. 10.

8. In flatu narium tuarum coaceruatio fuit aquæ, flumina conſtiterunt ut cumulus, abyſſi coagulatæ ſunt in [a] medio maris.

Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt Aquæ, ſtetit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio maris.

(a) Ebr. in corde Maris.

10. Ven-

PPJCB



EXODI Cap. XV. v. 23. 24. 25.
Aquæ amaræ dulcificatæ.

II. Buch Moſis Cap. XV. v. 23. 24. 25.
Süß-gemachte Bitter-Waſſer.

I. G. Pintz sculp.

ɔ. Vento tuo flauiſti, Mare eos operuit, demerſi ſunt veluti plumbum in Aquis vehementibus.

Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Onfirmant & illuſtrant hæc S. Spiritus per tripudiantes Iſraelitas in laudem DEI prolata τῶν ἐπινικίων effata, illa, quæ hacteus in Θαυμάτων recenſione ex dilucidatione :tulimus.

Cæterum de mira, quam explicatam dediıus, Hiſtoria, extant ſeorſim:

Jo. Clerici Diſſ. de Maris Idumæi trajectio-:, adnexa ejusdem *Commentario* in *Libros Moſis.*

Jo. Balthas. Matheſii Diſp. Phyſica, qua in Tranſitu Iſraelitarum per Mare Erythræum non fuiſſe fluxum & refluxum Maris demonſtratur, Reſp. *Erhardo Lindner* Lipſ. Typ. J. Gothofr. Richter 1688. 4.

Jo. Guil. Bajeri Diſſ. Matth. ad Exod. XIV. de Quæſt. an tempore Tranſitus Iſraelitarum per Mare Rubrum fuerit ordinarius Refluxus ſeu detumeſcentia? Reſp. *Joh. Jac. Bajero*, fratre germano, habita in Salana An. 1697. recuſa 1713. 4.

TAB. CLVI.

Exod. Cap. XV. verſ. 23. 24. 25.

.t venerunt in Mara, nec poterant Aquas Mara bibere, eo quod amaræ eſſent, & ob hoc appellauit nomen ejus Mara.

:t murmurans populus aduerſus Moſen dixit: Quid bibemus?

:t clamauit ad DOMINUM, & DOMINUS oſtendit ei Lignum, quod cum immiſiſſet in Aquas, dulces factæ ſunt Aquæ —

Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara: eo quod eſſent amaræ, unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem.

Et murmurauit populus contra Moſen, dicens: Quid bibemus?

At ille clamauit ad DOMINUM, qui oſtendit ei Lignum, quod cum miſiſſet in Aquas: in dulcedinem verſæ ſunt ibi —

QUo magnitudo Miraculi heic patrati innoteſcat clarius, præmittendum eſt aliquid de Aquarum naturalium dulcedine & amaritie. Sunt *Aquæ dulces*, vel potius inſiidæ, quæ meris conſtant particulis aqueis, :u globoſæ ſint figuræ, ſeu oualis, ſeu ſerpenformes (hæc nos non morantur) deſtitutæ articulis heterogeneis, talibus nempe, quæ ɛnſibilem in organum Guſtus faciant impreſonem: nam inſunt ordinario & dulcibus ıquis particulæ vel terreſtres vel limoſæ: uarum illæ ad fundum præcipitantur, hæ 'lantis in alimentum cedunt, ſed ſunt inſipiiæ. Hujusmodi dulcibus Aquis Creator optiıus totum dotauit Terræ habitatæ orbem, t cederent in uſum Animalibus, Plantis, Hoainibus; inprimis vero Helvetiam noſtram, quæ pro ratione amplitudinis ſuæ maximam obtinuit portionem. Teſtes ſunt innumeri fontes Riui, Flumina, Lacus, copioſiſſimam nobis largientes Aquarum dulcium, & cryſtallinæ pelluciditatis quantitatem. Hæ *Aquæ* dulces, dum per Terræ poros tranſeunt, & hîc ibi particulas ſalinas, nitroſas, aluminoſas, vitriolicas, terreſtres ſolutas ſecum vehunt, *minerales* fiunt, & medicatæ, eæque varii generis, rurſus Generi Humano ad varios uſus proficuæ.

Ex ingenti *Aquarum Mineralium* varietate conſideramus nunc *amaras*, quales ſunt marinæ: ſunt hæ imprægnatæ non tam particulis aduſtis, quod olim credebant potius, quam ſciebant, Philoſophi, quam particulis vel nitroſis, vel ſalinis & bituminoſis, aliquando & vitriolicis vel aluminoſis.

 Con-

Conſiſtit igitur *amararum Aquarum in dulces transmutatio*, quod vel conſectarii loco inferre licet, in eo, ut deturbentur peregrinæ hæ, ſeu heterogeneæ particulæ ex loculis, quibus inſunt, & ſeparentur ab aqueis inſipidis. Quantæ vero ſit difficultatis hæc operatio, & Ratione conſtat, & Experientia: illâ connexionem arctiſſimam & intimam concipiente ad conſequens usque æquilibrium; hac dulcificationem tantum non exhibente impoſſibilem. Triplex inprimis eſt modus, quo hactenus Secretum Nauigationi utiliſſimum effectui dare tentarunt Chymici, *Præcipitatio*, *Filtratio*, & *Deſtillatio*: ſed illa foret forſitan pretioſa nimis, poſcens magnam præcipitantis, quod ipſum tamen nondum inuentum, quantitatem: iſta felici euentu deſtituitur, facta licet per multam terram, vel arenam; hæc, quam ipſa Natura docet, Pluviæ productione, omnium eſt optima, in uſum tracta à *Gautiero* Gallo, de cujus inuentione videantur *Breslau. Saml. Nat. u. Medic. Geſch.* 1718. m. Jun. p. 1245. Sed & heic ſeſe exhibebunt plurimæ difficultates circa machinas, modum ſeu gradum Ignis, volatilium Salium, quæ etiam in deſtillatione ſurgunt, ſeparationem.

Extant hujusmodi *Fontes amari* paſſim, in ſpecie *in Arabia*, imo has ipſas Aquas, quas Moſes DEI juſſu comutauerat in dulces, amaras offendit *Bellonius Obſ.* L. II. cap. 57. & duodecim quidem numero Fontes. *Horum Aqua*, inquit, *admodum ſalſa eſt & amara*, *feruntque duodecim fontes illos eſſe, quorum in Bibliis ſit mentio*, *nam* Moſis fontes *adhuc nominantur: ſolo ſterili, arenoſo, nitroſoque in ampliſſima planitie ſiti ſunt, plus 50. paſſibus ab inuicem diſſiti: non quod omnes æqualiter inter ſe diſtent, ſed unus 100. alter 50. reliqui plus vel minus. Omnes è Terra ſcaturiunt ad tumuli vel colliculi radices, atque in varios riuos ſeſe diffundunt, fontium perennium inſtar, qui paulo poſt in arena ſe condunt, & euaneſcunt. Æſtus tantam ſitim nobis conciliauerat, ut ſalſam illam Aquam bibere ſinguli cogeremur: quæ licet ob Nitrum amara eſſet, ab omnibus tamen ob ſummam ſitim grati ſaporis fuit reperta.* Addimus teſtimonia Hodoeporicorum noſtri æui *della Valle* & *Monconiſii*, qui prope *Muadiam* vix dimidio à Maris Rubri littoribus milliari *Fontes* hos *Moyſis*, Arabibus *Ain* & *Mouſe* dictos, amaricantes, ſalſuginoſos, potu ingratiſſimos offenderunt. Sunt hi ipſi Fontes memorati *Plinio* L. VI. c. 29. *Ptolemæus duxit foſſam latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem XXXVII. mill. D. paſſuum usque ab Fontes amaros. Ultra deterruit Inundationis metus, excelſiore tribus cubitis Rubro Mari comperto, quam Terra Ægypti. Aliqui non eam afferunt cauſam, ſed ne immiſſo Mari corrumperetur Aqua Nili, quæ ſola potus præbet.* Si hi, de quibus hactenus, ſunt ipſi Moyſis Fontes, ſtatuendum omnino eſt, amaritudinem his Aquis rediiſſe, patrato Miraculo.

Mihi ſane videtur *Lignum* illud, qualecumque fuerit, de eo enim mox, non vi naturali, ſed Diuina prorſus & ſupernaturali dulcificaſſe Aquas. Non equidem nego, fieri id potuiſſe etiam absque tali medio vel ſola baculi Moſaici extenſione aut contactu, imo verbo ſolo Moſis, dico, nutu Diuinæ Voluntatis. Sic quoque diuidi potuiſſent Aquæ rubri Maris absque interſpirante Vento. Naaman ille curari à Lepra absque Jordane: cœcus ille viſum recuperare ſine Saluatoris ſaliua luto commixta. Sane difficile eſt concipere, vel injectione ſola Ligni in Aquam, vel agitatione Aquæ per Lignum, dulces reddi poſſe Aquas amaras, imo tot Aquas, quot ſuffenæ fuerunt potandis 600000. Viris. Quamdiu vel Fontibus his fuit communicatio cum Mari, vel cum Venis ſubterraneis, quarum Salia imbibunt, profluere debebant, nec poterant aliter, amaræ, ut alia taceam.

Non deſunt quidem Commentatores & Veteres & Recentiores, *Valleſius Philoſ. Sacr.* c. 15. *de Mey Phys. Sacr. p.* 107. *Joſeph. Ant.* L. III. c. 8. *Huetius Concord. Rat. & Fidei* L. II. c. 12. §. 16. factum id fuiſſe Viribus Naturalibus Ligni. Et *nitroſas aut amaras aquas polenta addita mitigari* ſcribit *Plinius* L. XXIV. c. 1. *ut intra duas horas bibi poſſint.* Pro Naturæ Viribus ſtare quoque videtur Author Eccleſiaſtici XXXVIII. 5. *Nonne Aqua à Ligno accepit dulcedinem, ut potentia ejus homini innoteſceret?* Condonent hunc, ſi quis eſt, lapſum Theologis Theologi, quem vix condonarent Medicis.

Sed ubinam עץ illud, ſiue *Lignum*, ξύλον ſiue *Arbor*, nam & Hebraicum & Græcum Arborem denotat, Moyſi præmonſtratum? Rabbinos ſi audias, ipſam hanc arborem naturâ amaram fuiſſe volunt, ut Aquæ injecta naturaliter amariorem eam reddere debuiſſet. Mitto fabulas, quas iidem proferunt, Virgam, qua Moyſes & Aaron miracula patrarunt in Ægypto, & quæ poſtea floruit in Deſerto, ab eadem arbore exciſam eſſe; imò exciſam hanc Deſerti arborem ab Arbore Vitæ in Paradiſo, & ab Angelis Setho apportatam: eidem Arbori ſerpentem fuiſſe æneum impoſitum. Et hæc commenta Judæorum vulgus portat, ut Aſinus Iſidis ſacra. Amaritudinem hanc natiuam Ligni dulcificantis pio utique Zelo myſtico uſui applicant Patres: *Cyprian. Lib. de Zelo & Liuor. Venena fellis euome, diſcordiarum virus exclude, purgetur mens, quam ſerpentinus liuor infecerat, amaritudo omnis, quæ intus inſederat,* CHRISTI *dulcedine leniatur. Si de Sacramento Crucis & cibum ſumis & potum, Lignum, quod apud Mara profecit in imagine ad ſaporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendam pectoris lenitatem. Ama eos, quos antea oderas, dilige illos, quibus injuſtis obtrectationibus inuidebas. Tertullianus Lib. adv. Judæos: Lignum paſſionis* CHRISTI, *unde vita pen-*

ta pendens à Vobis credita non eſt. Hoc enim Lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyſès Aquam amaram indulcavit, unde Populus, qui ſiti peribat, in eremo bibendo reuixit. Sicut nos, qui de Seculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur ſiti pereuntes, i. e. Verbo diuino propinati, Ligno Paſſionis CHRISTI Aquam Baptiſmatis bibentes, fide, quæ eſt in eum, reviximus, à qua fide Iſrael excidit. Theodoret. Quæſt. 26. in Genes. ſatis eſt didiciſſe, per Lignum depoſuiſſe Aquas omnem Triſtitiam, & hoc noſtram Salutem prædicit. Nam & ſaluberrimum Lignum Crucis, amarum Gentium Pelagus, dulcedinem cum triſtitia commutauit. His addimus *Prudentium Cathemerin. Hymn.* V. v. 93.

Inſtar fellis Aqua triſtifico in lacu,
Fit, Ligni venia, Mel velut Atticum.
Lignum eſt, quo ſapiunt aſpera dulcius,
Nam præfixa Cruci ſpes Hominum viget.

Sed interim nondum nobis conſtat Arbor, cujus Lignum edulcauit Aquas. Quærenda eſt Arbor, & ſi poſſibile, Arboris ſpecies. Si audiamus R. *Jehoſuam* in *Jalkut.* f. 73. v. 2. admittemus *Salicem:* ſi *Elieſerem*, *Oleam*, ſi *Jonathanem* erit hæc Arbor, ארדיפני *Ardiphne:* Si R. *Jehoſuam* filium in *Schemoth Rabba Sect.* 50. הרדופני *Hirdophne*, de qua Gloſſa ex *Aruch* deſumta, creſcere juxta Aquas, & flores proferre ſimiles Liliis, amaram admodum eſſe, & beſtiis lethalem. Vernacule vocari סנגיני. Ex *Ardiphne* & *Hirdophne* facile inuenit Χαριέστατος *Lochnerus* Ner. p. 80. *Rododaphnen* ſiue *Nerium*, cujus quidem flores Roſis potius conueniunt, ſi preſſius loquamur, cum Botanicis. Sed & Poëtæ *lilium Roſas Junonis* interpretantur. Et apud *Plinium* legimus L. XXI. c. 5. *Eſt rubens Lilium, quod Græci Crinon vocant. Alii florem ejus Cynorrhodon, ſiue Roſam caninam.* Certum ſane, & á laudato *Lochnero* fuſe demonſtratum, *Ardiphnen* & *Hirdophnen* detorta eſſe ex *Rhododaphne. Eſt autem Nerion floribus rubeſcentibus ſimplicibus C. B. Nerium ſiue Rhododendrum flore rubro & albo* J. B. eodem deſcribente L. XV. c. 19. *arborea Planta, caudice recto, rectisque & firmis ramis brachiata, croceis, ſeu ex viridi palleſcentibus, in quibus folia multa, acuta, longa, unciam circiter lata, ut plurimum terna ſimul orientia, interdum bina, ubi rami diuiduntur, transuerſum feré digitum inuicem diſſita, rigida, dura, craſſa, Superiore parte atrovirentia, ut Lauri folia, inferné magis, propter aſperſas hinc inde maculas, albida, exucca: ſupremi rami in ſurculos aliquot diuaricantur, quibus inſident flores multi, ſimul juncti, odori, pulcherrimé rubentes, quali ferè colore Roſæ incarnatæ conſpiciuntur, aut albi diuiſura quinque partita Clematidis daphnoidis: ſingulisque diuiſionis partibus interné adnata quædam triſulca appendix, in medio apices quinque ſimul juncti piloſi: floris vero longi veluti calycis imum, extrinſecus obvallant foliola intenſe rubentia: Siliquæ marcidis floribus ſuccedunt, pappoſo ſemine plenæ.* Fauet applicationi *Nerii* ad Textum noſtrum, & Aquam ope Ligni factam edulcationem Saccharum *Al - Aſchar*, *Schakar el Manscher* dictum, quod Nerii Species ſuppeditat. Saccharum hoc & Fruticem, unde deſumitur, ample & erudite deſcribit *Lochner* c. 5.

TAB. CLVII. CLVIII.

Exod. Cap. XV. verſ. 27. al. XVI. verſ. 1.

Et venerunt in Elim, ubi erant duodecim Fontes Aquarum, & Septuaginta Palmæ, & caſtra metati ſunt ibi juxta Aquas.

Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes Aquarum, & ſeptuaginta Palmæ: & caſtra metati ſunt juxta Aquas.

EST Palma φίλυδρος φυτὸς, *Planta Aquis gaudens* apud *Plutarchum* Lib. de *Pythia: gaudet riguis, totoque anno bibere amat* Plin. L. XIII. c. 4. Ita heic in *Elim* ſunt 70. *Palmæ juxta duodecim Fontes Aquarum.* Et apud *Eccleſiaſticum* XXXIV. 15. al. 18. infit ſapientia, ὡς φοίνιξ ἀνυψώθην ἐν αἰγιαλοῖς. *Ut Palma exaltata ſum in riguis.* Habet Græca verſio in noſtro textu ἑβδομήκοντα ςελέχη φοινίκων, *ſeptuaginta truncos Palmarum.* Clara hæc omnia, ut mirum omnino ſit, *Ezechielem* Judæorum Tragœdum, in *Tragœdia Exagoge*, ſeu, *de Exitu Iſraelitarum ex Ægypto*, ex Palma, quæ Græcis φοίνιξ, fabricaſſe Phœnicem auem; ita enim, nuntium introducit Moſi narrantem, ſe in Elim vidiſſe Phœnicem auem:

Ἕτερον δὲ πρὸς τοῖς εἴδομεν ζῶον ξένον,
Θαυμαςὸν, ὅιον ὀυδέπω ὥρακέ τις,
Διπλᾶν γὰρ ἦν τὸ μῆκος, ἀιετᾶ σχεδὸν,
Πτεροῖσι ποικίλοισιν, ἠδὲ χρώμασι.

vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. p. 820.

Palma, nempe dactylifera, Arbor in Oriente notiſſima, maximique uſus, in Europa minus cognita, gaudet, quod dixi, riguis, levi ſabuloſaque Terra: radice nec alta nixa, nec lata. Caudice eſt recto, ſimplici; corticis loco ſe tuetur partibus frondium ab amputatione reſiduis, quas *pollices* nuncupant, qui ſeni ſemper in orbem eunt, accuratum ſeruantes ordinem. *Coma* à 40. ad 80. habet frondes in orbem ſparſas. In ſummo autem vertice *Gemma* exiſtit ingens Cono ſimilis, ex frondibus proximé naſcendis compacta, bicubitalis longitudinis, anguſta, in acutum apicem producta. Hanc proxime frondes ſtipant recentiores, quas ambiunt inferiores & longiores aliæ, alternatim poſitæ, magisque ſemper á vertice reflexæ. Ex frondium axillis prodeunt ſuis quique ſpathis ramoſis *ſpadices*, floribus in Palma maſculina, fructibus in fæminea fœcundi. *Frons* palmea ramorum æmulæ magnitudinis ala, prælonga, utrimque ex foliis arundinaceis ſecundum longitudinem pinnata. Partes ei ſunt *coſta*, *ſpinæ*, *folia*. *Fructus* in ſummo tantum caudicis faſtigio é frondium axillis promit, racemis inſtar ſcoparum ingentibus confitos, *Dactyli* dictos, *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 123.

Non duntaxat in ipſa Tabula *Palmam* exhibeo majori forma, ſed & ad marginem minori in variis Numis.

I. Eſt *Lapethi* Urbis Phœnicum, inter Cypri primarias, quod conſtat ex *Hieronymi Tom. I. Epiſt. in Vita Hilarionis.*

II. *Alexandriæ* Ægypti. Hanc Regionem Palmis eſſe feracem conſtat ex *Strab.* L. XVII.

III. JVDAEAE CAPTAE Numus ſub Veſpaſiano ac Tito percuſſus, ubi viſuntur pendentes *Dactyli*: Ex *Spanhemio*, Spathis mihi ſuſpectis.

IV. Numus ſub Nerua percuſſus in memoriam ſublatæ vexationis, qua Judaici ritus grauiter mulctabantur, cum Inſcriptione, FISCI JVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Eſt hæc Palma ex *Caryotis* omnium præſtantiſſima.

V. Epheſiorum Tab. CLVIII.

VI. Tarſi. ibid.

VII. Numus ſatis obuius Auguſti, ubi Crocodilus Palmæ alligatus.

Mitto Palmas in Numis Carthaginenſibus & Siculis obuias: Palmæ frondes, victoriæ Symbola.

TAB.



EXODI Cap. XV. v. 27.
XII. Fontes, LXX Palmæ.

II. Buch Moſis Cap. XV. v. 27.
12. Brunnen und 70. Palm-Bäume.

I. G. Pinz sculp.

JCB

TAB. CLVIII.



Exodi Cap. XV. v. 27.
Fontes et Palmæ in Elim.

II. Buch Moſis Cap. XV. v. 27.
Brunnen und Palmen zu Elim.

I. G. Pinz sculps.

JCB

RPJCB



EXODI Cap. XVI. v. 4-35.
Mannæ collectio.

II. Buch Moſis Cap. XVI. v. 4.-35.
Sam̃lung des Wunder-Manna.

I. G. Pinz sc.

RPJCB



Exodi Cap. XVI. v. 20.
Manna aſſeruata σκωληκόβρωτος.

II. Buch Moſis Cap. XVI. v. 20.
Würmer im aufbehaltenen Maña

I. A. Fridrich sculp.

TAB. CLIX. CLX.

Exod. Cap. XVI. verſ. 4. 5. 8. 12. ad 27. 31. 35.

4. Et ait DOMINVS ad Moſen: En ego depluam vobis panem de cœlo, & egredietur populus, ut colligant demenſum in ſingulos dies, ut probem eum, ambulet ne in Lege mea, nec ne.

Dixit autem DOMINVS ad Moyſen: Ecce ego pluam vobis panem de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiant per ſingulos dies: ut tentem eum, utrum ambulet in Lege mea, an non.

5. Die vero ſexto parent, quod inferant, eritque illud duplum, hujus reſpectu, quod collegerunt in ſingulos dies.

Die autem ſexta parent, quod inferant: & ſit duplum, quam colligere ſolebant per ſingulos dies.

8. Et ait Moſes: quum dederit DOMINVS vobis ad veſperam carnes ad edendum, & panem mane ad ſatietatem (teſtabitur) ſe audiſſe querimonias veſtras, quibus muſſitatis adverſus eum. Quid enim nos ſumus? Non contra nos ſunt querimoniæ veſtræ, ſed contra DOMINVM.

Et ait Moyſes: Dabit vobis DOMINVS veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate: eo quod audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum. Nos enim, quid ſumus, nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra DOMINVM.

12. Audiui querimonias filiorum Iſrael, loquere ergo ad eos in hanc ſententiam; inter veſperas comedetis carnes, & mane ſaturi eritis Panibus, ſcietisque, quod ego ſum DOMINVS DEVS veſter.

Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcietisque quod ego ſum DOMINVS DEVS veſter.

13. Factumque eſt veſperi, aſcendit coturnix, operuitque Caſtra, & mane projectus fuit Ros circum Caſtra.

Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra, mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum.

14. Quo abſcedente, ecce in ſuperficie deſerti minutum quiddam & orbiculare, minutum tanquam pruina ſuper Terram.

Cumque operuiſſet ſuperficiem Terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.

15. Et videntes filii Iſrael, dixerunt quisque ad proximum ſuum, Hoc eſt Man, neſciebant enim, quid eſſet. Et ait Moſes ad eos: Hic eſt panis, quem dedit vobis DOMINVS in cibum.

Quod cum vidiſſent Filii Iſrael, dixerunt ad inuicem: Man hu? (quod ſignificat, Quid eſt Hoc) ignorabant enim, quid eſſet Quibus ait Moſes: Iſte eſt Panis, quem DOMINVS dedit Vobis ad veſcendum.

16. Hoc eſt Verbum, quod præcepit DOMINVS: colligite ex eo quisque, quantum edat, Gomer pro capite, juxta numerum animarum veſtrarum, quisque pro his, qui ſunt in Tentorio ſuo, accipite.

Hic eſt ſermo, quem præcepit vobis DOMINVS: Colligat unusquisque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, juxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis.

17. Et filii Iſrael fecerunt ſic, & collegerunt, alii plus, alii minus.

Feceruntque ita Filii Iſrael: & collegerunt, alius plus, alius minus.

18. Et quum metirentur per Gomer, nihil ſuperfuit ei, qui plus, nihil defuit ei, qui minus collegerat: quisque collegit, quantum ad veſcendum (ſatis fuit.)

Et menſi ſunt ad menſuram Gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſingulis juxta id, quod edere poterant, congregauerunt.

19. Et ait Moſes ad eos: Nemo quidquam reſiduum faciat in eo usque mane.

Dixitque Moſes ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane.

20. Qui non audierunt Moſen, ſed quidam reſeruarunt ex eo usque mane, & produxit vermes, & computruit, & iratus eſt adverſus eos Moſes.

Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis usque mane, & ſcatere coepit vermibus, atque computruit: & iratus eſt contra eos Moyſes.

21. Collegerunt autem illud mane per ſingulos dies, quisque quantum ad veſcendum (ſatis fuit) quumque Sol incaleſceret, liquefiebat.

Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum, cumque incaluiſſet Sol, liquefiebat.

22. In die ſexto colligebant panem duplicem, duo ſcilicet Gomer pro uno; Et venerunt omnes primores congregationis, & retulerunt Moſi.

In die autem Sexta collegerunt cibos duplices, id eſt duo gomor per ſingulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moyſi.

23. Et dixit ad eos, Hoc eſt, quod DOMINVS loquutus eſt, Quies Sabbathi ſancti cras eſt DOMINO: quod pinſere volueritis, pinſite, & quod coquere vultis, coquite: atque omne, quod ſupereſt, reponite, vobis ut ſeruetur usque mane.

Qui ait eis: Hoc eſt, quod locutus eſt DOMINVS: requies ſabbathi ſanctificata eſt DOMINO cras: quodcunque operandum eſt, facite, & quæ coquenda ſunt, coquite, quicquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane.

24. Et repoſuerunt illud usque mane, quemadmodum præceperat Moſes, & non computruit, neque vermis natus eſt in eo.

Fecerunt ita, ut præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inuentus eſt in eo.

25. Et ait Moſes: Comedite ipſum hodie, quoniam Sabbathum eſt hodie DOMINO, hodie non inuenietis in campo.

Dixitque Moyſes: Comedite illud hodie, quia Sabbatum eſt DOMINI, non inuenietur hodie in agro.

26. Sex

26. Sex diebus colligetis, & in die Septimo Sabbatum eſt, quo die non erit.

27. Contigit autem, ut quidam é populo ſeptimo quoque die exirent ad colligendum, & non inuenerunt.

31. Domus Iſrael autem appellauit nomen illius Man, & erat veluti Semen Coriandri album, & guſtus ejus, ut placentæ mellitæ.

35. Et comederunt filii Iſrael Man annis quadraginta, donec venirent ad Terram habitandam. Man, inquam, comederunt, donec venirent ad terminum Terræ Chanaan.

Sex diebus colligite, in die autem ſeptimo Sabbathum eſt DOMINI, idcirco non invenietur.

Venitque ſeptima dies: & egreſſi de populo, ut colligerent, non inuenerunt.

Appellauitque Domus Iſrael nomen ejus Man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtusque ejus quaſi ſimile cum melle.

Filii autem Iſrael comederunt Man, quadraginta annis: donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, usque quo tangerent fines terræ Chanaan.

Hiſtoria Naturæ, uti nobis in Theatro hocce Mundi detegit innumera haud minus utilia, quam curioſa, ita & portam aperit ad Miracula, ut in Legibus Naturæ edocti judicare poſſimus tanto facilius de iis, quæ vires Naturæ transcendunt. Theologo Naturæ Legum ſeu virium ignaro, unica eaque ſæpe cœca convenit Fides, ut cuidam Legum Patriæ ſuæ ignaro vel incurio paſſiua Obedientia, quam tamen ſano ſenſu intellectam volo. Eſt hæc ratio, cur neceſſe habeam, miraculoſæ Mannæ Hiſtoriæ præmittere, non quidem Μαννογραφίαν completam, ſed ὡς ἐν ἐπιτομῇ ea, quæ ad Hiſtoriam præſentem illuſtrandam ſcitu ſunt maxime neceſſaria.

Præcipuum, quod integris libris comprehendunt *ab Altomari*, *Campegius*, *Mognenus*, *Salmaſius*, alii, huc redit, eſſe *Mannam* non tam rorem puré cœleſtem, ſeu aëreum, quam ſuccum ſeu Lacrymam ex ipſis Fraxinis & Ornis tum exſudantem, tum exhalantem, rurſumque in folia Arborum recidentem. Quæ communiter *Mannæ Calabræ* titulo venit, triplex fere eſt; præſtantiſſima *Montis S. Angeli* pinguior, ſecunda *Sicula* alba, ſicca in Lacrymas concreta: tertia *Tolfæ*, *Manne de la Tolfe*, item *Manne de Briancon* dicta, minus alba & friabilis. Colligi ſolet Menſibus Junio, Julio, Auguſto, æſtiuis, tempore ſicco. Quæ Brianconia dicitur, defluit ex Laricibus, & appellatur hinc *Manna Laricæa*. Quæ *Maſtichina* dicitur Orientalis, Maſtichis granis feré ſimilis, defluit ex *Cedris Libani*, amara, ingrati guſtus. Dant & aliæ paſſim Arbores & Plantæ Lachrymas Manniformes, & magis minuſue medicatas, inprimis laxantes, ut & illud ipſum viſcidum, reſinoſum, quod é foliis *Alni* exudat, huc pertineat, quod majori copia concreſceret, ſi major foret Solaris caloris apud nos gradus. Videatur interim *Pomet Hiſt. des Drogues* L. VII. C. I. ſeqq. p. 334. *Mem. de l'Acad. Roy.* 1699. p. 10. *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1708. p. 56. *Boccone Muſ. di Fiſica* p. 29.

Conſideranti naturalem hancce *Mannæ* ſeu per inciſum Corticem productionem ſeu ex Aëre deſtillationem, conſtabit illicò, fuiſſe illam, de qua nunc, quæ Iſraelitis per 40. Annorum decurſum in cibum, & Panis loco, venit, reuera cœleſtem, ſupernaturalem, miraculoſum, quem optimus ipſe Diribitor DEVS dignum judicaverat aſſeruatione in æternum Miraculi monumentum. En expreſſiſſimum DEI mandatum: v. 32. *Imple Gomer ex eo, quod ſeruetur apud poſteros veſtros, ut videant panem, quem vobis edendum dedi in Deſerto, quando eduxi vos de Terra Ægypti*, & Moſis ad Aharonem v. 33. *Accipe vaſculum & pone in eo Gomer plenum Man, & repone illud coram DOMINO, ut ſeruetur poſteris veſtris.* Meretur Veritatis hujus demonſtratio ampliorem paulo deductionem, ne quis ſit, qui ullo modo in dubium vocare poſſit patratum Miraculum. Sequar autem κατὰ πόδα Hiſtoricum.

Ejusdem nobiſcum fuit indolis Hebræa Natio fame quidem preſſa, ſed contra DEVM rebellis, corruptæ ſcilicet prorſus Thronum regiminis occupabant ſenſuales impreſſiones; Erat Ratio mancipium corpori ſubjectiſſimum. Animis perpetim obuerſabantur *ollæ carnium*, & *panis*, quem in Ægypto comedebant *ad ſatietatem* v. 3. Non, ut quidem decebat, ratiocinantur: ipſis his oculis vidimus in Ægypto multa miracula, eaque ſtupenda in noſtri fauorem: ſiccis pedibus tranſiuimus Mare Rubrum: Undis ſubmerſos vidimus integros Hoſtium Exercitus: Haud deerunt eidem

Παντοκράτωρι, qui nos excelſa manu adeò glorioſiſſimè eduxit, vel conſilia vel auxilia, in hocce arido deſerto. Haud omnino diffidendum Bonitati ſuæ potentiſſimæ, & Providentiæ ſemper optimæ. Non cadunt hujusmodi Ratiocinia, atque conſilia ſalutaria in murmurantem populum. Deſideramus, & auide, Carnem atque Panem: providebimus Corpori, nîl curaturi, quæ ſunt Animæ.

Quod accidit perſæpe mortalibus nobis, ut obtineamus, quod anxiè deſideramus, Honores, Diuitias, Voluptatum uſum, quæ juſto DEI judicio poſt cedunt in Maledictionem, id ipſum experiuntur Iſraelitæ. Satis eorum fit deſiderio & voto, non equidem *carnem, panemque* largitur alma mater Tellus, ſterilis ipſa in Deſerto arenoſo: non ordinariæ Naturæ Leges ſymbolam conferunt ſuam, ſed DOMINVS Naturæ Author, qui *ait ad Moſen.* v. 4. *En ego depluam vobis panem de cœlo*, & v. 6. 7. *dixit Moſes & Aharon ad omnes filios Iſrael: veſperi ſcietis, quod DOMINVS eduxit vos de Terra Ægypti: mane autem videbitis Gloriam Domini.* Ex quo infallibili teſtimonio ſtatim patet, fuiſſe hos ſeu Coturnices, ſeu Locuſtas, Mannamque opera, imo Miracula DEI, imo τεκμήρια ἀναμφισβήτητα Gloriæ ſuæ atque Potentiæ.

Poſito, ſed nunquam conceſſo, non heic patratum fuiſſe Miraculum, id ſaltem eſt clarum, fuiſſe Moſen Creatori DEO familiarem, quod præſagire potuerit, futura ſequentibus veſpera & mane, res prorſus miras atque inſolitas, quales nec ante in Natura contigerant, nec poſt, v. 8. enarrat diſtinctè Moſes eventura, *quum DOMINVS dederit vobis ad veſperam carnes ad edendum, & panem mane ad ſatietatem* & v. 12. *Audivi querimonias filiorum Iſrael, loquere ergo ad eos in hanc ſententiam: inter veſperas comedetis carnes, & mane ſaturi eritis panibus, ſcietisque, quod ego ſum DOMINVS DEVS veſter.* Conditor Naturæ potentiſſimus, in cujus manibus omnes uniuerſi Vires, cui liberum ſtat, agere juxta vel ſupra Leges Naturæ. Quis eſt, qui hujusmodi præſagia poſcet ab expertiſſimo ſimul & ſubtiliſſimo Phyſico.

Inſpiciendus nunc propius eſt, & ſi poteſt guſtandus Diuinus hic panis, cujus non extat deſcriptio, niſi apud Moſen, αὐτόπτην & Procuratorem. v. 13. *manè projectus fuit ros circum caſtra.* v. 14. *quo (rore) abſcedente, ecce in ſuperficie deſerti minutum quiddam & orbiculare, minutum tanquam pruina ſuper Terram.* v. 31. *erat velut ſemen Coriandri album, & guſtus ejus ut placentæ mellitæ.* Graphica me hercle deſcriptio, quæ plus dicit, quam omnes Commentatores: Clara ſatis, utpote quæ exprimit figuram, magnitudinem, colorem, ſaporem; Lapſus primùm, quod in Orientalibus & Meridionalibus Regionibus haud infrequens, Ros copioſus, pinguis balſamicus: hoc abſcedente cecidit Panis cœleſtis forma denſæ
pruinæ, vel Granedulæ, & totam obtexit il
lius Terræ, ubi Caſtra erant metati, ſuper
ficiem, ut manipulatim potuerit colligi. v. 14
confertur *Pruinæ* v. 31. cum זֶרַע גַּד *Coriandr*
ſemine & Num. XI. 7. cum בְּדֹלַח quod noſtra
Verſiones exprimunt per *Bdellium.* Erat au
tem *Man quaſi ſemen Coriandri, & ſpecies eju*
quaſi ſpecies Bdellii. Das Man war wie Coria
der-Samen, und anzuſehen wie Bdellion. Rec
duntur omnia clara, ſi præeunte *Bocharto*
τὸ בְּדֹלַח interpretamur per *Margaritas* Fig. 1
vel *cryſtallum* cum LXX. Figura nempe glo
boſa erat Manna, ut Coriandri Semen, &
Perlæ, & colore albo inſtar Pruinæ vel Ma
garitarum. Ita quoque explicant Doctore
Recutiti in *Joma* c. 8. f. 73. a. ubi dicitu
Manna rotunda fuiſſe ut מַרְגָּלִית *margalit*
Aliorum teſtimonia prætereo. Magis tame
Salmaſio, Comm. de Manna, qui extat poſt *H*
len Jatricam, Placet *Gummi Bdellion*, utpo
etiam album & tralucidum. In pruina m
net *Sulpic. Seuerus Hiſt. Sacr.* c. 1. *Poſtero a*
tem die animaduertunt, qui extra Caſtra proc
ſerunt, paruis quibusdam ſiliquis oppletum ſolu
quarum ſpecies in modum Coriandri ſeminis gl
ciali albedine erat, ut crebro hybernis menſib
pruinis terram tegi videmus. Ducit nos Pru
na ad ipſum Bdolach, clarius ad obſcuriu
eligendum ſane, ſi Pruinæ color maneat, al
quid ſummé album, niuis inſtar candidum
ſed intentioni huic non ſatisfacit Bdellic
Fig. 2. prouti id ex Indiis adfertur flauica
magis, ut potiores ſint Margaritæ.

Mannographiæ multa, ut ſolent, addu
Judæi; Sunt, qui prætendunt, duplicem c
cidiſſe Rorem, primum Mannæ præced
neum, quo operta fuerit Terra, alterum po
Mannam jam lapſam: illud Lintei ad inſta
ſuper Terram extenſum, ne conſpurcaret
Manna, hunc cooperuiſſe Mannam, qu
proin jacuerit veluti inter duo linteamina: l
cujus rei memoriam adhuc hodie ſolent r
ponere Judæi inter duo mapalia, vel Mapa
indutum.

Eſt *Coriandrum* Fig. 3. Tab. CLX. Plan
umbellifera, cujus radicula recta, ſimplex
tenuis, paucis fibris donata, candida: caul
bicubitalis & major, gracilis, ſtriatus, ſolidu
folia, primum Aniſi, aut potius Petroſelin
progreſſu temporis tenuiter diſſecantur, ut a
Chamæmelina accedant, ſapore fœdo intol
rabili Cimicum: Umbellæ florum Petroſeli
pares, ſed colore propemodum carneo, m
gis tamen ad album vergente: Semen exact
rotundum, ſtriatum, diſſepimentis intrinſecu
diſtinctum, alioqui vacuum, odore & ſapor
gratiſſimo, aromatico *Joh. Bauh. Hiſt. Plan*
L. XXVII. c. 38. p. 89. In textu noſtro nom
natur גַּד, alias Hebræis dicitur אַלְיַנְדְּרֵי *Alia*
dre, Græci vertunt κόριον, *Thargum Hieroſolym*
tanum & *Jonathan Cusbar* Arabs Erpenianu
Cozboron. Referunt Interpretes Mannæ ſim
litudinem ad magnitudinem & rotunditaten

Addi

Addit *Hiller Hierophyt.* P. II. p. 50. ſuperficiem ſtriatam ſiue inciſam lineolis ſiue liris, nam & גדידות *inciſiones* Jer. XLVIII. 37. ut Manna fuerit non ſolum globuloſa, ſed ſuperficie liris, ſtriiſque pluribus diſtincta.

Mannæ, quod miraculoſa fuerit, habebimus multa indicia, eaque indubia, non σημεῖα duntaxat, ſed τεκμήρια. Quam Europa & Aſia gignere ſolet, medicamentoſa eſt, non alimentoſa, laxans & purgans propter acres ſuas oleoſas particulas, quæ fibras Inteſtinorum irritant, & ad contractionem diſponunt, imo & Bilis prouentum. Calabris eſt Prouerbium, *piglia la Manna, perche o ti ſana, o te ne manna, id eſt, manda via.* Sed noſtra Iſraelitarum fuit nutritia, Panis optimi vicaria: talibus itaque conſtabat partibus, quæ corpori Humano apponi, & defectum abſcedentium compenſare poterant. Non ſuffenum eſt diſcrimen inter *cibos alimentoſos & medicamentoſos*, quod aliqui proferunt, & prætendunt, poſſe etiam hos continuato uſu cedere in alimentum. Ita, volunt, Manna illa initio quidem exercere poterat vires ſuas purgantes, eliminare noxias Ægypti reliquias ex Ventriculo & Inteſtinis, ſed poſt conſuetudine degenerare in alimentum, quemadmodum videmus Venenum continuato uſu reddi innoxium; Turcas, Perſas, alios Orientis populos Opium ad dimidiam usque drachmam deglutire, cujus aliquot grana Europæos nos præcipitarent in ſomnum lethalem. Verum enim vero hoc ſimili nondum omnis ablatus ſcrupulus: aliud eſt, rem quandam noxiam longa conſuetudine reddere innoxiam, aliud, Medicamenti, & quidem purgantis, naturam mutare in Alimentum. Farinacea oportet fuerit Manna, vel ejus ſaltem naturæ, ut particulæ conſtitutiuæ potuerint abſcedentium vice tubulorum extremitatibus apponi.

Guſtum habebat, ut Placentæ mellitæ. Ita Moſes conferendus cum ſeipſo Num. XI. v. 8. Ubi non tam crudam deſcribit Mannam, quam coctam, imo & præparationis modum. *Diffundebantur populi colligentes, & molentes in mola, aut conterentes in Mortario, aut coquentes in olla, & facientes ex eo placentas, & erat ſapor ejus, quemadmodum ſapor Placentarum oleo delibutarum.* Sunt affines ſapor *mellis* & *Olei*, uterque dulcis, unus in alterum mutabilis. Ut non neceſſe habeamus omnino cum multis Doctoribus Hebræis, nonnullis quoque Patribus, *Origene, Chryſoſtomo, Beda*, nouo & ſingulari plane Miraculo, Mannæ tribuere *omnes* incluſiue delicatiſſimorum ciborum *ſapores*, ut ſibi viſi fuerint juuenes guſtare *panem*, Senes, *Mel*, Infantes *Oleum.* Ita namque illi explicant illud Ezech. XVI. 19. *Inſuper panem meum, quem dederam tibi, ſimilam, Oleum, & Mel, quibus te cibaueram, & poſuiſti ea ante eas in odorem ſuaveolentem*, vel, quod hyperbolicum magis, guſtaſſe ſingulos eundem præciſe ejusdem cibi ſaporem, cujus forte fuerant memores & auidi, hic perdicum, ille Anguillarum. Miram hanc ſuper omnes alias Metamorphoſin finxiſſe videtur Autor Libri Sapientiæ XVI. 20. 21. *Pro quibus rebus cibo Angelorum populum tuum refeciſti, & panem citra laborem paratum, omni voluptate pollentem omnique accommodatum, guſtui de cœlo ipſis demiſiſti. Subſtantia enim illa tua tuam erga liberos oſtendebat ſuauitatem, & appetitui aſſumentis cujusque ſubſeruiens, ad illius qualemcunque voluntatem ſe temperabat.* Ego quidem mitius de hac Rabbinorum & Patrum ſententia judico, exprimere voluiſſe allegoricis hujusmodi locutionibus inſignem præſtantiam Mannæ, quæ omnes poſſederit ciborum perfectiones & virtutes, imo ſuperauerit, ut non habuerint, quod deſideraſſent ultra Iſraelitæ. Ita ſentit quoque *Buxtorffius.*

De *nomine Mannæ*, ejusque origine non habeo multa, quæ proferam. Philologis hæc indagatio eſt conueniens magis quam Phyſicis. *Videntes Filii Iſrael dixerunt quisque ad proximum ſuum. Hoc eſt Man. Neſciebant enim quid eſſet. Et ait Moſes ad eos: Hic eſt panis, quem dedit vobis DOMINVS in cibum.* Ubi τὸ originale habet מָן הוּא quod Latina noſtra poſitivé vertit *hoc eſt Man*, ſecuta Rabbinos plerosque, *Salomonem, Abeneſram, Kimchium, Bechai, Iſaacum Arama;* Vernacula vero poſt LXX. *Joſephum, Hieronymum, Patres* plerosque erotematice, *was iſt dieſes? Neſciebant enim quid eſſet.* Hunc eundem ſenſum indigitare quoque videtur Moſis Reſponſum: *Hic eſt panis, quem dedit vobis DOMINVS in cibum.* Exprimi equidem hæc Quæſtio Ebraica Dialecto deberet ita: מָה הוּא Aſt obſeruant Interpretes, uſos fuiſſe Iſraelitas Ægyptia Dialecto, qua Lingua מָן notat *Quid?* quicquid horum ſit, certum hoc eſt, vocem, qua utuntur plerique Europæ & multi Aſiæ populi (Arabes & Perſæ *menn Meninzk. Lex.* 4917.) deriuari ab hac Iſraelitarum, vel ex Ægypto ipſa, ſi ibi eam didicerunt.

Pergimus in Hiſtoria. v. 16. in mandatis dat *DOMINVS* populo ſuo per ſeruum ſuum, ut Mannæ *colligat quisque, quantum edat, Gomer pro capite, juxta numerum animarum ſuarum, quisque pro his, qui ſunt in Tentorio ſuo accipiat.* Ad v. 36. dabimus præciſam *Homer* vel *Gomor* capacitatem, & heic duntaxat ad calculum reducemus ingentem, quæ populo Iſraelitico quotidie neceſſaria fuit, Panis cœleſtis quantitatem. Videbimus pro Anima quauis ſeu perſona $202\frac{1}{5}$. pollices Pariſinos, qui in noſtra menſura Tigurina dant $1\frac{1}{4}$. *modiolos, mäſslein*, pro die ſexto $2\frac{1}{2}$. Et ex Exod. XII. 37. conſtat Iſraeliticum populum aſcendere facile ad 3454765. Animas, quæ, poſitis 7. modiolis pro 4. perſonis, poſcent $6045838\frac{3}{4}$. modiolos vel $377864\frac{7}{8}$. quartalia, vel 94466. modios, quæ ingens, imo immenſa copia nouum dat pro Miraculo Mannæ argumentum, inprimis ſi computemus quantitatem

per totos 40. annos inſumtam 1379203600. modiorum. Fluit hic calculus ex genuinis puræ Arithmeticæ Sacræ fontibus, non ex Talmudis piſcinis fabuloſis. In *Joma* fol. 76. Col. 1. legitur Dictatore *R. Elieſer Hammodai* Mannæ cumulum congeſtum fuiſſe 60. cubitos altum per omnia caſtra. En quo nitatur fundamento enormis hic calculus! Gen. VII. 11. legitur, *feneſtras cœli fuiſſe apertas*, & Pſal. LXXVIII. 23. de Manna, *mandauit nubibus ſuperne, & oſtia cœli aperuit.* Verum enimuero juxta Doctoris hujus mentem Aquæ Diluuianæ fuerunt Terra altiores, ergo & Mannæ altitudo fuit totidem cubitorum. Belliſſima conſequentia. Ridiculum magis eſt, quod fabulatur R. *Iſſa Jebudæ* filius *in Joma* l. c. adeo excelſum fuiſſe Mannæ cumulum, ut omnes Orientis & Occidentis Reges eum conſpicere potuerint. Nec deeſt, ſi Diis placet, in ipſo Sacro Codice fundamentum. Inſtrues coram me menſam è regione hoſtium meorum Pſal. XXIII. 5.

Colligebat quilibet tot Homer, quot Animas habebat Familia, adeoque pro neceſſitate familiæ ſuæ *alii plus, alii minus* v. 17. inde lux accenditur verſui 18. *Et quum metirentur per Gomer, nihil ſuperfuit ei, qui plus, nihil defuit ei, qui minus collegerat: quisque collegit, quantum ad veſcendum ſatis fuit.* Verbo: Conſumebantur omnia. Qui plus collegerat, quam pro Familia habebat opus, participabat ei, qui collegerat minus. Explicatio hæc ipſa eſt Pauli 2. Cor. VIII. 13. 14. 15. Ὀυ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλίψις· ἀλλ᾽ ἐξ ἰσότητος, ἐν τῷ νῦν καιρῷ τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑςέρημα· Ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑςέρημα, ὅπως γένηται ἰσότης· καθὼς γέγραπται. ὁ τὸ πολὺ, ὀυκ ἐπλεόνασε, καὶ ὁ τὸ ὀλίγον, ὀυκ ἠλαττόνησε. Faciliora ſunt hæc intellectu præ multiplicatione illa miraculorum haud neceſſaria, qua delectantur Doctores Talmudici, qui volunt, illos, qui plus quam unum reportarunt Homer pro Anima, Domi non plus inueniſſe, quam unum Homer, & eos qui minus, tot habuiſſe, quot fuerat ipſis opus.

Sequitur aliud & infallibile nunquam ſatis mirandæ Diuinæ Potentiæ indicium. Debebant Iſraelitæ Mannam ſingulis mane colligere de nouo. Poterat, quod inficiabitur nemo, DEVS eam ſimul & ſemel concedere, quæ ſuffeciſſet uni vel Septimanæ, vel Menſi vel Anno. Sed placuit optimo Diſpenſatori diaria collectio. Videre debebat, imo guſtare, & palpare populus Diuinæ & optimæ Prouidentiæ miras Virtutes quotidie: imo ne auarus quispiam colligeret plus, quam poſtularet neceſſitas, ne uſuram inde & quæſtum faceret ex tam pretioſo cibo, injunxerat DEVS, *ut nemo quidquam reſiduum faceret ex Manna usque mane* v. 19. Et en incredulitatis impiæ miraculoſam atque juſtiſſimam pœnam! *Qui non audierant Moſen, ſed quidam reſeruarunt ex eousque mané, & produxit vermes & computruit* v. 20. non quod contingit ordinarié in Natura, dependiſſe innumerorum illorum ſeu Curculionum, ſeu aliorum Inſectorum fœcundationem ex certa Animalculis adæquata, Aëris temperie, ſed immediaté ab irati DEI juſtiſſima ſemper voluntate: nam nulli generabantur vermes in dupla illa portione, quam collegerant in Proſabbatho. *Repoſuerunt illud usque mane, quemadmodum præceperat Moſes, & non computruit, neque Vermis natus eſt in eo* v. 24. Obſtupeſcit heic omnis Philoſophia Naturalis. Et patet inſimul, alius longé fuiſſe naturæ Mannam hanc cœleſtem cum naturali, & forte farinaceæ, quia non poterat aſſeruari per 24. horas absque Vermium proventu, quum naturalis aſſeruetur per annos. Imo ne quidem ſatisfacit citæ adeo Vermium productioni comparatio cum farinacea ſubſtantia. Subeſt & heic, imo præeſt τὸ θεῖον, quod vel ex ipſa Manna memoriali eluſceſcit, quæ per Secula aliquot manſerat incorrupta, juſſu DEI in Arca Fœderis depoſita.

Valebat heic illud: *Per quod quis peccat per idem punitur.* Qui in collectione *Manna* peccabant Iſraelitæ, puniebantur per ipſam *Mannam*, πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς. τοῖς δὲ μεμιασμένοις καὶ ἀπίςοις ὀυδὲν καθαρὸν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνέιδησις Tit. I. 15. Quod miraculo heic factum, id aliquando & hodie contingit Euclionibus illis auaris, qui dum Frumenti ingentes aceruos colligunt, & in annos accumulant, difficili annona ingentem habituri quæſtum, curculionibus materiam præbent.

Occurrunt in hac Hiſtoria bina *Vermium*, vel generaliori nomine Inſectorum nomina συνώνυμα. רִמָּה *Rimmah* v. 24. à רמם σκωληκιᾶν *verminare*, & v. 20. תּוֹלָע alibi תּוֹלֵעָה & תּוֹלַעַת forte a Radice לוּעַ *vorare, deglutire.* Sunt ſane Vermes, qui vel Homines, vel Bruta infeſtant, & morſibus ſuis laceſſunt, toti Ventres, *Serenus Sammonicus* c. 31.

Quid non aduerſum miſerum mortalibus addit.
Natura, interno cum viſcera tænia ſerpens
Et lumbricus edax viuant inimica creanti?
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu.

Ἰσοδύναμα eſſe bina hæc Vocabula patet ex Job. XXV. 6. & Jeſ. XIV. 11. ubi eodem ponuntur verſu. Diuerſa quidem occurrunt paſſim Inſecta in Plantæ alicujus fructu, foliis, floribus, radice, ut alii occurrunt Vermes in inteſtinis, & hi ipſi trium diuerſorum generum, lati, Aſcarides, & Lumbrici, alii in Hepate, alii in

in partibus aliis. Sed in eadem re diuerſa Inſecta conſpiciuntur vel nunquam vel raro. Quoniam haud dubito, fuiſſe Mannam farinaceæ ſubſtantiæ, licitum mihi erit, Vermes illos referre ad *Curculiones*, horumque ſiſtere tum Vermem, é quo Curculio naſcitur Fig. 4. Tab. CLX. figurâ ſub Microſcopio aucta. Tum Curculionem ipſum Figura 5. ejusd. Tab. roſtrum ejus cum forficibus, quibus Frumenti grana arrodit duobus cornibus, & capitis parte.

Argumentum ſané ut nouum, ita infallibile immediatæ DEI potentiæ, ſupra ordinarias, quas in Natura exerit, Vires operantis eſt collectio pro die Sabbathi. De hac ita Moſes v. 25. 26. 27. *Comedite ipſum hodie, quoniam Sabbathum eſt hodie DOMINO, hodie non inuenietis in campo. Sex diebus colligetis, & in die ſeptimo Sabbathum eſt, quo die non erit. Contigit autem, ut quidam é populo Septimo quoque die exirent ad colligendum, & non inuenerunt.* Miraculoſa eſt heic DEI, ut ita loquar, inactio, & glorioſa Sabbathici diei ſanctificatio. Prodeant, quotquot ſunt Naturæ ruſpatores, & rationem reddant, ſi poſſint, ſeptiduanæ hujus Febris.

Facillima eſt é contra ex ipſis Naturæ Fontibus deductio phænomeni illius, quod memoratur v. 21. *cum Sol incaleſceret, liquefiebat* Manna. Habemus heic naturale agens, Solem, patiens Mannam; actionem Solis in Arabico climate feruentis in Mannam, etiam naturalem, eamque calefacientem & diſſoluentem. Sed ridiculum, quod in *Mechilta* fabulatur R. *Solomon*, & alii, ex Manna liquefacta integros fluxiſſe amnes, ex quibus dulciſſimas aquas hauſerint Cerui ac Capreæ, imo & capti fuerint ab Hominibus Piſces ſapore Mannæ.

Redeo, neque inuitus, ad תּוֹלָעִים *Vermes*, quibus Verminoſam ſuam *generationem æquiuocam* ſtabilire volunt Scholaſtici, & accidentalem ex fortuito vel concurſu, vel fermentatione atomorum *Generationem Animantium* Athei. Heic certe non opus eſt Dauide, ad Goliathos iſtos proſternendum. Erant juſto DEI judicio ouula iſtorum Inſectorum Mannæ concreata, & ex computo *Bentleji Concion. contra Atheismum* IV. tunc October Menſis, quo in Regionibus illis Meridionalibus poſt copioſam Pluuiam auctumnalem abundantiſſima obſeruatur Inſectorum productio: ut mirum magis ſit, non omnem Mannam factam fuiſſe verminoſam, ſed ea duntaxat dirigente ita DEO, quæ contra mandatum ejus fuit collecta, &, quod ſupra jam attuli, immunem ab his Animalculis fuiſſe Mannam Sabbathicam. Sciant illi, á ſupra naturalibus ad naturales res non valere conſequentiam.

Comederunt filii Iſrael Man annis quadraginta, donec venirent ad Terram habitandam v. 35. Locus parallelus extat Joſ. V. 12. ſimulque explicatorius. *Deſiit Man poſtridie ejus diei, quo cœperant comedere de Frumento Terræ, nec habuerunt ultra Filii Iſrael Man, ſed de Prouentu Terræ Chanaan anno illo comederunt.*

Non eſt ex Judæis Doctoribus, qui de *Manna* doctius ſcripſerit & ſolidius, quam *Abarbanel.* Producit is rationes 12. probaturus, Mannam non fuiſſe naturalem, ſed miraculoſam. In compendio eas contraham, eos qui de ſingulis, & earum valore plenius informari cupitent, ablegans ad *Job. Buxtorffii* Hiſtoriam Mannæ, quæ extat in ejus *Exercitationibus Sacris.* 1. Non cadit hodie Manna in Deſerto Sinai. 2. Non per integrum Anni decurſum, ſed duntaxat Vernis Menſibus, Martio & Aprili: quum contra cœleſtis illa lapſa fuerit ſine diſcrimine omni Menſe & die. 3. Non liquatur Manna ordinaria à Sole, ut illa ſupranaturalis. Verum ceſpitat heic *Abarbanel:* colligi debet Manna ante Solis ortum, alias liquefit. 4. Non verminoſa fit Manna naturalis per noctem, uti illa cœleſtis. 5. Liquatur Manna Naturalis Linguæ impoſita; non item illa altera. 6. Non eſt, qua hodie utimur, dura adeo & ſolida, ut conteri poſſit, & Placentæ inde formari. 7. Non eſt Manna Medicinalis alimentoſa, ſed Medicamentoſa, purgans, quum contra Iſraelitarum illa optimum dederit nutrimentum, vocata hinc לֶחֶם הַקְּלוֹקֵל leuiſſimus Panis, neque Ventriculo, neque reliquis Corporis partibus moleſtus. 8. Fuit Manna cœleſtis die ſexto dupla portione & lapſa & collecta, Sabbatho vero nihil. Tale quid de ordinaria dici nequit. 9. Ibi præcipue lapſa cœleſtis illa, ubi caſtra ſunt metati Iſraelitæ. 10. Fidiſſimi inſtar comitis ſecuta eſt Iſraelitas Manna ad limites usque Terræ promiſſæ, & ultra, permutata poſt cum Fructibus Terræ natiuis. 11. In æternam Miraculi memoriam aſſeruari debuit Manna cœleſtis in Arca Fœderis. 12. Legitur Deut. VIII. 3. incognitam fuiſſe prorſus Mannam Iſraeli & Patribus ejus. *Afflixit te, & paſſus eſt te fame laborare, aluitque de Manna, quod nec tu, nec Patres tui nouerunt, ut ſcilicet oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni eo, quod prodit ex ore DOMINI Homo viuet.* Subſcribunt *Abarbaneli* alii Judæorum Doctores, *R. Moſes Bar. Nachman, R. Bechai, R. Iſaac B. Aramah, R. Leui Ben. Gerſon.*

De Manna Iſraelitica ex profeſſo ſcripſere:

Job. Buxtorff. Hiſtoria Mannæ in Exercit. Sacr. p. 336 - 390.

Anth. Hulſius Diſp. 39. *de Manna* & *Rupe.* Reſp. *Jacobo Steenhuyſen* Lugd. Bat. 1677.

Cl. *Salmaſius Comm. de Manna*, qui extat in *Hyle Jatrica* p. 245 - 254. & *Exerc. Solin.* p. 809.

Stapell de vocula Man.

 TAB.

TAB. CLXI.

Exod. Cap. XVI. verſ. 13.

Factumque eſt veſperi, aſcendit Coturnix, operuitque caſtra.

Factumque eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra.

VIdimus ex Regno Vegetabili potius, quam ex ullo alio, τὸ מָן, nunc in Theatrum prodeunt ex Animali שְׂלָוִים *Selauim.* Supplere debebat illud Panem, hi Carnes. *Utinam*, ita lamentatur rebellis & incredula Natio, *utinam mortui eſſemus per manum DOMINI in Terra Ægypti, quando ſedebamus nos ad ollas carnium, & quando comedebamus Panem ad ſatietatem, quoniam eduxiſtis nos in Deſertum iſtud, ut omnem congregationem iſtam fame conficeretis.* Et en DEI potentiſſimi ſimul & clementiſſimi ad murmurantem populum per Moſen Reſponſum: *Quum dederit DOMINUS vobis ad veſperam carnes ad edendum, & Panem mane ad ſatietatem, teſtabitur ſe audiſſe querimonias veſtras, quibus muſſitatis adverſus eum* v. 8. Stat DEUS promiſſis, advolant vel *aſcendunt*, prædicto tempore, ex plaga Maris, quod ex naturalibus vel ſignis vel cauſis præſagire nemo poterat, שְׂלָוִים in Deſertum *Sin*, & iterum exacto Anno, in *Kibroth thaaua*, quod patet ex Num. XI.

Sed quid ſint שְׂלָוִים diſceptatur acriter, & utrinque magnis aciebus ac fortiter pugnant *Coturnices* atque *Locuſtæ*. Videbimus conflictum, & forte ex *Locuſtarum* parte victoriam licet incruentam. Sed primum quid, & qui, ſtent à *Coturnicum* parte, quos inter inprimis eminet eruditiſſimus *Bochartus Hieroz.* P. I. L. I. c. 14. qui Coturnicem Hebræis dici vult שְׂלָו *Selau*, Syris *Saluai*, Arabibus *Selwa*, ut & Turcis apud *Meninzk.* Lex. p. 2664. licet hæc Vox etiam *Mel* ſignificet, & ipſi *Mannæ* ſit ſynonyma. LXX. vocem שְׂלָו non reddunt ὄρτυγα, *Coturnicem*, ſed ὀρτυγομήτραν. Ita Exodi loco, quem præ manibus habemus, Num. XI. 31. Pſal. CIV. 40. & *Apollinaris* in *Paraphraſi.*

Ἦλθε μαλ' ἀιτίζεσιν ἀπείριτος ὀρτυγομήτρα.

Porro Sap. XVI. 2. XIX. 12. Philo L. I. *Vit. Mos.* Ὀρτυγομηρτῶν νέφος συνεχὲς ἐκ θαλάττης ἐπιφερόμενον πᾶν τὸ ςρατόπεδον ἐπεσκίαζε.

Ita deducimur ad conſiderationem *Ortygometræ*, quam à Coturnicibus diſtinguunt *Auguſtin. in Exod. Quæſt.* 62. & multo ante *Ariſtoteles Hiſt.* L. VIII. c. 12. qui tamen παραπλήσιον τὴν μορφὴν τοῖς λιμναίοις, *forma lacuſtribus* (coturnicibus) *ſimilem* prædicat. Hanc Auem deſcribit *Alexander Myndius* apud *Athenæum* L. IX. quod ſit τὸ μέγεθος ἡλίκη τρυγὼν, σκέλη δὲ μακρὰ δυσθαλπὴς καὶ δειλὴ, *magnitudine Turturis, longis cruribus, alſioſa & timida.* Ex quibus omnibus patet, eſſe ὀρτυγομήτραν Coturnicis ſpeciem *Heſychio* ὄρτυγα ὑπερμεγέθην, *Coturnicem præmagnam* tanquam aliorum matrem aut matricem, non tanquam μέτρον τῆς ὄρτυγος, aliarum Coturnicum *menſuram* aut *moderatricem*, quod vult *Janſenius* in Sap. XVI. hinc eſt, quod ὀρτυγομήτραν ſimpliciter ſumat pro *coturnice Joſephus*, qui *Lib. III.* c. 1. habet ὀρτύγων πλῆθος *Coturnicum copiam*, & c. 12. πίμπλαται τὸ ςρατόπεδον ὀρτύγων ἅπαν. *Coturnicibus replentur tota caſtra.* Hunc ſecutus *Hieronymus*, qui legit ubique *Coturnices*, & ad unam omnes Europææ verſiones.

Origometram auem inter Coturnices maximam & præſtantiſſimam Itali vocant *il Re delle Quaglie*, *der Wachtlen König*, Angli *à Rail or Dakerhen.* Deſcriptio ejus hæc eſt in *Willoughby Ornithol.* p. 122. *Pondus* $5\frac{1}{2}$. *Unciæ, longitudo à ſummo roſtro ad extremos ungues* 15. *digiti, ad ultimam caudam* $1\frac{1}{2}$. *latitudo, alis in contrarium extenſis* 19. *Roſtrum ab apice ad Angulos rictus* $1\frac{1}{8}$. *digitum longum. Corpore eſt ad latera compreſſo, & Gallinularum ſimili. Infimum pectus & Venter alba. Mentum inſuper album, gula ſordeſcit. In capite duæ lineæ latæ nigræ. A ſcapulis linea alba, ut in Gallinula calua. Dorſi plumarum media nigra, limbi cinereo-ruffi. Femora areolis transverſis albis varia. Remiges pennæ in utrauis ala* 23. *Minores pennarum alæ ordines tum ſupra, tum ſubſus, croceſcunt, ut & remigem limbi, caudæ longitudo duo digiti ferè, pennæ numero* 12. *Roſtrum Gallinularum, mandibula ſuperior albida, inferior fuſca. Tibiæ ſupra genuum articulos nudæ, pedes albidi. Aldrouando* L. XIII. c. 23. deſcribitur titulo *Ortygometra an Rallus terreſtris? Bellonio Ortygometræ alterius in Geniſtis degentis. Turnerus* vult Crecem eſſe *Ariſtotelis*, diſſentiente *Willoughbio.* Adi *Geſnerum Icon. Av.* p. 71. 90. 101.



Exodi Cap. XVI. v. 13.
Selauim, Locuſtæ.

II. Buch Moſis Cap. XVI. v. 13.
Heuſchrecken.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB

101. ubi Ortygometram Gallinulis aquaticis ſimilem pronuntiat, quæ Autumno cum Coturnicibus auolet.

Judæis ſi credimus, diuerſorum generum eæque delicatiſſimæ Aues inuolarunt in Iſraelitarum caſtra. In *Joma* cap. 8. f. 75. b. definiente R. *Chanini Barabba* quatuor ſunt Coturnicum שליו Species, nempe שכלי *Sicli*, קכלי *Kichli*, פסיוני *Phiſioni*, & שליו *Selau*, quarum præſtantiſſima eſt *Sicli*, viliſſima *Selau*, *Coturnix*. Non ſunt hæ ſicco pede prætereundæ. Ducit ordinem שכלי *Sicli*, συκαλὶς, *Ficedula*, quæ vox nunc denotat *Curucam*, *Grasmuk*, *Schnepfli*, nunc *Rubricam*, *Gügger*, *Rothuogel*:

Cerea quæ patulo lucet Ficedula lumbo.

Apud *Martialem* L. V. quæ adeo olim lurconibus placuit, ut non in ſolis clunibus *ut reliquæ aues, fuerit comeſta, ſed tota: Præfecti popinæ atque luxuriæ negant ullam Auem, præter Ficedulam, totam comeſſe oportere. A. Gell.* L. XV. c. 8. קכלי κίχλη eſt *Turdus*, *Ficedulæ* deliciis par, aut *ſuppar*. *Ex auibus, quæ volatu fidunt, firmioris ſunt nutrimenti, quæ grandiores, quam quæ minutæ, ut Ficedulæ & Turdus*, *Celſus* L. II. c. 18. imo pingui Turdo datur principatus. *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Pace*. Αἱ κίχλαι &c. Turdi genus auicularum, quæ præ cæteris ad delicias maxime exquiruntur. Notum illud *Martialis Xenio* 92.

Inter Aues Turdus, ſi quis me judice certe
Inter Quadrupedes gloria prima Lepus.

Et apud Athenienſes non licebat olim, diſciplina aſtrictiore, κιχλίζειν, *Turdos edere*, i. e. delicate veſci junioribus. פסיוני *Phiſioni*, φασιανὸς, *Phaſianus* deliciarum erat apud veteres ultimus gradus. Exemplo id conſtat *Ptolemæi Phyſconis*, qui aqud Athenæum L. XIV. Phaſianos habuit ut repoſitum Theſaurum, ὥσπερ τι κειμήλιον ἀνακείμενον: *Pertinacis* apud *Capitolinum*, *qui Faſianum nunquam priuato conuiuio comedit, aut alicui miſit. Alexandri Seueri* apud *Lampridium*, qui *nonniſi Calendis, Januariis & Hilariis Matris Deum, & Ludis Apollinaribus, & Jouis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi diebus feſtis faſianum menſis adhibebat.* Sicut *Tacitus* apud *Vopiſcum nonniſi ſuo & ſuorum natali & diebus feſtiuiſſimis. Petronius in Satyrico:*

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles —

Hinc ſane eſt, quod nonnulli Interpretes שלוים reddunt per פסיוני ut *Jonatham* Exod. XVI. 23. R. *Joſeph. Cæcus* Pſ. CV. 40.

Sed atro notantur calculo *Coturnices*, quod veſcantur *Elleboro*, teſtibus *Ariſtotele de Plant.* L. I. c. 5. *Galeno ad Piſon.* & L. II. de *Alim.* c. 6. L. III. de *Temper.* c. 4. vel, quod pejus forte, *Cicuta Sexto Empirico* teſte L. I. *Napello* referentibus Arabibus *Alkazuinio Alkamo*; conſtans certe fama, veſci Venenis. *Plin.* L. X. c. 23. *Coturnicibus Veneni ſemen gratiſſimus cibus, quam ob cauſam eas damnauere menſis*, & eos, á quibus comeſtæ fuerint coturnices, conuulſionibus atque vertigine corripi, κατατεινομένας καὶ ἰλιγγιῶντας ſcribit *Didymus in Geoponicis* L. XIV. Multus in eo eſt Coturnicum Apologiſta Bochartus, ut maculam hanc abſtergat, & adducit pro teſte *Raſen*, qui *Tract.* III. L. III. c. *de carnibus volatilium* ſecundam prædicat poſt illam *Stornæ* ſeu Perdicis, imo generatiuam ſanguinis, & Spermatis augmentatiuam; *Ibnzoharem*, qui *Lib.* de *Aliment. cap. de Coturnicibus* mediam dicit inter Gallinam & Perdicem, carnem boni chymi, egregii ſaporis, ſanis & valentibus utilem: *Nic. Maſſam, Mundellam*, Fabulam illam Herculis á Typhone interempti, ſed ſolo nidore Coturnicis ab Jolao admotæ in vitam reuocati: imo & *Galenum paratu facilium* L. III. c. 155. & *Aſſariph.* in *Abenbitare* de *Coturnice*, valere inprimis cerebrum hujus Auis ad morbum comitialem. Tandemque concludit inſignis Vir: dato, non conceſſo, frequentem Coturnicis eſum Corpori minus eſſe ſalubrem, non ſequi, DEVM Iſraelitis in Deſerto malé conſuluiſſe, dum eos pauit Coturnicibus. 1. Quia non fuit cibus ordinarius. 2. Quia, qui Coturnices per miraculum populo ſuo indulgebat, potuit etiam, quicquid in iis noxium erat eximere. *Hieroz.* P. I. L. I. c. 15. Addere potuiſſet, ita ſæpe alimenta per ſe noxia multis digeſtionibus, præparationibus, ſecretionibus, mutari, ut aliam prorſus, & ſalubrem indolem in carnibus inde nutriri, ſolitis induant. Nota *Yucca* Planta venenoſa, quæ Americanis dat Panem, ut alia omittam, tanto autem magis *Locuſtis*, quam *Coturnicibus*, ad eas autem ſine mora me conuertam.

Pergo nempe properante pede ad Illuſtris *Jobi Ludolffi* ſententiam, meo judicio receptæ hactenus præferendam, non quia recentior, ſed quia fortioribus ſtipata eſt rationibus. Vertit ille in eruditiſſima ſua *Æthiopiæ hiſtoria* hujusque *Commentario* שלוים in Locuſtas. Videbimus Rationum momenta. Confert is primo Loca parallela, nempe Exod. XVI. 13. Num. XI. 31. 32. Pſalm. CV. 40. quæ idem omnia referant, ſed plures quidem circumſtantias medius Numerorum Textus. *Bocharto* fauet Etymologia à שָׁלָה *abundauit*, ſed & *Ludolffo*, imo magis, quia numeroſiores longe ſunt in orientalibus Regionibus Locu-

ſtarum Exercitus, quam Coturnicum greges. Obſeruat porro Noſter, maluiſſe populos Orientales, quod verum ſenſum τῦ שְׂלָו neſciuerint, ſeruare originalem vocem, ipſum quoque *Mahometem*, in cujus *Alcorano* extet Vox *Selwa*, de cujus interpretatione Commentatores Arabes litigent valdé; ut uni horum *Albazeli Mel* placeat; ubi notandum coturnici nomen eſſe proprium, & nemini non in Oriente notum apud Turcas *Boldürgin*, Perſas *Semane*, Arabes *Süman*, *Sümani*, uti videre eſt in *Meninz.* Lex. p. 874. 940. 2668. apud quem equidem pag. 2664. occurrit etiam vox *Selwa* tanquam Coturnicis Synonymon Turcicum. Sed videtur inſignis hic Linguarum Orientalium interpres voci huic alcoranicæ *Selwa* impoſuiſſe, quam in Europæorum Bibliis inuenit explicationem, imo p. 4918. *Mannam* illam Iſraeliticam vocat *menni ſelwi*, *ſelwa*, & his vocibus bina illa donaria miraculoſa à DEO Iſraelitis conceſſa conjungere videtur. Perſis in ſuo Pentateucho placet pro שלו commune Auicularum nomen. Fatetur *Ludolfus*, lucem ſibi imprimis fœneratum eſſe *Porphyrium Pythagoricum*, qui Lib. I. §. 1. mentionem facit Exercitus cujusdam in Africa, qui fame periiſſet prope, niſi auxilio veniſſet κατὰ τὴν λιβύην νέφος ἀκρίδων. In mentem venerat illicò, annon tale quid accidere potuerit ipſis Iſraelitis? Apud *Strabonem* poſtea L. XVI. p. 772. Populos Arabes offendit ἀκριδοφάγυς, qui Locuſtas fumo præcipitent, muriâ condiant & comedant: item apud *Diod. Siculum* L. III. c. 29. apud Plinium L. IX. c. 29. 35. *Parthis Locuſtas in cibo eſſe gratas*: in *Aluarez. Itiner. Æthiop.* c. 32. in Abyſſynia immenſos eſſe Locuſtarum Exercitus, qui conſumant omnia, vidiſſe ipſum ſe agmen, quod ſeſe protenderit ad 6. milliarium Germanicorum longitudinem: apud *Nic. Clenardum Epiſt.* L. I. p. 73. Africanis Ruſticis bella eſſe cum Locuſtis, urbi *Fez* inferri currus integros Locuſtis plenos: apud *Kirſtenium* ad Matth. V. 4. eſſe Locuſtas in Arabia & Africa cibum ſuauiſſimum, ubi & modus extat præparationis: apud *Nieuhof deſcript. Regn. Sinar. p.* 377. comedi hæc Inſecta à Chinenſibus, imo eſſe in cupediis. Teſtatus quoque *Ludolfo* R. *Anania Judæus Maroccanus*, non comedi duntaxat locuſtas ab Africanis, ſed quoque à Judæis, delicatioris eſſe Saporis, quam columbarum pullos. Extat quoque inſignis locus apud *Ariſtophanem Act.* IV. Sc. 7. p. 424.

Πότερον ἀκρίδες ἥδιον ἐςιν ἢ κίχλαι·
Ὀι μ᾽ ὡς ὑβρίζεις. Δ. τὰς ἀκρίδας κρίνει πολὺ.


Utrum Locuſtæ ſuauiores ſint, quam Turdi?
Eheu! quam injurius es. D. Locuſtas judicat multo (ſuauiores)

Joſephus de S. Angelo Toloſanus in *Gazoph. Pers.* Tit. *Locuſta* memorat, in Arabia omnes, *tutti quanti*, pauperes atque diuites, Locuſtis veſci ſummo appetitu - *é che veramente ſono buone*, guſtu cancris ſimiles. Aliis placet collatio cum Halecibus recentibus. Non deſunt quidem, quibus non adeo arridet hic Locuſtarum cibus, vel cupediæ, uti *Euthymius Zigabenus in Matth. Beda de Loc. Sanct.* c. 21. *Adamnanus Scotus* L. II. *de Locis Sanctis. Chryſoſtomus Hom. II.* in *Marc.* ut multi locuſtas illas Johannis in deſerto Matth. III. 4. non Locuſtas fuiſſe crediderint. Ne quis vero exiſtimet, fuiſſe Locuſtas impuras, & Lege ceremoniali prohibitas, Textum habemus ſuo loco examinandum in Leuitico XI. 21. qui Inſecta hæc inter Animalia munda collocat. *Veruntamen iſtud comedetis ex omni reptili pennato, quod graditur ſuper quatuor, cui ſcilicet ſunt ſuffragines ſuper pedes ejus, quibus ſaltare poteſt ſuper Terram.* Imo vers 22. enumerantur ipſæ Locuſtarum ſpecies in cibum conceſſæ. *Ex quibus hæc comedetis. Arbe juxta ſpeciem ſuam, & Hagab juxta ſpeciem ſuam.*

Ex omni hac conſideratione id pro vero aſſerimus, miraculo adductos fuiſſe Selauim, ſeu *Coturnices* fuerint, ſeu *Locuſtæ*, Ventorum nempe vehiculo ex vicinis Prouinciis horum Animalium feracibus, ut non fuerint creata immediate ex nihilo.

TAB.

RPJCB




Exodi Cap. XVI. v. 13.
Selauim, Coturnices, aliæque.

II. Buch Moſis Cap. XVI. v. 13.
Wachteln und andere Vögel.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



EXODI Cap. XVI. v. 36.
Gomer 1/10 Ephæ.

II. Buch Moſis Cap. XVI. v. 36.
Gomer 1/10 Theil des Epha.

I. A. Corvinus ſculp

TAB. CLXII.

EX Auibus ſupra memoratis adſunt:

1. Ortygometra.
2. Coturnix.
3. Ficedula, Curuca.
4. Ficedula, Rubrica.
5. Turdus.
6. Phaſianus.

TAB. CLXIII.

Exod. Cap. XVI. verſ. 36.

Porro Gomer eſt pars tertia Epha.

Gomer autem decima pars eſt Ephi.

COrrigendum ante omnia eſt Sphalma, ut videtur, Typographicum, quod irrepſit in Latinam noſtram, & pro *tertia pars Epha* legendum *decima pars Epha.* Sed porro reducenda idea harum menſurarum vaga ad diſtinctam, &, fieri poſſit, uſitatam ſingularum Regionum menſuram. Lucem fœneratur textui noſtro Locus parallelus Ezech. XLV. 11. *Eadem erit adæquatio Ephi & Bathi, ut Bathus capiat Decimam partem Homer: ad Homer utriusque modus exigetur.* Sed ſi heic ſubſiſtamus, obſcurum explicabitur per æque obſcurum. Quæritur enim, quid ſit *Epha?* quid *Bathus*, illa aridorum, hæc liquidorum menſura? Id ſaltem ex Ezechiele conſtat, ejusdem fuiſſe capacitatis Epham & Bathum. Propius nos ſcopo adducit *Joſephus*, portam aperiens ad Græcas menſuras Ant. L. VIII. c. 2. Ὁ βάδος δύναται χωρῆσαι ξέςας ἑβδομήκοντα καὶ δύο. *Bathus capere poteſt 72. ſextarios*, idem proin cum *Metreta Attico.* Sed quid ξέςης *Sextarius?* Quid μετρέτης *Atticus?* Citatus *Joſephus* L. III. c. 7. & L. VIII. c. 2. עֹמֶר vertit per Ἀσσαρὼν, Ἀσσαρὼν ὁ μέτρων Ἑβραίων ἑπτὰ κότυλας Ἀττικὰς ἔχει. *Aſſaron, quæ menſura Hebræorum, ſeptem Cotylas Atticas habet.* Sed recte heic *Joſephum* corrigit *Epiphanius* ſubſtituendo pro κοτύλαις ſeptem *ſextarios*, ξέςας. Diligentiſſimus in *ponderum & menſurarum antiquarum* examine *Eiſenſchmid* 20220. pollices cubicos Pariſinos æquat τῷ חֹמֶר *Chomer*, 2022. τῷ אֵיפָה *Epha ſeu Batho* 202. $\frac{1}{5}$. τῷ עֹמֶר *Homer*, *Gomor.* Reductione facta ad noſtrates menſuras Tigurinas inuenio, continere *Chomer* 11. quartalia, vierthel, $6\frac{10}{17}$. modiolos, mäſslein, *Epha* 1. quartale, $2.\frac{22}{85}$. modiolos. *Homer* denique $1\frac{351}{425}$. modiol. Pro latere cubi Ephæ inuenio 151. Lineas Pariſinas ſiue 32. pollices 6. lineas pro latere עֹמֶר 5. poll. 10. lin. In Tabula autem præſenti commoditatis ergo ſumo duntaxat dimidium latus unius cujusque Cubi; ibi A C. 6. poll. $3\frac{1}{2}$. lin. hîc A B. 2. poll. 11. lin.

TAB.

TAB. CLXIV.

Exod. Cap. XVII. verſ. 1 — 6.

Profectus itaque univerſus cœtus filiorum Iſrael de Deſerto Sin per profectiones ſuas juxta præceptum DOMINI, & caſtra metati ſunt in Raphidim, ubi non erat Aqua, ut biberet Populus.

Et expoſtulauit populus cum Moſe, & dixerunt: Date nobis Aquam, ut bibamus, quibus ait Moſes: cur mecum expoſtulaſtis? cur tentatis DOMINVM.

Sitiuit ergo illic Populus Aquam & querebatur aduerſus Moſem, dicens: quare effeciſti tu, ut aſcenderemus de Ægypto, ut me, & filios meos, atque pecora mea ſiti interficeres?

Et clamauit Moſes ad DOMINVM dicens: quid faciam populo huic? parum abeſt, quin me lapidibus obruant.

Et dixit DOMINVS ad Moſen: Tranſi coram populo, & tolle tecum de Senioribus Iſrael, & baculum tuum, quo fluuium percuſſiſti, tolle in manum tuam, & vade.

Ecce ego ſto ante te illic ſuper petram, quæ eſt in Horeb, & tu percuties petram, & egredientur ex ea aquæ, ut bibat populus. Et Moſes fecit ſic coram oculis ſeniorum Iſrael.

Igitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin, per manſiones ſuas, juxta ſermonem DOMINI, caſtra metati ſunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.

Qui jurgatus contra Moſen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid jurgamini contra me? cur tentatis DOMINVM?

Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſen, dicens: cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos & liberos noſtros, ac jumenta ſiti?

Clamauit autem Moyſes ad DOMINVM dicens: quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.

Et ait DOMINVS ad Moyſen: Antecede populum, & ſume tecum de Senioribus Iſrael: & virgam qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua & vade.

En ego ſtabo ibi coram te, ſupra Petram Horeb: percutiesque Petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus: Fecit Moyſes ita coram Senioribus Iſrael.

SOlida corpora mutari in fluida nēc raro videmus, nec ultra Naturæ limites ponimus. Non plus requiritur ad mutationem hancce, quam ut partes corporis juxta inuicem quietæ jacentes in motum cieantur inteſtinum, & ſitum inter ſe diuerſimode mutent. Ita conuertitur glacies in Aquam: ita liquatur Cera, Butyrum, Metalla, imo in vitrum fluidum Saxa & Lapides, inprimis à concentrato per Lentes & ſpecula Igne. Neque écontra ſolidatio ſuperat Leges Naturæ. Et ſunt *Fluiditas* atque *Soliditas* proprietates adeo Uniuerſales Naturæ, ut nulla non ſint corpora ſeu ſolida ſeu fluida, imo nulla ferè non commutabilia.

Attamen vidimus ſupra, & probauimus fuiſſe muros illos Rubri Maris erectos ſimul & aqueos, qui tranſitum dedere Iſraelitis, verum

Mira-



Exodi Cap. XVII. v. 1-6.
Rupes aquiflua.

II. Buch Moſis Cap. XVII. v. 1-6.
Waſſer aus dem Felſen.

G. G. Winckler sculps.

RPJCB

RPJCB



EXODI Cap. XVII. v. 12.
Moſes in precando ſuſtentatus.

II. Buch Moſis Cap. XVII. v. 12.
Moſis unterſtützte Bett-Hände.

Catharina Sperlingen sc

Miraculum. Et videbimus mox miraculis accenſendum quoque eſſe *profluxum Aquæ é rupe.* Demonſtrant bina hæc miracula ſupremum DEI Dominium in omnia totius Naturæ corpora, ſolida atque fluida. Superanda heic eſt reſiſtentia ſeu cohæſio partium, é quibus conſtat Rupes, & ſuperatur, quod probe notandum, non per agentia naturalia: non Ignis, ſeu communis ſeu ſolaris: non furnus vitrariorum aut calcarius, non catoptra Lenteſue cauſticæ: Sed baculus Moſis, ῥάβδος ille, quo tot in Ægypto patrata fuere, eaque ſtupenda, Miracula, vel ſi preſſius quid dicam, omnipotens DEI Verbum, *Verbum* illud, *quod eſt ſicut Ignis, malleus petram diſſipans* Jer. XXIII. 29. *Ecce ego*, ait DEVS ad Moſen, *ſto ante te illic ſuper Petram, quæ eſt in Horeb, & tu percuties Petram, & egredientur ex ea Aquæ, ut bibat populus.* Aquæ, non materia vitrea fluida, in quam vehementiſſimo Igne fundi poſſunt Rupes, Aquæ potui aptæ. Miraculum videmus, quorſum oculos vertamus cunque. Seu ſtatuamus Rupem ipſam conuerſam in Aquam, nam ſunt particulæ Rupem conſtituentes tota ſua natura differentiſſimæ ab aqueis, ut neque hæ in illas, neque illæ in has Naturæ ullis viribus commutari queant, & ipſum Saxum, ſi quod Chymiæ altioris ſubſidio ſolui poſſet ab uniuerſali quodam, quod Adepti jactant, menſtruo in ſubſtantiam fluidam diaphanam, in particulas ſolveretur lapideas, Naturam ſuam non magis mutantes, quam mutat Argentum ſolutum ab Aqua forti, Aurum à Regia, Metallum utrumque in priſtinam formam reducibile. Seu ſingulari DEI Prouidentia Aquæductus ſubterranei totius Arabiæ fuerint ad Rupem hanc deriuati: ſeu fuerint nunc demum creatæ hæ Aquæ tanto & tam numeroſo Exercitui potando idoneæ.

Patrauit hoc Miraculum DEVS per Moſen non ſemel duntaxat, quod volunt aliqui, ſed bis. Hiſtoria altera extat Num. XX. 1 - 13. Primum horum Miraculorum cadit in Annum Ἐξόδε primum, in ſtationem undecimam, nam omne 40. Annorum Iter 42. habet Caſtrametationes: Secundum in ſtationem 33. in *Kades*: ibi patratum miraculum in oculis Seniorum, heic in facie totius populi v. 8. *Tolle baculum*, inquit DEVS ad Moſen, *& congrega cœtum, tu & Aharon frater tuus, & loquimini ad petram ipſis cernentibus, quæ dabit aquas ſuas, educesque illis Aquam é petra, ut potum des cœtui, & jumentis eorum*, & v. 10. *Congregaverunt Moſes atque Aharon cœtum ante petram, & dixit eis: Audite quæſo vos rebelles, num de petra iſta vobis educemus aquas?* Ibi percuſſit Moſes rupem ſemel, heic *baculo ſuo bis* v. 11. ibi nil legitur de incredulitate aliqua, vel diffidentia Moſis erga DEVM, quæ heic atro depingitur colore. *Ait* DOMINVS *ad Moſen & ad Aharonem: Quandoquidem non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis cœtum iſtum in Terram, quam dedi eis* v. 12. Patet hinc, bina effectui data fuiſſe ejusdem generis Miracula in binis diſtinctis Rupibus. Hinc Pſaltes LXXVIII. 15. *ſecuit Rupes* (צֻרִים vernacula noſtra ſingulari utitur, den Felſen) *in Deſerto* & *potum eis dedit, ut ex magna Abyſſo*, ubi Textus Originalis rurſus habet Pluralem כִּתְהוֹמוֹת, *ex Abyſſis, voraginibus.*

Theologis linquo myſticam explicationem ut Mannæ, ita Aquæ miraculoſæ, & explicationem verborum Diui Pauli 1. Cor. X. 1 - 4. ubi inter alia, πάντες τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον, καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον. ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ. Quæ verba arma præbent contra Pelagianos & Semipelagianos, τὸ πνευματικὸν βρῶμα καὶ πόμα Patribus V. Teſtamenti diſputantibus, & terreſtria duntaxat bona concedentibus.

Legantur interim

Joh. Buxtorff. de Petra in Deſerto in Exercitat. Sacris p. 391 - 486.

Anthonii Hulſii Diſp. Select. XXXIX. *de Manna & Rupe.* Reſp. Jac. Steenhuyſen Lugd. Bat. 1677. 4.

TAB. CLXV.

Exod. Cap. XVII. verſ. 12.

Manus vero Moſis graues fuerunt.

Manus autem Moyſi erant graues.

COmmittunt Iſraelitæ cum Amalekitis prælium, imperante Joſua, Moſes interim in colle, é quo in pugnæ campum proſpectus patebat, pro populo ſuo ad DEVM preces fundit, eleuatis in ſublime manibus, tanto feruore, ut *quamdiu in ſublime attolleret manus ſuas, Iſrael fuerit ſuperior, quando vero manus remittebat, ſuperior fuerit Amalek.* v. 11. Sed laſſantur brachia aliquandiu, forté per horas, in eodem detenta ſitu, in exercitio conſtanti conſtitutis Muſculis brachii eleuatoribus, *Infra-*

fraſpinato A. *ſupraſpinato* B. *Del toide* C. *Bicipite* D. & *Brachiali interno* E. *Coracobrachiali*; tardato ſanguinis motu, preſſis hinc inde vaſis ſanguiferis: Verbo, *Manus Moſis fiunt graues*, ut ab adſtantibus Aharone & Hur, imo lapidibus inſuper ſuppoſitis fulciri neceſſe habuerit.

TAB. CLXVI.

Exod. Cap. XIX. verſ. 4.

Vos vidiſtis, quæ feci Ægyptiis, & geſtaui eos ſuper Alis Aquilarum, & duxi vos ad me.

Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.

ADuolat nobis Aquila, Rex & Dux Auium ἀρχὸς οἰωνῶν *Pind. Pyth. I.* Ἀιετὸς οἰονῶν προφερέσατος, ut eam inſignit *Quintus Smirnæus* L. III. v. 353. Hebræis dicitur נֶשֶׁר *neſcher*, Auis inter rapaces prima, unde & Arabibus *nesr* dicitur à *naſara*, *roſtro vellicare*. Quæ originatio etiam Hebrææ voci conuenit magis, quam R. *Bechai* illa á Chaldæo נשר *decidere*, quod ad Elementum Ignis volatu ſublata in Mare præceps ruat; vel aliorum à נשר *defluere* ob defluuium pennarum, aut à שור *videre*. In *Lexico Meninzkiano*, inter tot Aquilæ, quot ibi occurrunt, Synonyma non eſt ullum, quod נֶשֶׁר noſtrum alludat. Græcorum ἀετὸς, αἰετὸς videtur deſcendere ab Hebræo עַיִט. quod in genere notat auem rapacem.

Ea eſt Aquilæ erga pullos φιλοσοργία, ut eos non roſtro duntaxat aut unguibus geſtare dicatur, ſed & alis, ſeu humeris. Apud *Plutarchum de ciuili inſtitutione* occurrit Ἀισωπος βασίλισκος ἐπὶ τῶν ὤμων τȣ̃ ἀετȣ̃ κομιϑεὶς, *Æſopi regulus Aquilæ humeris vectus*, & apud *Ælianum* Hiſt. L. XII. c. 21. memorabilis hiſtoria, ſi vera, *Tilgami* pueri Babylonii, qui cum ex arcis faſtigio præceps delaberetur, priusquam Terræ illiſus, Aquilæ ſubeuntis dorſo fuit exceptus; quod idem *Ariſtomeni* á Lacedæmoniis in Cæadam conjecti contigiſſe legitur apud *Pauſaniam* in *Meſſeniacis*. Quæ omnia fabulis propiora ſunt, quam vero. Sed interim quærenda eſt explicatio Loci, quem præ manibus habemus, ubi DEVS *geſtaſſe* dicitur Iſraelitas *ſuper alis Aquilarum* עַל־כַּנְפֵי נְשָׁרִים ὡσεὶ ἐπὶ πτερύγων ἀετῶν, ut LXX. habent. Extat locus parallelus Deut. XXXII. 11. *Quemadmodum Aquila excitans nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitans, expandensque alas ſuas tollit illum, & portat eum ſuper alas ſuas* עַל־אֶבְרָתוֹ ἐπὶ τῶν μεταφρένων αὐτȣ̃. Vero haud eſt ſimile *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 3. pullos ab aquilis continua vectione geſtari, ſed potius volaturientes, & in ipſo conatu deficientes parentum alis excipi & ſuſtineri, donec rurſus audeant ſe Aeri committere. Judæos ſi audiamus, Syllogiſtizat Aquila parens. Ita R. *Selomo*: *Cum pullos ſuos é loco ad locum transfert, non transfert eos pedibus ſuis, quomodo cæteræ volucres, quia Aquilam timent, quæ volatu ſurſum ſeſe effert, & iis volat altius; ac proinde pedibus pullos ferunt, ne Aquilæ ſint obuii. Sed Aquila nihil timet præter ſagittam: unde eſt, quod pullos fert ſuper alas, tanquam apud ſe dicens: Malo ut me feriat ſagitta, quam pullos meos.* Hanc in alis geſtationem Miluis quoque adſcribit *Iſidorus* Orig. L. XII. c. 7. Halcyonibus *Ælianus Hiſt.* L. VII. c. 17. *Plutarch. Lib. utra Anim. Antigonus Hiſt.* 27. Ciconiis *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Auib. Suidas in* Ἀντιπελαργεῖν. *Baſilius in Hexaem. Hom. 8. Ambroſius* in *Hexaem.* L. V. c. 16. *Euſtathius Antiochenus. Phœnici Tacitus.* Hiſtoriæ Naturalis Scriptores ſi adeamus, a quibus imprimis auxilia petimus, nil hactenus inuenimus, quod faciat ſatis, ut hæc ipſa, quæ ſupra attuli ex *Bocharto*, ab *Aldrouando*, referantur inter falſa, vel incerta. Crediderim tamen ego, fulciri expreſſiones Scripturæ allegoricas ipſâ Naturâ, in qua plurima ſunt, quæ nos latent. Eſt ſane corpus Aquilæ, ut robore, ita magnitudine præ aliis omnium Auium inſigne, & imprimis pectorales Muſculi, quibus alæ ſuſtinentur, robuſti, ut pullos & alia in dorſo & alis portare facile queant. Et tale quid videtur poſtulaſſe ipſa Natura. Nidulantur hæ Aues in rupibus præruptis, præaltis, é quibus pulli forte volatui nondum ſuffeni præcipiti lapſu vitam vix ſeruarent, niſi commodiſſimo hoc, & molli Alarum fulcimento portarentur; commodiori certe,



EXODI Cap. XIX. v. 4.
Aquila pullos gestans.

II. Buch Moſis Cap. XIX. v. 4.
Der Adler trägt ſeine Jungen.

Catharina Sperlingin sculp.

RPJCB

RPJCB

TAB. CLXVII.



Exodi Cap. XIX. v. 16. 17. 18.
Fulmen et Septum in Sinai.

II. Buch Moſis Cap. XIX. v. 16. 17. 18.
Donner und Rauch am Berg Sinai.

I. A. Fridrich sculps.

rte, quam ſunt ungulæ Auium harum racium.

De Aquilarum φιλοςοργία parum fauenter ribunt alii, imo vero Auem hanc ἄςοργον orſus faciunt *Ariſtoteles* L. IX. c. 34. φύσει νεϱὸν καὶ ὀξύπεινον, *Natura invidam & famelicam*, ut pullos etiam ante tempus ejiciat. *aſilius* in *Hexaem. Hom.* 8. ἀδικώτατον περὶ τὴν ν ἐκγόνων ἐκτροφὴν Sed contra *Ælianus Hiſt.* II. c. 40. cui titulus eſt, περὶ τῆς τῶν ἀιετῶν γῆς, ζηλοτυπώτατον ζῶον περὶ τὰ νεόττια· milia Apoſtolius *Cent.* II. *prov.* 6. *Oppias de Venat.* L. III. v. 115. *Suidas* imprimis ce εὔξενος ex *Philoſtrato Apollonii* L. I. c. 5. timonium Aquilæ dat Moſaico noſtro conrme, οἱ νέοι &c, *Aquilarum pulli pennis adc infirmis circa parentes volitant, volatum ab is addiſcentes.*

Moſis noſtrum Textum poëta quidam in nticum Moſis, quem nobiliſſimum vocat *chartus*, ita παραφράζει:

Ac velut Alitum Princeps fuluusque Tonantis
Armiger implumes, & adhuc ſine robore natos
Sollicita refouet cura, pinguisque ferinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes creuere, vocat ſi blandior aura
Expanſa inuitat pluma, dorſoque morantes
Excipit, attollitque humeris, plauſuque ſecundo
Fertur in arua timens oneri, & tamen impete preſſo
Remigium lentans alarum, incuruaque pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras.
Hinc ſenſim ſupera alta petit: jamjamque ſub aſtra
Erigitur, curſusque leues, citus urget in auras,
Omnia peruolitans laté loca & agmine fœtus
Fertque refertque ſuos vario, moremque volandi
Addocet. Illi autem, longa aſſuetudine docti.
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impauidi. Tantum à teneris valet addere curam.

Ridicula prorſus R. *Solomonis* interpretatio, cui ἀγαθῇ τυχῇ nullus Commentatorum ſubſcribit, de exceſſiva Exercitus Iſraelitici velocitate, qua iter à Rameſes Succotham 120. milliaria confecerit unius horæ ſpatio, quam Fabulam narraſſe eſt refutaſſe.

Eruditis diſceptandum linquo, annon ἀποθεώσεις illæ gentilium, vel ſublationes animularum, ſpeciatim Auguſtarum, in cœlos mediante Aquila fundentur, ex parte ſaltem, in explicata hactenus Auium harum φιλοςοργίᾳ. Notum obuia paſſim eſſe in Cimeliis Numismata, ubi CONSECRATIONIS Vocabulo adjecto occurrit Aquila, vel ſola, vel inter alas eminens corpus Hominis, protenſo brachio, vel Auis, ſuperuolans rogo aut Aræ, vel Ales ipſe Aræ affixus, fulmine impoſito, vel fulmineum telum unguibus prehendens. Ne conjectura hæc mea Exemplis careat, ad marginem pictos ſiſto Numos I. *Fauſtinæ Antonini* ab Aquila ſublatæ ad Æthera; II. *Mariniana*, pauone in altum ſublatæ. III. *Salonini*, Gallieni Filii ſceptrigeri Aquilâ elati: IV. Licinii, ubi Aquilâ ipſe Jupiter fertur fulmiger. Ex *Begeri Theſaur. Brandenb.* p. 669. 741. 749. 797.

TAB. CLXVII.

Exod. Cap. XIX. verſ. 16. 18.

actumque eſt die tertio, quum eſſet mane, facta ſunt Tonitrua & Fulgura, & Nubes graues ſuper Montem, & vox Cornu vehementiſſima, & expauit uniuerſus populus, qui erat in Caſtris.

Jamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat; & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat, & timuit omnis populus, qui erat in caſtris.

Mons autem Sinai totus fumabat, eo quod deſcendiſſet ſuper eum DOMINVS in Igne, & aſcendit fumus ejus tanquam fumus fornacis calcariæ, & totus Mons vehementer contremuit.

Totus autem Mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet DOMINVS DEVS ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.

EXpertus eſt Iſrael hactenus JEHOVAM ut optimum & prouidentiſſimum *Patrem*. Non feriebant Ægypti plagæ niſi Ægyptios, miraculo ab omni afflictione eximebatur Goſen: educebatur Ægypto populus DEI extenſâ Altiſſimi manu: in anguſtias coactus ad oram Maris nouo Miraculo tranſitum inuenit per medium Mare: in deſerto hactenus paſcitur Mannâ, & Coturnicibus ſeu Locuſtis: potum ſitientibus præbuit Aqua é Rupe. Nunc eò res deuenit, ut oſtenderet DEVS, eſſe ſe populi hujus non Patrem duntaxat, ſed & DOMINVM & Legiſlatorem. Aperiendum Theocratiæ Theatrum nouum, præſcribendæ veniunt Leges, ut habeant ſubditi normam viuendi, Deoque ſerviendi. Auguſtiſſima fuit hæc Solennitas: Debebat ſe populus homagium præſtiturus *conſecrare* per biduum, *lauare veſtimenta ſua, ut* eſſent *parati in diem tertium, quoniam in die tertio deſcendet DOMINVS in oculis totius populi in montem Sinai* v. 10. 11. In mandatis habebat Moſes, *circumſcribere termino Montem: ne aſcenderet populus in Montem, neque extremitatem ejus attingeret*, injuncta ſeueriſſima pœna: *quicunque montem attigerit, morte moriatur, non feriet eum manus, ſed lapidibus obruatur, aut telo petatur, ſiue jumentum fuerit, ſiue Homo, non viuat* v. 12. 13. Nouerat ante Moſes, *venturum DEVM in denſa Nube, ut populus audiat eum loquentem, & credant illi perpetuo*, v. 9.

Sunt equidem *Montes* fœcundi *Nubium* genitores. Teſtimonia hujus veritatis dedi luculentiſſima in *Hiſtoria Heluetiæ Naturali*, quæ heic loci latius enarrare non eſt neceſſe. Heic vero comparet non duntaxat *Nubes grauis*, ex qua locutus eſt DOMINVS, ſed *mane tertiæ diei facta ſunt Tonitrua & Fulgura* — & *vox Cornu vehementiſſima* — *Mons autem Sinai totus fumabat* — *& aſcendit fumus ejus, tanquam fumus fornacis* (*calcariæ*) Verbo: *Sinai* mons factus *Vulcanus* ſiue igniuomus. Nequis autem putet fuiſſe Vulcanum naturalem, cujusmodi ſunt Italiæ Veſuuius, Siciliæ Ætna, Hecla Islandiæ. Adſunt ſigna naturalium ab hoc miraculoſo & extraordinario prorſus diſtinctiua. Heic adſunt in viſceribus Terræ, & in copia, partes inflammabiles, ſulphureæ, ſalſæ nitroſæ, quæ & ex Barathris apertis maxima ſæpe vi ejiciuntur. Ibi vero nihil harum rerum adeſt. Vulcanus eſt, & manet Vulcanus, quamdiu in ejus viſceribus materia latet inflammabilis. Sed fuit Sinai igniuomus nec ante nec poſt; hanc Vulcani induit formam ſola hac occaſione, qua ceſſante exuit. Eſt ratio claré ſatis expreſſa. *Mons Sinai totus*, non apex duntaxat, ut in obuiis Vulcanis, *fumabat, eo quod deſcendiſſet ſuper eum* DOMINVS *in igne*. Imo montis apex, contra Vulcanorum Naturam, coopertus erat Nube, ad quam Moſi ſurgendum fuit. *Quum vocaſſet* DOMINVS *MOSEN in verticem Montis, aſcendit Moſes* v. 20. *Audita* præterea *vox cornu* (*buccinæ*) *vehementiſſima*, circumſtantia rurſus extraordinaria prorſus.

Exod. Cap. XX. verſ. 11.

Quoniam ſex Diebus fecit DOMINVS Cœlum & Terram, & omnia, quæ in eis ſunt, ſeptimo autem die quieuit.

Sex enim diebus fecit DOMINVS cœlum & Terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo.

PAlmarium hoc Argumentum pro Sabbathi ſanctificatione Tabulæ ſuæ Decalogicæ inſeruit DEVS, ut & conſtantem refricaret Creationis memoriam, perennem pro tanto opere mandaret gratiarum actionem, & pondus ſimul ſpeciali præcepto de Sabbato adderet. Ἑξαήμερον agnoſcunt omnes, ſed diuerſimode explicant, alii nempe uniuerſum mundum cum omni cœlorum apparatu, Sidera in omni perfectionis ſtatu primæ diei tribuunt, & ἑξαήμερον ſpeciatim ita dictum de ſucceſſiva Terræ elaboratione explicant, dum alii idem de

RPJCB



Exodi Cap. XXI. v. 28-ad fin.
Bos cornupeta.

II. Buch Moſis Cap. XXI. v. 28-ad fin.
Der ſtößige Ochſe.

I.G. Pinz scu

e uniuerſo Mundo per 6. dies diſpartito intelligunt. In hanc rem legi poteſt integer, quem dedi, Commentarius in Creationis Hiſtoriam. Utroque ſenſu dici ſané poteſt, ſex diebus feciſſe Cœlum & Terram, nec contradicit, quem nunc præ oculis videmus, Textus illi Gen. I. 1. qui conſiderari poteſt ut auguſtiſſimi Theatri Prologus.

TAB. CLXVIII.

Exod. Cap. XXI. verſ. 28. ad fin.

28. Et ſi Bos Impegerit in virum vel in mulierem, ut moriantur, Bos ille omnino Lapidibus obrui debet, nec comedatur caro ejus, dominus autem bouis inſons ſit.

Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes ejus: dominus quoque bouis innocens erit:

29. Quod ſi bos cornupeta fuit ab heri & nudius tertius, & denuntiatum eſt Domino ejus, & non cuſtodierit eum, & is virum aut mulierem interfecerit, lapidibus obruatur bos ille, & Dominus ejus interficiatur.

Quod ſi bos cornupeta fuit ab heri & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt dominum ejus, nec recluſerit eum dominus, occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident.

30. Et ſi pretium piaculare ei fuerit impoſitum, quicquid ei imponitur, det, ut animam ſuam redimat.

Quod ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quicquid fuerit poſtulatus.

31. Si vero filium, aut filiam petierit cornu, idem judicium fiet illi.

Filium quoque & Filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubjacebit.

32. Si ſeruum aut ancillam bos cornu petierit, dabit Domino ejus triginta ſiclos Argenti, bosque Lapidibus obruatur.

Si ſeruum ancillamque inuaſerit, triginta ſiclos argenti Domino dabit, bos Vero Lapidibus opprimetur.

35. Si alicujus bos bouem proximi ſui cornu petierit, & ille mortuus fuerit, vendant bouem viuum, & diuidant pretium ejus, ſed & mortuum diuidant.

Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit: vendent bouem viuum, & diuident pretium: cadauer autem mortui inter ſe diſpertient.

36. At ſi conſtiterit, bouem fuiſſe cornupetam ab heri & nudius tertius, & Dominus ejus non cuſtodiuit eum, omnino bouem pro boue reddet, & mortuus ei cedet.

Si autem ſciebat, quod bos cornupeta eſſet ab heri & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum Dominus ſuus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

IN quo conſiſtat naturale *Bouis cornupetæ* vitium, determinari vix poteſt. Cauſæ variæ eſſe poſſunt, ut inter homines, litigioſos, vinum, crapula, bilis, paſſiones variæ, quod verberibus ſe adoriantur inuicem, leuiculas ſæpe, imo nullas ob cauſas. Ita bos cornupeta poteſt reddi ab Oeſtro Veneris, Oeſtro Animali, Verberibus, bile abundante, Tempeſtate Aeris. Aſt morale vitium in proprio ſenſu tribui Animantibus Ratione deſtitutis nequit: Bos proprie non eſt reus, nec proprie ita dictæ pœnæ in eum cadunt. Punitur Dominus bouis per bouem, quia non, uti debebat, præcauerat, & in Exemplum aliorum, ut eſſent tanto cautiores. Punitur & Bos & Dominus, ut vitæ & ſecuritati Hominum magis conſulatur, ut doceatur grauitas Homicidii.

Dictabat Natura & Gentibus aliis, à Lege diuina remotis, hujusmodi Leges. Romanis equidem fuit ſatis τὸν κυρίττοντα &c. *Bobus cornupetentibus, ut obuii ſibi cauerent, cornu fœno circumligare*, teſte *Plutarcho* in *Craſſo*. Hinc *Horatius Sat.* IV.

Fœnum habet in cornu, longé fuge.

Solon Athenis, citato *Plutarcho* teſte, *Canem, qui momordit, noxæ tradere jubet quadricubitali catenâ vinctum*, quod factum πρὸς ἀσφάλειαν ad ſecuritatem vel indemnitatem. De canibus rabioſis notum, vel vinciri debere catenis, vel, quod melius, ne noceant, occidi.

Non comedi debebat caro Bovis cornupetæ: rationem ſubminiſtrat ipſe Bouem occidendi modus, nempe ceremonialem & moralem potius, quam naturalem. Quod *lapidibus obruitur*, fit cadauer. Caro ſugillatur undique, & manet ſanguis in venis, qui juxta legem extrahi debebat. Imo eo usque extendit Legem *Maimonid. Tr. de cib. vetit.* c. 4. ſect. 22. ut lata lapidationis ſententia talismodi bos Beſtia facta fuerit immunda, & nemo eam mactare auſus fuerit. Juxta Naturæ Leges prohibemur ab eſu carnium contagio infectarum, vel morbis grauioribus & immundis.

Sed & Dominus erat reus, *Si bos cornupeta fuit ab heri & nudiustertius, & denuntiatum eſt Domino ejus, & non cuſtodierit eum.* v. 29. ubi varias habent exceptiones Doctores Hebræi. In certis quidem caſibus, ubi bos feriit prouocatus, aut ruptis vinculis, quibus detinebatur, aut per ſerui negligentiam, cui á Domino commiſſus fuerat, DEVS permittebat Judicibus, capitalem pœnam commutare in judiciariam.

Par ratio fuit pœnæ, *ſi bos percuſſit filium aut filiam* v. 31. quod quidem ad ſolos Iſraelitarum liberos referunt *Jonathan* & *Onkelos*, quaſi vero aliarum Gentium fungi ſint, & numerus, fruges conſumere nati. Sed pro ſeruis à boue cornupeta occiſis Dominus mulctatur pœna pecuniaria 30. ſiclorum v. 32. id eſt 15. Imperialium, Siclo ſtatuto pro 45. crucigeris. Eſt hoc ipſum pretium venditi dulciſſimi Seruatoris JESV CHRISTI Matth. XXVI. 15. utpote qui formam ſerui accepit.

Conferri meretur cum Lege diuina *Lex Salica* Tit. 31. *Si homo ex aliqua quadrupede domeſtica occidatur, pro media parte leudi* (i. e. ſubditi hominis) *Dominus componat, & pro alia Animal det: niſi pecoris Dominus vitium ante non intellexerit.* Lex item *Ricardi Tit.* 4. *de damnis Animalium. Qui bouem, aut Taurum, aut aliam Quadrupedem nocentem aut vitioſam habuerit, antequam noceat, jubetur occidere; & ſi, poſt denuntiatum vitium à vicinis, non occiderit, & illud Animal aliquem vulneret, aut occidat, tenetur damnum componere, ut de homicidio.* Qua occaſione monendum, Legem Moſis non de Boue ſolo, ſed de aliis quoque Animalibus eſſe intelligendam. Id quod obſeruant quoque *Maimonides* initio *Libri de Damnis*, & Autor *Libri Chinuk*.

De Venditione Bouis v. 33. & 34. ita inter alia *Maimonides*: *Cum Bos minam unam valens ferit Bovem 20. minarum, & eum necat, & cadaver valet 4. minas, Dominus Bouis deberet rependere 8. minas, quæ facerent dimidium noxæ,* additæ ſcilicet dimidiæ parti pretii cadaueris. *Tamen non tenetur reddere, niſi ex corpore Bouis, quæ læſit, quia dicitur*: Et vendent Bouem uiuum: *proinde ſi Bos 20. nummorum occidit Bouem 200rum, cujus cadaver minam valeat, Cadaueris Dominus non poteſt dicere Domino viui Bouis, da mihi 50. nummos. Quin ei dicetur, penes te eſt Bos, qui læſit, accipe eum, & abi, quamvis ſupra denarium non valeret.*

RPJCB

TAB. CLXIX.



Exodi Cap. XXIII. v. 19.
Hoedus in lacte Matris non coquendus.

II. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 19.
Böcklein nicht in Mutter-Milch zu koch

I. G. Pinz sculp

TAB. CLXIX.

Exod. Cap. XXII. verſ. 31.

- Neque comedetis carnem lacerati in campo, ſed cani projicietis ipſam.

Carnem, quæ á beſtiis fuerit prægustata non comedetis, ſed projicietis canibus.

C*Ani*, Animali immundo & carniuoro, ſuo loco diſtinctius examinando, deſtinatur caro immunda, quam Homini attingere nefas. Pſeudo-Phocylides v. 136.

Μηδέ τι θηροβόρον δάισῃ κρέας, ἀργίποσιν δὲ
Λέιψανα λεῖπε κυσίν

Ne quam à feris depaſtam carnem comedas
ſed velocibus

Reliquias lingue canibus —

Non in mercedem, quia egredientibus Ægypto filiis Iſrael *non mutiit canis Linguâ ſuâ* Exod. XI. 7. quod Judæorum eſt ſomnium, ſed quia carniuoræ huic beſtiæ hic cibus conuenit.

Exod. Cap. XXIII. verſ. 4. 5.

occurreris boui inimici tui, aut aſino ejus erranti, mox reduces eum illi.
videris aſinum ejus, qui te odit, ſuccumbentem ſub onere ſuo, num ceſſabis? & derelinques eum? num deſertum deſeres?

Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum.
Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.

Ocus parallelus his binis, quæ eodem redeunt, extat Deut. XXII. 1. *Si videris bouem aut pecudem fratris tui fugatos, ne ſimules occultando te ab eis, ſed plane reduces s ad fratrem tuum.* Eſt tacita quædam Naræ Lex, quæ idem nobis inſinuat, ne & eaturæ innocentes fiant paſſionum noſtram victimæ. Sumus & nos mortales, quotiot ſumus, jure Naturæ æquales, jure Naræ adſtricti ad amorem mutuum. Et nota, i in Exodo vocatur *inimicus*, in Deuteromio vocari *fratrem.* Sunt igitur & infenſiſni quique hoſtes fratres, ejusdem omnes oſapiæ, gerunt omnes imaginem ejusdem DEI. Ne autem putes ad *Bouem* duntaxat & *Aſinum* ſe extendere Legem heic latam: latior longe eſt, & ad omnia ſeu fratris, ſeu inimici ſe extendit. En ἐπεξήγησιν Legislatoris Deut. XXII. 3. *Sic quoque facies aſino ejus, & ſic ages cum veſtimento ejus, ſic quoque facies cum omni eo, quod amiſit frater tuus, quod perdidit, & tu inueniſti illud, neque enim illud diſſimulare, aut celare poteris.* Exulet Lex illa Phariſæorum: Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου. καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου, Matth. V. 43. νικᾶν oportet ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν. Rom. XII. 21. conf. *Boch. Hieroz.* P. I. L. II. c. 40.

Exod. Cap. XXIII. verſ. 19.

– Ne coquas Hœdum in lacte Matris ſuæ.

Non coques hœdum in lacte Matris ſuæ.

Repe-

REpetitur eadem lex Exod. XXXIV. 26. Deut. XIV. 21. iisdem prorſus verbis, paucis ſed δυσνοήτοις. גְּדִי quæ vox ad Gen. XXXVIII. 23. & aliâs τοῖς LXX. ſemper eſt ἔριφος vel αἰγίδιον, *Hoedus*, ſed heic ἄρνα, Agnum habent. Seruat Symmachus ἔριφον. οὐ σκευάσεις ἔριφον διὰ γάλακτος μητρὸς αὐτοῦ. *Onkeloſi, Jonathanis*, & *Hieroſolymitanæ* Paraphraſis eſt, *non comedes carnem cum lacte.*

De ſenſu Legis variant admodum Interpretum opiniones. Allegoricum multi amant cum *Auguſtino in Exod. Quæſt. 90.* Literalem volunt plerique, ſed abeunt hi rurſum in ſententiarum diuortia, quas ad 5. Claſſes reducit *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50. Sunt nimirum 1. quibus *Hœdus in Lacte Matris ſuæ* eſt in matris utero latens. Explicat hanc rem *Clemens Alexandrinus Stromat.* L. II. οἱ δὲ καὶ περιλακτίζοντες &c. *Qui autem in aliquorum Animantium ventres ante partum calces impingunt, ut contemperata carne Lacte veſcantur, matricem, quæ eſt creata ad generationem, faciunt ſepulchrum fœtus, qui geſtatur in utero: cum Lex aperte ſtatuat;* Sed neque coques agnum in lacte matris ſuæ: *Non fiat enim*, inquit, *quæ viventis nutrimentum eſt, interemti Animalis condimentum: neque, quod eſt cauſa vitæ ad corporis deſtructionem inſeruiat.* Illuſtrantur hæc ex *Plutarcho* περὶ σαρκοφαγίας L. II, οἱ δὲ &c. *Alii autem Suum partui vicinarum uberibus inſilientes ea calcibus feriunt, ut Sanguinem & Lac, & tabum Embryonum ſimul peremtorum in doloribus partus immiſcentes* (proh piacularis Jupiter!) *maximé æſtuantem Animalis partem deuorent.* Antiquiſſimum guloſæ hujus & barbaræ ſimul inuentionis teſtimonium, quod videmus, eſt *Plutarchi*, qui Moſe junior fuit Annis circiter 1500. & Suum duntaxat meminit, non Hoedorum vel Agnorum. Atque proin *Clementi* probandum incumberet, uſitatum fuiſſe hunc morem vel apud Ægyptios, vel apud Judæos. Addo his, quæ *Bochartus* opponit, turpes fuiſſe, ſi fuerunt, has delicias, quandoquidem non duntaxat manſit Amnii ille nutritius liquor, qui quodammodo Lacti tanquam analogus aſſimilari poteſt, ſed quoque confuſa ei fuit & carni barbaris calcantium pedibus conquaſſatæ ipſa urina, eaque copioſa ſatis in Allantoide, tenerrima tunica, collecta; ut & ipſæ in Inteſtinis, cœco præſertim, coaceruatæ fæces. Imo vero tantum non ſuperuacaneum fuiſſet hoc Præceptum, quia alias Judæis prohibita fuit omnis caro ſugillata, omnis caro cum ſanguine, vel contento intra venas, vel extravaſato, aut inter fibras congrumato.

Cenſent *Junius*, *Piſcator*, alii, intelligendum eſſe titulo *hœdi in Lacte Matris ſuæ*, primum poſt partum ſeptiduum, quo inprimis eget Lacte materno, ut inualeſcat; prohiberi adeo Hœdi mactationem ante octauum à partu diem, nempe in ſacrificium DEO offerendi, & Locum volunt eſſe parallelum Exod. XXII. 29. 30. *Primogenitum filiorum tuorum mihi dabis, ſic quoque facies cum boue tuo, & cum ouibus tuis: Septem diebus erit cum matre ſua, octauo die mihi ipſum dabis.* *Et Leuit. XXII. 27. Septem diebus maneat ſub matre ſua, die vero octauo, & deinceps grata erit DOMINO pro ſacrificio, quod igne conſit.* Addunt & XXIII. 19. & XXIV. 26. Legem de primitiis repetitam ſequi hanc de Hœdo in Lacte Matris non coquendo. Imo ſunt, qui ad Paſchalem hœdum aut Agnum hæc referunt ex Exod. XXXIV. 26. His regeri poteſt, Hœdum eſſe in Lacte matris ſuæ, quamdiu lactatur, octauo, nono & ſequentibus diebus, æque ac ſeptimo.

Alii in cibis interdictum volunt Hœdum, vel Agnum non ſolum ſeptiduanum, ſed quamdiu a matre lactatur, quod tempus tres in Hœdis, quatuor in Agnis menſes durat. Ita *Varro* Ruſt. L. II. c. 1. *Ferè ad quatuor menſes à mamma non disjunguntur Agni, hœdi tres;* & c. 2. *In nutricatu Hœdi trimeſtres cum ſunt facti, tum ſubmittuntur, & in grege incipiunt eſſe.* Rationem addunt, eſſe tum minus ſalubres, & plus lactis habere, quam Sanguinis, ſed & moralem, eſſe immane quid, fœtum ab uberibus Matris auellere. Sed huic opinioni διαῤῥήδην obſtat, quod, quicquid per Legem ſacrificare licuit, licuerit etiam comedere, tanquam legaliter mundum. Admiſit autem DEVS Hœdos & Agnos nondum ablactatos ſtatim ab octauo die Exod. XXII. 30. Leuit. XXII. 27. unde Samuel DEO obtulit *Agnum lactis*, ἄρνα γαλαθηνὸν, *agnum ſubrumum*, quod ſacrificium teſtatus eſt DEVS ſe habere gratum. 1. Sam. VII. 9. 10.

Aliis *Matris Lac* per Hypallagen eſt ipſa *lactans Mater*, proin *Hœdum coquere in Lacte*, vel cum *Lacte Matris* eſt coquere una cum Matre, quæ viuum lactauit. Sic prohibetur Leuit. XXII. 28. *Bouem aut pecudem unà cum fœtu ſuo mactare eodem die.* Deut. XXII. 6. in *eodem nido non tollere matrem cum pullis;* Quo pertinet illud Pſeudo-*Phocylidis*.

Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω,
Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆς δὲ νεοττούς.

Neque quis Aues é nido ſimul omnes auferat,
Sed matrem dimittas, ut pullos ex ea rurſus habeas.

Sed durior eſt paulo hæc Hypallage, ſi hæc fuiſſet Legiſlatoris mens, Lex clarè exprimeret *matrem*, non Lac Matris.

Supereſt unica interpretatio, omnium ſimpliciſſima, *non coqui* debere *Hœdum in Lacte materno.* Subſcribit huic *Bochartus*, nîl morans, inuſitatum hoc eſſe, Hœdum coquere in Lacte, licet id hodieque fieri apud Iſmaelitas

RPJCB



Exodi Cap. XXIII. v. 28.
Crabrones Exercitum fugantes.

II. Büch Moſis Cap. XXIII. v. 28.
Verfolgende Hornüſſen.

I. G. Pintz sculps.

itas ſcribat *AbenEzra*, & *Thomas primâ ſecundæ uæſt.* 102. art. 6. Gentiles in Idolorum ſolemniatibus Hœdorum carnes in Matrum Lacte deoxiſſe ad immolandum & comedendum. Inerta hæc eſſe, & é Veteribus vix probanda. nterim alludi fortè ad Gentium quarundam icinarum ritum, cujus quidem nulla veſtigia uperſint. Vetuiſſe DEVM in Lege ceremoiali alia, quorum ratio vix conſtet, ut *Boui rituranti os alligare* Deut. XXV. 4. *Bouem & aſinum ſub eodem jugo copulare* Deut. XXII. o. *Vaccam, ouem, aut Capram mactare una um fœtu.* Leuit. XXII. 28. *in auibus matrem ollere cum pullis* Deut. XXII. 6. Nimirum etari, quæ ſpeciem habent immanitatis, ut oceamur, quam humani eſſe debeamus, erga Homines nobis ſimiles, & ad imaginem DEI factos. Immanitatem autem exerceri poſſe non ſolum erga viuos, ſed & erga mortuos. Omitto digreſſiones alias, quas vir celebris pro ampla ſua eruditione facit.

Sed nec placet hæc *Bocharti* explicatio *Clerico Comm. in h. l.* licet ipſe conjecturam afferat infirmiori adhuc nixam talo; vetitum fuiſſe Judæis, pro Ægyptiorum & Arabum more *Oſiridi* & *Baccho* in ſacrificium offerre *Hœdum* in *Lacte Matris.* Oſtendit quidem is, eundem fuiſſe Oſiridem cum Baccho, & Baccho in ſacrificium fuiſſe Hœdum oblatum, ſed non, quod probare debebat, coctum fuiſſe in vel cum Lacte Matris.

TAB. CLXX.

Exod. Cap. XXIII. verſ. 28.

Mittam quoque ante te Crabrones, qui Hiuæum, Chananæum & Hithæum ante te expellant.

Emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum: & Chananæum & Hethæum antequam introeas.

OCcurrunt heic ϛρατόπεδα τȣ̃ ΘΕΟΥ ſui generis, quorum ope debebant hoſtes DEI pelli, & expelli ante faciem Iſraelitarum. Parallela ſunt loca Deut. VII. 20. *Sed & Crabrones mittet* DOMINVS DEVS *tuus in eos, donec pereant hi, qui reliqui ſunt, quique abſconditi fuerint metu tui.* Joſ. XXIV. 12. *Miſi inſuper Crabrones ante faciem veſtram, qui expulerunt eos ante conſpectum veſtrum.*

Excutienda ante omnia Vox צִרְעָה, quæ *AbenEzræ* Arabi, Pariſiis edito, morbum ſignificat, vel in genere calamitatem. Sed Græci conſtanter habent σφηκίαν, σφηκίας. Sap. XII. 8. ἀπέϛειλας &c. *Miſiſti præcurſores Exercitus tui Veſpas*, σφῆκας, (crabrones) *ut eos paulatim perderent. Hieronymus*, & ex eo verſio noſtra utraque *Crabrones* habet; & ne quæ inter *Veſpas* & *Crabrones* oriatur lis, ſciendum, proprie quidem Crabronem eſſe ἀνθρήνην, ſed σφῆκα & *Veſpam* ſignificare & *Crabronem.* Vetus Prouerbium, σφηκίαν κινεῖν, ἐρεθίζειν in *Ariſtophanis Lyſiſtrata* redditur à *Plauto*, *irritare Crabrones.* Gloſſæ veteres latino-græcæ *Crabro*, σφὴξ, *Philoxeni* σφὴξ *Crabro*, *Veſpa*: in *Onkel.* & *Jonathanis* paraphraſi occurrit עַרְעִיךְ & אוּרְעִיתָא fabricata voce forſan à צִרְעָה. Syrus habet *Zibboritha*, quocum conuenit Chaldæum *Zibbora.* Hebræi recentiores habent & *Veſpam* & *Crabronem.* Cum Hebræo צִרְעָה affinitatem habet Turcarum *Chärgız*, *Chærgez*, crabro, forte & Arabum *Züimbur*, Turcarum *Zimbar*, Perſarum *Zembur*, quæ voces tum *Veſpam* notant, tum *Crabronem Meninzk.* Lex. 1885. 2470.

Sed quæritur, an in allegatis Moſis & Joſuæ Textibus intelligi debeant *Veſpæ* & *Crabrones* proprié dicti, vel in Metaphorico ſenſu *aculei timoris, quibus agitabantur Gentes illæ, ut cederent filiis Iſrael*, quo ſumſit *Euſebius Cæſar.* non improbante *Auguſtino in Exod.* L. II. c. 93. in *Joſuam* c. 27. & Arabs Joſuæ interpres. Huic Sententiæ ſubſcribunt *Rabanus Maurus*, *Liranus*, *Borrhæus*, *Piſcator*, *Willetus*, *Ainsworth*, *Deodatus*, *Junius*; literalem ſenſum præferentibus Auctore Libri Sap. XII. 8. *Theodoreto*, *Procopio* in *Exodum.* Hebræis omnibus, recentiorum parte maxima cum *Bocharto Hieroz.* P. II. L. IV. c. 13. Diſtinguit DEVS ipſe per Moſen binis conſecutiuis Verſibus Terrorem à Veſpa vel Crabrone Exod. XXIII. 27. *Mittam terrorem mei ante te*, & v. 28. *Mittam ante te Crabrones.* Quod in Exodo promiſerat DEVS, impletum Joſ. XXIV. 11. 12. *Pugnauerunt contra vos Domini Jericho, Amorræi* nempe, *Pherizæi*, *Chananæi*, *Hithæi*, *Girgeſæi*, *Hiuæi*, *& Jebuſæi*, *tradidique eos in manum veſtram. Miſi inſuper Crabrones ante faciem*

ciem veſtram, qui expulerunt eos ante conſpectum veſtrum. Et ſcribunt Hebræi apud *Kimchium*, veſpas Chananæorum oculos percuſſiſſe, & ita excœcaſſe, ut pugnare non poſſent. Et ſane terror non *perdit eos*, *qui reliqui ſunt*, *quique abſconditi fuerunt*, quod de crabronibus dicit Moſes.

In Hiſtoriis etiam profanis legimus paſſim, Gentes à beſtiolis hujus generis fugatas, ut patria migrare fuerint coactæ, à *Ranis* populos circa *Pæoniam* & *Dardaniam* apud *Athenæum* L. VIII. & *Euſtathium* in Lib. I. *Iliad.* Ciuitatem Galliæ apud *Plinium* L. VIII. c. 29. *Abderitas Thracia* apud *Juſtinum* L. XV. á *Muribus Trojanos* apud *Plinium* L. X. c. 15. *Megarenſes* apud *Ælianum*; *Chalcidenſes* & *Gyarenſes* apud *Heraclidem*, *Plinium* L. VIII. p. 29. *Theophraſtum* L. LVII. à *Serpentibus Neuros* apud *Herodotum* L. IV. *Amyclas* apud *Varronem* & *Plinium.* *Æthiopiæ* quosdam populos à *Scorpionibus* & *Solpugis* apud *Plinium* l. c. *Diodorum* L. III. *Strabonem* L. XVI. à *Culicibus Saporem* Niſiben obſidentem aqud *Theodoretum.* Sed accedimus propius ad *Apes* & *Veſpas*. In *Jamblichi Babylonicis* φεύγουσιν &c. *fugiunt Babyloniorum copiæ apum inſultu diuexatæ.* In *Antenoris Creticis* apud *Ælianum* L. XVII. τῇ τῶν καλουμένων Ῥαυκίων &c. *ad Rhauciorum urbem diuino quodam impulſu Apum, quæ vocantur Chalcoides, examen acceſſiſſe, & defixis aculeis obuios grauiter anxiſſe, atque illos hunc impetum non ferentes ſolum mutaſſe.* Apud eundem, quod imprimis huc facit L. XI. c. 28. *Phaſelitas* ſedibus ſuis pepulerunt σφῆκες, *Veſpæ.* Ubi notandum ipſos hos *Phaſelitas* fuiſſe *Solymorum* montium incolas, & origines *Phæniciæ* i. e. à Chananæis oriundos, veroſimiliter proin ex eorum numero, quos Iſraelitarum Exercitus πρόδρομοι Veſpæ é patrio ſolo migrare coegerunt.

Diſtinguuntur *Crabrones à Veſpis.* Illi ſunt majores, aluum habent minus gracilem, & pars illa, quæ tenui ligamento Thoraci adnectitur, multo eſt latior, Thoraxque compactior. Alis inſtruuntur quatuor, quarum externæ internis duplo minores, & humeris obſcure fuſcis & caſtaneo colore tinctis affiguntur. Pedes habent 6. ejusdem cum pectore & humeris coloris; Caput oblongum croceum. Oculi propenduli σεληνοειδεῖς, inter quos antennæ duæ oriuntur, falcis æmulæ, ejusdem cum pedibus coloris. Venter tenui quaſi filo humeris annectitur, cujus anterior pars media fuſco colore, & cingulo croceo notatur: poſterior tota crocea videtur, 8. fuſcis punctulis notata, una cum Triangulo paruo; inciſuris præterea quibusdam in utraque parte exiſtentibus, quibus ſe extendere & contrahere pro libitu poſſit. Juxta Ventrem maculas utrinque 4. nigras habet, & in cauda aculeo longo, robuſto & maximè venenato armatur. *Jonſton. Hiſt. Inſect.* L. I. c. 4. p. 34.

Crabrones, imprimis irritatos, Homines infeſtare, imo turmatim irruere, in vulgus notum:

Χηραμοῦ ἐκποτέονται, ἐελδόμενα χρόα θεῖναι
Ἀνδρόμεον, πάντες δὲ περὶ ςέγος ὁρμαίνοντες,
Τεύχουσιν μέγα πῆμα παρεσσυμένοισι βροτοῖσιν.

Ex alueari euolantes, cum humano corpore paſci
Cupiunt: & omnes circa tectum ruentes,
Magnam cladem inferunt mortalibus, qui prætereunt.

Smyrnæus L. VIII.

De Seipſis *Veſpæ* ita apud *Ariſtophanem* in *Veſpis.*

— οὐδὲν ἡμῶν ζῶον ἠρεθισμένων
Μᾶλλον ὀξυθυμόν ἐςιν, οὐδὲ δυσκολώτερον.

— — Nullum Animal concitatum nobis
Eſt iracundius, aut moleſtius.

TAB.

RPJCB

TAB. CLXXI.



EXODI Cap. XXIV. v. 10.
Coelum sub DEO Sapphirinum.

II. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 10.
Sapphir unter Gottes Füſſen.

H. Sperling. sculps.

RPJCB

TAB. CLXXII



EXODI Cap. XXIV. v. 18.
Iejunium Moſis quadrageſimale.

II. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 18.
Moſis 40 Tägiges Faſten.

I.A. Fridrich sculp.

TAB. CLXXI.

Exod. Cap. XXIV. verſ. 10.

Et viderunt DEVM Iſraelis, eratque ſub pedibus ejus quaſi opus quoddam lapideum ſapphirinum, & quaſi ipſum cœlum clarum.

Et viderunt Deum Iſrael: ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum cum ſerenum eſt.

EST ספיר *Saphir*, *Saphirus* una ex paucis gemmis in S. Scriptura memoratis, quæ ſeruarunt nomen & ſignificationem. Sufficiat pro demonſtratione vel unicus, quem præ manibus habemus, Textus, qui non duntaxat nomen ſiſtit lapidis, ſed & deſcriptionem כְּעֶצֶם הַשָּׁמַיִם לָטֹהַר *quaſi ipſum Cœlum clarum*, vel *ſicut corpus cœlorum in puritate*, erat ſcilicet illud opus ſapphirinum, quod viderant Moſes & Aaron, Nadab & Abihu cum 70. Senioribus: quæ quidem verba intelligi poſſunt de puritate ſeu claritate ſola, omnibus gemmis pellucidis communi, ſed commodius etiam extenduntur ad colorem cœruleum, quia cœlum, cum eſt ſerenum, ſimul eſt cœruleum, hic proin color ſerenitatis genuinus eſt character. Lapis hic eſt ordine quintus in pectorali Aharonis, memoratus quoque Exod. XXVIII. 18. XXXIX. 11. Cant. V. 14. Job. XXVIII. 5. 16. Jeſ. LIV. 11. Thren. IV. 7. Ezech. I. 26. XXVIII. 13. Seruauit hic lapis nomen ſuum antiquiſſimum in plerisque linguis tum Orientalibus tum Europæis. Syrus habet *Saphila* mutato ר in ל *Jonathan* סַפִּירוּנִין *Saphirunin*; *Targum Hieroſolymitanum* & *Rabboth* סמפורינא *Sampurina* & סנפרינון *Sanperinun*; Græci Σάπφειρος, Σάμφιρος, in *du Fresne Gloſſar. Græc.* item Ζάμφυρος & Ζέφυρος. *Sapfirus Pandect.* Poloni *Szafir*, Belgæ *Saphyr*, Germani *Sapphir*, *Saphir*, ſic & Galli atque Tranſyluani, Itali *Saffiro*, *Zaffiro*. Mitto alia nomina, quæ nullam cum *Saphiro* habent affinitatem, reſeruanda pro *Lexico Foſſilium*. Nec moror *Saphirum Plinii* L. XXXVII. c. 9. & *Theophraſti* Lib. περὶ λίθ. qui eſt χρυσίπαστος *aureis punctis collucens*, & verus *lapis Lazuli*.

TAB. CLXXII.

Exod. Cap. XXIV. verſ. 18.

Et ingreſſus eſt Moſes* in ipſam Nubem, aſcenditque Montem. Et fuit Moſes in Monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

* Ebr. in medium Nubis.

Ingreſſusque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

EST *Materia* diuiſibilis in infinité parvas particulas, in infinitum, vel quaſi: ex illis conſtant omnia corpora, & in illas reſoluuntur iterum. Et eſt, ut ipſa Hominis vita σύγκρισις, ita inſequens Mors & Putredo διάκρισις. Mouentur in Mundo omnia, & aufert omnis Motus certas à corporibus particulas, quas ipſe aliorſum transfert. Non fit fluidi Corporis ad fluidum, ſolidi ad ſolidum attritio, absque quod particulæ quædam abducantur. Hinc deriuanda omnium Machinarum, cujuscunque ſint vel generis vel inuentionis, conſumptio: ab hac Lege non eximuntur duriſſima

Ligna, non ſolidiſſima Metalla. Et eſt ipſa hæc *Attritio* præcipuus *Perpetui Mobilis* obex.

Ita eſt ipſum corpus Humanum, infiniti artificii machina Hydraulico-Pneumatica, in perpetuo, quamdiu viuit, motu, & in conſumtione perpetua. Quoties fluida per canales circulant, ut circulant jugiter, toties fiunt ſecretiones, imo toties aufertur innumera particularum tum fluidarum, tum ſolidarum, copia, hinc neceſſaria tot ablatorum reſtauratio, neceſſarius *cibus & potus*. Veritatem hanc confirmant inprimis moderna *Tranſpirationis Sanctorianæ* Experimenta, qua conſtat $\frac{5}{8}$. aſſumtorum perſpirare inſenſibiliter, & per porulos adeo minutos, ut horum 125000. obtegi queant, teſtibus Leuwenhoekianis Microſcopialibus obſeruationibus, unico arenæ grano. Non vacat nunc, reducere ad calculum porulorum hujusmodi in tota cute copiam, non particularum transeuntium exiguitatem, non numerum, qui pondus attingat grani, Libræ. Hinc, quod dixi, patet, haud ſubſiſtere nos poſſe diu absque aſſumtione cibi aut potus.

Ad ſeptiduum ſurgit *Hippocrates Lib. de carn.* in fine. *Qui enim ſeptem diebus absque ullo cibo permanſerint, dehinc non poſſunt etiam volentes cibis ſubueniri, quia jam venter eos non admittit.* Ratione addita. *Jejunum enim inteſtinum in iis cohæreſcit.* Ubi per cohæreſcentiam intelligi debet corrugatio potius, quam coalitus. Ad undecimum aſcendit *Plinius* L. XI. c. 54. *Homini non utique ſeptimo letalis inedia, duraſſe & ultra undecimum plerosque certum eſt.* Ita & *Ouidius Metam.* 14. ad duodecimum.

> Sex illam noctes totidem redeuntia Solis
> Lumina viderunt inopem ſomnique cibique
> Per juga, per valles, qua fors ducebat euntem.

Si non heic intelligi debet ſextiduum. Duodecim quoque dierum abſtinentiam ſuſtinuit *Priamus* apud *Homerum ult. Iliad.* Ad longius longe tempus protrahunt variæ & Legendæ & Hiſtoriæ. Prorogant *Sacerdotes* quidam *Indi* inediam ad 20. usque dies, quod legere eſt apud *Cluſium Annot.* ad c. 3. *Garz. ab Horto & Marc. Donatum Hiſt. Medic. Mirab.* c. 12. Ægras memorat *Braſſauolus Comm. in Hippocr. de rat. vict. Sect.* 44. qui per 14. dies abſtinuerint ab omni cibo & potu: ſimilem habet Hiſtoriam detenti in Carcere *Platerus Quæſt. Paradox. Cent. Poſthum.* n. 32. Nota eſt *Annæ de Roth* Hiſtoria 12. Annorum puellæ, Anno 1542, Ferdinando I. Imp. oblatæ, quæ nihil admiſerit per triennium feré, quacum conferri poteſt alia ejusdem ætatis etiam per tres annos jejuna, quæ vixit circa Annum 820. apud *Vincent.* L. XXIV. c. 27. Altius longe aſcendit & ad 20. quidem annos Beati fratris *Nicolai de Rupe* Subſyluani inedia, imo ad Annos 22. puellæ Hiſpanæ apud *Cœl. Rhodigin. Ant. Lect.* L. XIII. c. 24. p. 898. ad 30. *Mariæ* cujusdam *Magdalenæ* apud *Marc. Marul.* L. VI. c. 16. p. 274.

Mentionem meretur *Anna Keller*, *Jacobi Keller* ex pago *Wiilſtingen*, *Kyburgici Comitatus* filia 31. Annorum, quæ 6. ſucceſſiue annis primo 10. poſt 14. diebus, imo 3. ſeptimanis & A. 1704. 4. ſeptimanis cum biduo ſola contenta fuit Aquâ fontana, & abſtemia ab omni cibo & potu vixit per 7. hebdomadas à 25. Decembr. 1705. ad 8. Febr. 1706. inappetens prorſus. De qua perſona notandum, fuiſſe Epilepticam & ejus diſpoſitionis, ut propter ſanguinis viſcoſitatem & lentiſſimum motum διαπνοή illa, de qua ſupra, fuerit tantum non ſuppreſſa. A quo ſane fonte deducenda venit diutina *Serpentum*, *Teſtudinum*, *Chamæleontis*, *Murium alpinorum* inedia. Dependet multum à Temperamento, Ætate, Sexu, Climate, Anni Tempore. Teſtem habemus *Hippocratem* Aph. 13. Sect. I. Γέροντες εὐφορώτατα &c. *Senes facillime jejunium ferunt; ſecundò ætate conſiſtentes: minime Adoleſcentes, omnium minimé pueri: ex his autem, qui inter ipſos ſunt alacriores.*

Sed quid tandem de quadrageſimali Jejunio *Moſis?* imo & *Eliæ?* 1. Reg. XIX. 8. qui *profectus virtute cibi*, quem aſſumſit, placentulæ nempe ſuper prunas coctæ, & Aquæ 40. *diebus & 40. noctibus usque in Montem DEI Horeb.* CHRISTI, cujus illi fuere Typi, qui pariter fuit νηςεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα Matth. IV. 2. Luc. IV. 2. Non ſunt mehercule hi adnumerandi ægris; non heic quadrant Ætiologiæ antea adductæ: Fuere ſani, in functionibus ſuis vegeti, nulla heic ſecretionum naturalis præſumi poteſt ſuppreſſio? Aſcendendum heic ultra Naturæ limites, ad Miraculorum ſphæram. Conſeruationis hujus cauſam ſi deſideres, lege Matth. IV. 4. Ὀυκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἐπὶ πάντι ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ ςόματος ΘΕΟΥ. Idem ille DEVS, qui Aquam profluere fecit é ſicca Rupe, qui populum ſuum per 40. annos cibauit Pane cœleſti, potentiſſimé ſeruauit, & ſeipſum, humana carne veſtitum, & ſeruos ſuos fideliſſimos, Moſen & Eliam. Heic omnis Philoſophia ceſſat.

Miraculoſo Moſis quadrageſimali Jejunio adnecto, Coronidis loco, aliud recens ſatis, illuſoriæ Imaginationis productum. *Guſtauus de Bernhard* Nobilis Meklenburgicus Viſionis diuinæ prætextu ad Exemplum Moſis Eliæ & CHRISTI quadrageſimalem Inediam Plœnæ Holſatorum init d. 24. Jul. 1719. & reapſe abſoluit 1. Sept. Sed ita ſenſim ac ſenſim attenuatus, ut die 2. Sept. obdormierit, Capſulam relinquens Propheticis Scriptis refertam, ſub-

RPJC[illegible]



Exodi Cap. XXV. v. 1-7.
Hyacinthinum, Purpura, Coccigera.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 1-7.
Blaue Seiden, Scharlach, Roſinrot

I. G. Pinz sculp

ubſcripto ſingulis hoc titulo, *des groſſen Königs in Iſrael getreuer Knecht, der Jüdiſche Elias, Guſtav von Bernhard.* Hiſtoriam hanc Actis Vratislavienſibus Medico-Phyſicis D. *Kanoldi* inſeri curauit Loci Medicus D. *Georgius Herman* v. IX. Verſuch. p. 363.

TAB. CLXXIII.

Exod. Cap. XXV. verſ. 1 — 7.

1. Loquutusque eſt DOMINVS ad Moſen hujusmodi verba.	Locutusque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
2. Loquere ad filios Iſrael, ut accipiant mihi * Thruma ab omni Viro, qui Cor ſuum ex Munificentia ad hanc rem appulerit, accipiens mihi Thruma.	Loquere filiis Iſrael, ut tollant mihi primitias, ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas.
* Thruma hoc in loco quarumcunque rerum munificum & liberale donum ſignificat, quod DOMINO ſeparatur.	
3. Hæc autem ſit Thruma, quam accipietis ab eis, Aurum, Argentum & Æs.	Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis, aurum & argentum & æs.
4. Hyacinthinum (ſericum) purpureum, Coccinum bis tinctum, byſſum & (pilos) caprarum.	Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum.
5. Pelles denique Arietum rubras, & pelles ** Melium, & Ligna Sitim.	Et pelles arietum rubricatas, pellesque (hyacinthinas) Janthinas, & ligna Setim.
** Quidam legunt, pelles Janthinas.	
6. Oleum ad luminare, odoramenta ad oleum unctionis, & aromata ad ſuffitum.	Oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris.
7. Lapides *** Schoham, & lapides, qui includantur ad Ephod, & ad pectorale.	Lapides Onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod, ac rationale.
*** Schoham quidam interpretantur pro Onyche.	

Sunt conſiderationis noſtræ *donaria* illa *voluntaria*, quæ ſibi ex ampliſſimo Naturæ theſauro ſelegit Naturæ Autor & abſolutiſſimus DOMINVS pro *Tabernaculo*. Ex Metallorum genere adſunt *Aurum*, *Argentum*, *Æs*, quæ tanquam nota, ſicco pede prætereo, id duntaxat monens, Germanis nobis nomine *Erz*, quod in verſione noſtra exhibemus, venire omnem Metalli venam foſſilem, hinc Auri illam vocamus *Gold-Erz* Argenti *Silber-Erz*, Plumbi *Bley-Erz*. Heic vero intelligi debet *Æs* κατ' ἐξοχὴν ita dictum ſeu *Cuprum*, *Kupfer*, id enim vult Vox נְחוֹשֶׁת. Quamuis animaduertendum probè, non quadrare DEI maximi ſeruitio Cuprum vulgatiſſimum, ſed intelligi debere pretioſum illud Orientale, Auro contra carum. Colligi id poteſt ex Esr. VIII. 27. ubi inter alia, ex Babylonica captivitate reuecta videas. *Vaſa ænea auricolaria elegantia duo, expetibilia ut Aurum.* Talismodi Æris meminit, ejusque Indici vel Perſici *Ariſtoteles de Mirabil.*

Mirabil. Φασὶ δὲ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν ὅτως εἶναι λαμπρὸν, καὶ καθαρὸν καὶ ἀνίωτον, ὡς μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσὸν. Ἀλλ' ἐν τοῖς Δαρέιε ποτηρίοις βατιακὰς ἐιναί τινας, καὶ πλέιες, ἅς ἐι μή τῇ ὀσμῇ ἄλλως ἐκ ἦν διαγνῶναι πότερον ἐισι χαλκαὶ ἢ χρυσαὶ. Ex tali χαλκοχρύσῳ parata quoque fuere juxta Mare æneum alia Templi Salomonæi vaſa 1. Reg. VI. 45. Quod vel in anteceſſum obſeruari volo. De hac enim re alibi producam plura.

v. 4. Occurrit primo תְּכֵלֶת *Thecheleth*, quæ vox multas Interpretibus dedit lites, digniſſima tamen indagine exquiſita, quia vel in ſola Exodo occurrit trigeſies, ſed & alibi in Scriptura. Chaldæi ſcribunt תיכלא *Thichla* vel תכלא *Thachla*. Græci Num. IV. 7. ὁλοπόρφυρον reddunt, vel ſimpliciter πορφυρᾶν, uti extat in *Complutenſi*, alibi ſemper ὑάκινθον, vel ὑακίνθινον, & ita quoque *Philo*, *Joſephus*, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Hieronymus* cum veteribus omnibus. Latine noſtra *Hyacinthinum*. *Colorem* hunc *Hiacinthinum* inſignem fuiſſe & pretioſum conſtat ex *Xenophont. Cyropæd.* L. VI. *Athen.* L. XII. *Arriano* L. VI. *Perſio* Sat. I.

Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina
lana eſt.

Sed inde pretium duntaxat conſtat Coloris, non qualitas vel ſpecies. Plerique *rubrum purpureum* volunt, qui vel ab *Hyacintho* flore, vel Gemma nomen habeat. Florem deſcribit *Dioſcorides* πλήρη πορφυροειδᾶς *purpureo colore plenum.* In *Auctario* Hyacinthinus vocatur à nonnullis πορφυροανθὲς. A *Luciano* in *Amoribus* muliebris capitis cincinni deſcribuntur ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἀνθᾶσιν ὅμοια πορφυρόντες *perinde ac pulcrè florentes Hyacinthi purpuraſcentes.* *Hyacinthus* πορφυρέης audit *Euphorioni* & *Pancrati* apud *Athenæum* L. XV. *Virgilio Suaue rubens*, item *ferrugineus*, i. e. *purpureus*, aut *ſubpurpureus*. Ipſe quoque Lapis *Hyacinthus* purpureus potius eſt, quam violaceus. Et ipſe *Rubinus* Arabibus & Perſis ab hyacinthino colore nomen habet. *Heſychius* & *Suidas* τὸ ὑακίνθινον exponunt ὑπομελανίζον πορφυρίζον. Si hæc prævaleat opinio, idem prorſus erit hyacinthinus color, quem præ ſe ferunt Goſſypia illa ex Aſia in Europam transferri ſolita, *Türckiſch-Garn* dicta, quorum tinctura Europæis hactenus eſt inimitabilis, licet, quod ex relatione αὐτόπτων fidiſſimorum habeo, tingendi modus á Turcis haud reponatur inter myſteria Fig. I.

Sed placet aliis pro תכלת *cœruleus color.* His non opus, niſi ut demonſtrent, hyacinthinum colorem ipſum eſſe cœruleum, ſic conciliabitur latina noſtra cum vernacula, *hyacinthinum* & *blaue Seiden.* Et non deerunt rationes, eæque fortes. *Hyacintho flori* eſt color cœruleus. Vix ſane alii proſtant in hortis, quam albi & cœrulei, ut olim *Columella* vidit:

Nec non & niueos, & cœruleos Hyacinthos.

Habent Græci ſuos κυανέας ὑακίνθας. Eſt & *Hyacintho lapidi color cœruleus nitore cœruleo* apud *Solinum*: *flucticolor profunditas Martiano Capellæ* L. I. *Cœli ſerenus color ſicut Saphirus Ambroſio* in *Apoc.* XXI. 20. κυανίζον χρόα *Andreæ Cæſarienſi* in l. c. Θαλασσίτης *mari concolor Epiphanio de* 12. *Gemm.* Sunt porro ὑακίνθινα *Epiphanio* in *Alogis Sect.* 34. eadem, quæ καλλαίνα, κάλλη, κάλλαια, quæ equidem paſſim purpureum ſignificant colorem, ſed & Venetum. *Gloſſæ* Veteres *Latino-Græcæ* καλλάϊνον *Venetum.* Sed venetus color cœruleo eſt ſimilis, aut profundo Aeri, τῷ ἐρανίῳ χρώματι, ἤτοι τῷ τᾶ ἀέρος βάθει. *Arethæ in Apoc.* c. 67. Et eſt *Callais* Lapis Saphiro ſimilis. *Plinius* L. XXXVII. c. 10. *Callais Sapphirum imitatur, candidior & littoroſo mari ſimilis.* Adde quod Hebræis plerisque תכלת eſt color mari aut Cœlo ſimilis. Tract. *Menachoth.* c. 4. *Maimon.* in *Tſitſith* c. 2. *Kimch. Lexic.* qui huc refert ultramarinum. Pro cœruleo quoque colore ſunt *Braunius*, *Lundius*, alii. Et cœruleus ſi fuerit, tingebatur ſeu ſericum ſeu Goſſypium (nam Subſtantiuum in Hebraico Textu deeſt) ex vegetabilibus vel horum Succis, quod *Clericus* vult *Comm. in h. l.* Fig. II.

Sed eſt & conciliationi locus inter *colorem cœruleum & purpureum.* Coeunt, quod ex *Newtoni*, Philoſophorum Principis, *optica* diſces, amicabili veluti conjugio *violaceus* color cum *rubro* ſecundi ordinis, ut vocat, in *purpureum*, ut leuis exceſſus unius det *cœruleum*, alterius *rubrum.* Nihilominus apud Scriptores *Purpura* commendatur magis à rubro, quam à cœruleo. Memorat *Virgilius* *III. Georg. Tyrios rubores.* *Ouidius de Art.* L. III. v. 170. *Lanam*, quæ *Tyrio murice rubet.* *Plinius* L. IX. c. 38. *purpuram* cum *Sanguine* confert. Imo *purpureum* Poëtæ vocarunt, quicquid inſigniter rubet, Solem, Auroram, Vinum, Uuas, Mora, Narciſſum, Roſam, Papauera, Violas, Puellorum labra & genas Amethyſtos. Teſtimonia longa ſerie recenſet *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 10. Elicitur inde quoque Argumentum pro cœruleo τᾶ תְּכֵלֶת. Sane palam diſtinguit *Xenophon* purpureum ab hyacinthino, *Abradatæ* tribuens χιτῶνα πορφυρᾶν, καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ: *tunicam* purpuream, & lobum hyacinthini coloris. Et apud *Democritum Epheſium* ſunt Epheſiorum Calaſires ἁι μὲν πορφυραὶ, ἁι δὲ ἰοβαφεῖς, ἁι δὲ ὑακίνθιναι. Et in Sacris manifeſte diſtinguitur תכלת *thechetelh* ab ארגמן *Argaman*, de quo mox conſtabit eſſe purpureum.

Duci

Ducit nos & Colorum Affinitas, & Textus rdo ad אַרְגָּמָן *Argaman*, *Purpuram*, quæ eliebatur olim, nunc enim eſt inter res deperitas, ex Conchylio ſeu Murice, ſeu Buccino, urpura dicto. Nam *Purpura* & pro colore ımitur, & pro Conchylio. אַרְגָּמָן vel אַרְגָּוָן *rgauan* à *Kimchio* & *Pomario* vocatur קרמז *armeſinus* ſeu *Coccineus color*, à R. *Jona* לקא *acca*. Pretioſius quid fuiſſe *Argaman* quam *hecheleth* conſtat ex Dan. V. 16. 29. ubi is, uem Aſſyriorum Monarcha ad ſummos hoores vult euehere, non veſtitur תְּכֵלָא *thichla* d אַרְגְּוָנָא *arguana*. Notandum autem ארגון ialectum eſſe Chaldæam, Syram, Arabicam Perſicam, ארגמן Hebræam. Utrumque deectit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. V. c. 11. ex ארמגן *Armagun*, vel *Aramgauan*, quaſi *Syrium olorem* dixeris vel Tyrium, quod in Syria cœerit primo uſurpari, cujus Tyrus eſt vel porio, vel appendix. De *purpura* integri proant libri, Authoribus *Fabio Columna*, & huıs Commentatore *Daniele Majore*. Sed maıet adhuc colorem ex conchylio hujus nomiıis, purpuram ex purpura extrahendi artifiium inter res deperditas. Sæpe tantundem onſtat, vel plus laboris, deperditam rem reroducere, quam nouam inuenire. Nihilminus tentauit varia poſtrema hæc, & cuioſula ætas: In Purpuræ Animalis carne veıulam offendit, quæ veram dat purpuram. t mentio fit in *Memoires de l' Acad. Roy.* 711. ouulorum quorundam Piſcium ad maris ittus jacentium, quæ purpurei coloris ſpeiem quandam exhibent. Conſtat ex hacteıus dictis ארגמן eſſe *Purpuram*, cui in Verſioıe noſtra minus bene reſpondet Vox *Scharach*, *Scarlatum*; ſeruari potuiſſet, ſi verba ıſu valent ut Nummi, vox *Purpur*. Scarlatiıum enim colorem ex *Cochenilla* Americæ Inecto parari certiſſimum eſt, & videbimus nox. Dici nihilominus in fauorem hujus Vocis poteſt, & Purpuram olim nuncupatam uiſſe *Scharlach* vel *Sarlach*, à *Sarra*, quæ *Tyrum* denotat Purpuræ patriam. Fig. 3. ſiſtit olorem purpuraceum & Fig. 4. Purpuram Cochleam.

Sequitur תּוֹלַעַת שָׁנִי *Vermis Cocci.* Occurrit hic apud Moſen 30. minimum locis. Sed Leuit. XIV. 4. & alibi, legas inverſis vocibus שְׁנִי תוֹלַעַת *Coccum vermis.* Imo & disjunctas inuenias. Solum שָׁנִי pro *Cocco* occurrit Gen. XXXVIII. 28. 30. Joſ. II. 18. 21. Sic & תּוֹלָע *vermis* Jeſ. I. 18. *Si peccata veſtra fuerunt ut Coccus* כַּשָּׁנִים *niue redduntur albiora, ſi rubent inſtar purpuræ* כַּתּוֹלָע *ſicut natiua Lana fiunt.* Sic & Thren. IV. 5. Nah. II. 3. שָׁנִי iterationem ſonat, à שָׁנָה *iterare*, *duplicare* proinde proprie eſt δίβαφον. Hinc noſtra Latina *Coccinum bis tinctum Horat.* Lib. II. Od. 16.

— Te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt Lanæ.

Plin. L. IX. c. 39. *Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet, velut magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Hiſtoriam Naturalem ſpectat inprimis altera Vox תּוֹלָע *vermis*. Prælucet explicationi *Dioſcorides* L. IV. ubi κόκκος (βαφικὴ coccus tinctoria) eſt θάμνος μικρὸς φρυγανώδης, ᾧ πρόσκεινται ὁι κόκκοι ὡς φακοὶ *frutex paruus ſurculoſus, cui grana ut Lentis adhærent. Cusculia* vocat *Plinius* L. XVI. cap. 8. κοσκύλια, quia è cortice eraduntur. Græce enim κοσκύλλειν eſt minutias excreſcentes præſecare. *Scatent autem grana illa* (ita Salmas. in Solin.) *intus paruis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt, & eximium illum colorem, quem nos miramur, & adorarunt veteres efficit. Hinc* Vermiculum *pro ipſo* Cocco *dixerunt.* Gloſſæ κόκκος, *vermiculus*, κόκκος βάμμα *vermicula, hoc Coccum, Plinio* L. XXIV. Planta ipſa vocatur *Ilex.* *Eſt autem* (Ilicis) *genus in Africa fere aut Aſia naſcens, celerrimè in Vermiculum ſe mutans, quod ideo* ſcolecion *vocant. Salmaſius* iterum p. 1214. Apud recentiores Græcos σκώληξ paſſim pro Cocco. Ut in *Democriti* ſuppoſititio opere *de purpuræ tingendæ ratione* Σκώληξ Γαλατίας pro *Cocco Galatico*, & Σκώλυξ ὁ Πορφύριος. Vermem etiam Latini appellauere. Gloſſæ Veteres: *Fucus. Vermiculus.* Unde *Vermi-tinctum.* Idem exprimunt Arabes per vocem *Kirmiz*, *Kermez. Alcamus*, *Alkermez, color Armenius, qui exprimitur è Vermibus, in quorum viſceribus latet.* Et preſſius *Sariph. Alkermez nomen Animalis incidentis ſuper Ilicem, quæ eſt ſpecies Quercus mediocris.* Hinc ſane conſtat, Arabum *Kermez* eſſe Græcorum κόκκον βαφικὴν, qua voce tam Granum tinctorium ſignificatur quam vermis, ex cujus ſanie color elicitur. Et ex Arabica Voce *Kermezi* venit Gallorum *cramoiſi* Germanorum *Kermeſin*, ſicut *vermeil* ex *vermiculo. Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 27. Hinc & Turcarum *Kyrmyz* pro *Cocco baphica*, ejusque *verme*. Polonorum *Kármázyn*, *kármázy nowa jagoda* pro cocci grano. Turcarum *Kyrmyzy*, Polonorum *kármazynowey farby*, *czerwony*, pro colore Coccino, coccineo, cremeſino. *Meninzk. Lex.* 3675.

Lucem huic materiæ fœneramur porro ex Hiſtoria Naturæ moderna. In *Provincia*, *Linguadocia*, *Luſitania*, *Hiſpania*, *Italia* creſcit paſſim *Ilex aculeata cocciglandifera* C. B. *Ilex coccigera* I. B. Gallis *Languiſcola*, ſolo ſterili, frutex vix ſupra duos cubitos altus, foliis Aquifoliæ proximis utrinque glabris, verum non ita hilari virore nitidis; floribus vel potius julis, muſcoſis, glande maxima, calyce aſperiore: hujus ramis, ibi præſertim, unde folia prodeunt, vel ramuſculi, verno tempore adnaſcuntur, tuber-

tubercula primum viridia, mox rubeſcentia: hæc mollia primum, ubi indurantur, hoſpitium præbent ouuiis ibi deponi ſolitis, é quibus generantur muscæ cinericeæ, quæ ubi clauſtris ſuis euolant tuberculum linquunt, inutile prorſus ad uſus ſeu Medicos, ſeu tinctorios. Medici namque ex granis coccigeris parant *confectionem* dictam *Alkermes*. Deponunt *Muſcæ* illæ ouula ſua Autumno, foramine cum aculeo facto, intra ipſum corticem, quæ proximo Vere, accedente cupioſiori alimento grandeſcunt in *Vermiculos*, & hi rurſus in *Muſcas*; Colorem autem ipſum dant *ouula* ſeu *Vermiculi* maturitatem adepti, ſanie rubicunda impleti. Fruticis hujus characteres videſis ad marginem nullis notatos ciphris. Lucem dabunt huic materiæ ſimul & Textui, Icones viui ex Illuſtr. Comitis *Marſiglii Annotazioni intorno alla grana de' Tintori detta Kermes*, ubi fig. 5. ſiſtit ipſam Ilicem coccigeram, & c c c. tubercula ſeu grana Kermes ex alis foliorum procreſcentia, prouti oculis conſpiciuntur nudis; conf. quoque Tab. ſeq.

TAB. CLXXIV.

Fig. 6. Tubercula prædicta oculis armatis.

Fig. 7. & 8. Ilicis fruſtulum cum grano adnato a. oculis nudis & armatis.

Fig. 9. & 10. Idem granum ſitu inuerſo, ut videri poſſit pellicula alba, & perforata infra illud cingens. b. oculis nudis. B. Armatis.

Fig. 11. & 12. Idem Granum dicta pellicula nudatum, c. oculo nudo, C. armato.

Fig. 13. & 14. Idem granum verticaliter ſectum d. oculo nudo, D. Armato, ſucco coccineo plenum, ſaturatioris quidem coloris verſus apicem quam ad baſin.

Fig. 15. & 16. Idem granum, quod exhibet ouulorum nidos, jam, poſtquam euolauit Inſectum, vacuos, e. oculo nudo, E. armato.

Fig. 17. F. Ouum ipſum Inſecti á Grano ſeparatum, ubi, & ſubſequentibus Literis minor figura exhibetur oculo nudo, major armato. G, ouum, è quo Inſectum prodire incipit, & caput porrigere. H. Inſectum majori paulo forma extra ouum prominens. I. Idem extra ouum, appendente veluti per Funiculum umbilicalem oui nido. K. Inſectum ſeu Musca in pleno ſuo ſtatu, ſitu prono atque ſupino depicta.

Hæc hactenus de coccigero verme omnium Inſectorum pretioſiſſimo, qui Lanæ & Serico colorem conciliat antiquæ Purpuræ vel parem vel ſuperiorem. Hæc, inquam, ex Ill. *Marſiglii* Obſeruationibus, quibus vel rectificandis vel illuſtrandis inſeruiunt, quæ habet expertiſſimus in Hiſtoria Naturali, Inſectorum ſpeciali, *Valliſnerius* nelle *Eſperienze ed Oſſeruazioni intorno all' Origine, ſui luppi e coſtumi di vari Inſetti* p. 61. ex amici fidiſſimi *Ceſtoni* obſeruationibus, non mutari unquam vermes illos coccigeros in volatilia; Eſſe Grana Kermes non Tuberculum ſiue Gallam, ſed Vermem, qui octo vel decem menſium ſpatio in glomerem mutetur ex meris conſtantem ouulis, quæ rurſus abeunt in vermiculos prioribus ſimiles, & hexapodos. Cui obſeruationi ſi fides habenda, erunt vermiculi hi hermaphroditi, ut eſt Echinus marinus, fouens inſimul atque fœcundans 500. Oua absque utriusque ſexus copula. Imo vero erunt Muſcæ illæ prædatrices potius ouulorum & vermiculorum coccigerorum quam partus.

TAB. CLXXV.

Commodiſſima ſeſe heic offert occaſio detegendi originem paucis cognitam *Scarlatini Coloris* ex *Cochenilla*. Inuitat me coloris cum coccino affinitas, Generationis identitas, ipſum *Scarlati*, *Scharlach* vocabulum, quod jure veluti Subſtitutionis tranſiit ex Europa Aſiaue in Americam. Plantatur in *America Noua* inprimis *Hiſpania* & *Mexico*, ſpeciatim circa urbem *Pueblo* de *los Angelos*, *Opuntia maxima folio oblongo rotundo majore, ſpinulis obtuſis, mollibus & innocentibus, obſito flore ſtriis rubris variegato*, *Sloane Cat. Jamaic.* p. 194. *Hiſt. Nat. Jamaic.* Vol. pag. 152, *Raji Hiſt. Plant. Vol. III. Dendr.* p. 19. *An Raquette ou Cardaſſe, que les Botaniſtes appellent Opuntium majus ſpinoſum fructu ſanguineo. Plumier Hiſt. Nat. des Drogues* pag. 31.? *An ficus Indica major*



Exodi Cap. XXV. v. 4.
Tholaath Schani, Vermis Cocci.

II. Buch Möſis Cap. XXV. v. 4.
Röſinroth.

I. A. Corvinus sculp.

RPJCB



Exodi Cap. XXV. v. 4.
Cochinilla.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 4.
Cochenille, Scharlach.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

RPJCB



EXODI Cap. XXV. v. 4.
Goſsypium, Sericum.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 4.
Weiſſe Leinwad, Baumwolle, Müſchel-Seid

I. G. Pinz sculps.

ajor læuis ſeu non ſpinoſa, vermiculos, quos Co-enilla vocant, proferens. Pluken. Tab. 281. lanta ad 8. aut 9. Pedum altitudinem excre-ens, foliis ſesqui pedem longis, dodrantem tis, nullis ſpinarum agminulis horridis, nam rum loco excauantur foraminula in ſuper-:ie folii, paruis oblongis protuberantiis re-eta. Flores ſunt rubro-ſtriati. Fructus ut cus Indicæ, *Tuna* & *Opuntia* dictæ. Plantam nc exhibet Fig. I. Folium & florem Fig. 2. x hac Planta decutitur, & magna induſtria olligitur Inſectum, quod ipſam dat *Cochenil-m.* Nomina ejus in Ill. *Sloanii Nat. Hiſt. of amaica* Vol. II. pag. 208. 391. hæc ſunt: *:arabeolus hemiſphæricus Cochineelifer. Petiuer azoph. Nat. Tab. I.* Fig. 5. *Cochinilla* & *Coc-nilla officinarum. Dale Pharmac.* pag. 539. *Co-ineal. Tranſact. Philoſoph.* n. 176. p. 1202. & 139. *Scarabeus nigricans alarum alias rubi-cundarum Limbis. Merian. Metam. Inſect. Surinam* p. 2. *Cochinell. Tradeſcant.* p. 35. Nudis oculis Inſectum hocce exhibet Fig. 3. ubi F. eſt Chryſalis. G. Scarabeolus ipſe, armatis Fig. 4. 5. 6.

Qui myſticum deſiderat explanare τȢ תּוֹלַע שָׁנִי ſenſum, perbellé poterit dulciſſimo Seruatori CHRISTO, ejusque vitæ doloribus undique refertæ, & tantum non ærumnarum ſpinis horridæ, Paſſioni inprimis atrociſſimæ, tandemque Morti applicare aculeata Ilicis coccigeræ, ipſiusque Opuntiæ folia, vulnera Frutici huic & Plantæ ab aculeo Muſcæ inflicta, ſaniem coccineam cum ſanguine pretioſiſſimo, inprimis Vermiculum in ea hoſpitantem, qui Meſſiam exhibet *Vermem, & non Virum* Pſal. XXII. 7. *Vermiculum Jacobi,* Jeſ. XLI. 14.

TAB. CLXXVI.

NOuo Naturæ Lumine opus ad explicandum τὸ שֵׁשׁ *Schesch,* quod Latina noſtra vertit *Byſſum,* vernacula *weiſſe Leinwad,* nixa autoritate veterum quorundam, qui ex Byſ- fabricarunt genus Lini, quod, *Philoſtrato* te-e, conficitur ex Indicæ cujusdam Arboris La- : ita & intelligendus *Strabo* L. XV. *Seri-m* ex Arbore deducens, τοιαῦτα δὲ τὰ σηρικὰ ἐκ ῶν φλοιῶν ξαινομένης βύσσȢ. Et pugnat pro *Li- Clericus* Com. in h. l. in ſuas partes vocans *erodotum,* qui L. II. c. 37. teſtatur Sacerdotes nea tuliſſe veſtimenta ſemper recens abluta, oc potiſſimum curantes, εἵματα λίνεα φορέȢσι νεόπλυτα ἐπιτηδεύοντες τȢ̃το μάλιςα. Subſcribit *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 141. Pro *albo* enique *colore* pugnant *Buxtorff. Lex. Hebr.* oce שש. *Lex Talmud.* in בוץ. *Schindler Lex. entaglott.* in בוץ & שש. *Seldenus* L. II. *de Suc-eſſ. in Pontif.* cap. 7. *Dieteric. Antiq. Bibl. ad ſai.* XIV. 1. *Lundius.* Sed adnumerat *Pan-rollus Linum* hocce *Byſſinum* rebus deperditis . 25. Imo vero, ſi rem penitius inſpiciamus, *inum* illud *Xylinum* (ſic vertunt *Junius* & *Tre-ellius*) vel *Sericum candidum* (*Luth. weiſſe Sei-e*) aliud nihil eſt, quam *Goſſypium* moderno-um, *Baumwollen, Baumwollen Zeug.* Lucem œneratur *Plinius* L. XIX. c. 1. *Superior pars Egypti in Arabiam vergens gignit fruticem, uem aliqui* Goſſypion *vocant, plures* Xylon, *& ideo linea inde facta* Xylina. *Paruus eſt, ſi-ilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex nteriore bombyce lanugo netur. Nec ulla ſunt eis andore mollitiaue præferenda. Veſtes inde Sa-erdotibus Ægypti gratiſſimæ.* Placeret & mihi, ſi ex vegetabilium regno petendum τὸ שֵׁשׁ *Goſſypium,* uti & *Bonfrere* ad Exod. XXV. 4. Si hoc, correctionem admittit vernacula noſtra, & ponendum *Baumwolle* vel weiſſe *Baumwolle* loco weiſſe *Leinwad.* Siſtit *Goſſypium* hoc *arboreum* Ægyptiis, *Gottne' l ſeggiar* dictum, vel *Cotnem ſegiar, Alpinus Plant. Ægypt.* pag. 69. & memorat, creſcere ad 10. cubitorum altitudinem, ſtipite, ramisque duris lignoſis: confici in Arabia ex lanugine telas illas tenuiſſimas, quas *ſeſſas* illi appellant, ob pulchritudinem omnibus commendatas. Ab Ægyptiorum vocabulo forte derivandum Gallorum *Cotton,* aliarum Nationum Europæarum *Cattun,* Fig. I.

Quærunt alii שֵׁשׁ in Regno Animali, nominatim *Conchyliorum,* quæ proin darent & תְּכֵלֶת & שֵׁשׁ, Prælucet his *Ariſtoteles Hiſt.* L. V. c. 15. αἱ δὲ Πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τȢ̃ βύσσȢ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι, quæ Verba ita interpretatur *Gaza, Pinnæ erectæ locis arenoſis cœnoſisque ex Byſſo proueniunt,* intelligens juxta cum aliis *Byſſi* nomine Lanam illam mollem, quam Pinnæ nent. Volunt equidem *Geſnerus* & *Bochartus,* Lanam hanc nullibi apud Veteres Byſſi nomine venire, ſed vocari ἔριον, & corrigit *Ariſtotelem Bochartus,* diuque ante eum *Athenæus,* legendo ἐκ τȢ̃ βυθȢ̃, pro ἐκ τȢ̃ βύσσȢ, ex *fundo Maris,* non, ex *byſſo.* Hanc Criticorum litem meam non facio, ſed id duntaxat urgeo, magni olim æſtimatam fuiſſe hanc Conchyliorum Lanam, tum propter mollitiem, tum propter flauum colorem vel aureum. *Baſilius in Hexaem. Hom.* 7. πόθεν τὸ χρυσȢ̃ν ἔριον αἱ πίνναι τρέ-

 φȢσιν,

φȣσιν, ὅπερ ȣ̓δεὶς τῶν ἀνθοβάφων ἐμιμήσατο. *Unde Lanam auream Pinnæ nutriunt, quam nemo eorum imitatus eſt, qui floridis coloribus lanas imbuunt.* Et *Hom. 7. ad Diuites.* Τὰ δὲ ἐκ θαλάττης ἄνθη, ἡ κόχλος, ἡ πίννα σπȣδάζεται ὑπὲρ τὸ ἐκ τῶν προβάτων ἔριον. *Maris autem flores, Concha, Pinna majori ſtudio quæritur, quam lana ex ouibus.* Unde ſane conſtat, Lanam hanc, ſeu, ſi mauis, ſericum hocce olim jam fuiſſe in uſum tractum. Imo ex *Phile* c. 88. Veteres inde formaſſe *Capillitia*, quæ hodie vocamus *Perruques*, nec ex humanis duntaxat pilis, ſed & ex caprillis paramus & equinis.

Πίννη δὲ ποιεῖ καὶ τριχῶν βλάςην ξένην
Ὡ ἐξ ἀραχνῶν συμφυῶν τῶν ἐγκάτων.
Ἧς ἡ φεραυγὴς, καὶ χλιδῶσα λεπτότης,
Ξανθοῖσι πλοχμοῖς ἐν δὲ θεῖσα παρθένων
Σπαργῶντας αὐταῖς μαςροπέυει νυμφίȣς.

Pinna autem pilorum mirabile facit germen,
Ac ſi ex Aranearum viſceribus produceret
Cujus lucida & delitioſa tenuitas
Flauis virginum cincinnis illigata
Procos in eas prurientes conciliat.

Sequentia habet *Procopius Comment. de Juſtiniani fabricis* L. III. quibus veſtium ex illa Lana confectio probatur. Χλαμὺς ἐξ ἐρίων &c. *Chlamys ex lanis facta, non quales ſunt ouium, ſed é Mari ſumtis: pinnas,* πίννας, *vocari cenſent Animalia, in quibus hæ lanæ producuntur.* Et quid ſi *Vellus* illud *aureum* ex hujusmodi lana fuerit fabricatum? abundat ſane *Colchis Pinnis.* Ipſe *Bochartus* huc refert חֲלִי כֶתֶם *obrizi ornamentum.* Prov. XXV. 12. nos reddimus *ein güldenes Kleinot.* Πίνωσις χρυσῆ, quæ valde torſit Interpretes, aliud non eſt eidem, quam *aureum* Pinnæ *Vellus.* Ex Hiſtoria moderna en teſtimonium *Godofredi* junioris, qui in *Memoir. de l'Acad. Royal.* 1712. pag. 207. prætendit, Antiquorum *Byſſum* eſſe hoc ipſum *Pinnarum ſericum*, teſtaturque inde Tibialia parari, & alia, poſtquam humido loco per aliquot dies repoſitum, dehinc carptum, collectum fuerit nendo in fila. De quo ſerico id inſuper notari meretur, neri id ab ipſis conchis, uti Aranearum ſericum prodit ex ipſo earum corpore, imo fila hæc idem eſſe Pinnis, quod nauibus eſt Anchora. Neque tandem ſilentio eſt prætereundum, Byſſum veterum non albi fuiſſe coloris, ſed flaui, vel purpureobruni. *Heſychius.* Βύσσος χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον, *Color, qui loco Hyſges aſſumitur.* Confer. *Plinius* L. XX. c. 26. *Hyacinthus in Gallia optime prouenit; Hoc ibi pro Cocco hysginum tingitur.* Alibi *byſſinum* idem notat quod *purpureum*, βυσσινὰ πορφυρᾶ *byſſina purpura. Pinnam Concham* & ab ea protenſum Byſſum vel Byſſinum Sericum exhibet Fig. 2.

TAB. CLXXVII.

SEquuntur עִזִּים *Capræ.* Sed adeſt Ellipſis. Intellige *pilos* ſc. *Caprillos.* Conſtat, quod ſupplemus, claré ex Exod. XXXV. 26. *Omnes mulieres, quas incitabat cor ſuum, neuerunt induſtrie pilos caprinos.* Adde Cant. IV. 1. *pilus tuus eſt quaſi grex caprarum*, i. e. ut pilus gregis caprarum. Sunt autem conjiciendi oculi non tam in *Capras* noſtras Europæas, quæ breuioribus ſunt pilis, quam vero Orientales illas, quæ ſunt *longioribus*, tondentur ut oues, quarumue villi in varios adhibentur uſus. Sic in *Hiſpania* circa *Cynetas. Feſtus Auienus in Ora maritima:*

Hirtæ hic capellæ, & multus incolis caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum,
Caſtrorum in uſum, & nauticis velamina,
Productiores & graues ſetas alunt.

In *Phrygia Varro Ruſtic.* L. II. ad fin. *Tondentur, quod magnis villis ſunt in magna parte Phrygiæ, unde Cilicia & cetera ejus generis fieri ſolent.* In *Lycia Ælianus* L. XVI. c. 30. Ἐν Λυκίᾳ &c. *In Lycia dicit, Calliſthenes Olynthius, etiam Capras tonderi, ut oues ubique locorum; ibi enim eſſe hirſutiſſimas, & egregiis villis, ita ut ab iis cincinni & retorti capilli dependere videantur.* In *Africa* circa *Cinypem* amnem *Virgil. Georg.* L. III.

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, ſetasque comantes
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

In Cilicia Ariſtot. *Hiſt.* L. III. c. 28. ἐν Κιλικίᾳ αἱ Αἶγες κείρονται ὥσπερ τὰ πρόβατα παρὰ τοῖς ἄλλοις. Sane ex his Caprarum pilis vel villis ſunt Aulæa facta, quibus tectum Tabernaculum Exod. XXVI. 7. XXXV. 6. 23. 26. XXXVI. 14. Sic Scenitarum *Arabum tentoria Solinus Cilicina* fuiſſe



EXODI Cap. XXV. v. 4. 5.
Capra, Taxus, Hysginus color.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 4. 5.
Ziegen=Haar, Dachsfelle, Purpur=Farbe.

H. Sperling sculps.

RPJCB

uiſſe ſcribit, id eſt, ipſo interprete, é *caprarum* pilis *texta : Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. :. 51. In Exemplum heic ſiſto *Capram Lybicam* Fig. I.

De *pellibus Arietum rubris, rothlechten Widderfellen* עֹרֹת אֵלִים מְאָדָּמִים non habeo plura, quæ dicam. Inſeruiebant hæ operiendo ſiue egendo Tabernaculo, quod conſtat ex Exod. XXVI. 14. *Facias & tegumentum ipſi Tentorio ex pellibus Arietum rubris,* Conferri poſſunt commode cum corio illo rubro, quod *Cordubenſe* vocant, *Cordouan* & *Saffian.*

Sequuntur עֹרֹת תְּחָשִׁים *Pelles Melium, Dachsfelle*, ex noſtra utriusque Linguæ verſione, primo Tabernaculi tegumento, quod ex Arietum pellibus rubefactis fiebat, ſuperinductæ, imo & ſuper Arcam, Menſam, Candelabrum, Altare aureum, & omnia vaſa ejus extenſæ. vi. Exod. XXXV. 23. XXVI. 14. XXXVI. 18. XXXIX. 34. Num. IV. 6. 8. 10. 11. 13. 14. Ezéch. XVI. 10. Sed de hoc Animali תַּחַשׁ diſputant multum Judæi inter ſe, an ſit mundum, nec ne? alii, qualenam ſit? In Talmudico Tractatu *de Sabbatho* c. 2. f. 28. dicitur ſpecies τᾶ תְּלָא אִילָן *Thela Ælan*, quod definitur *paruum Animal Felis ſpecie, varium multicolor, immundum, quod reperiri accepimus in certis locis, ubi cuniculos eo venantur : vocatur Syriacé Siphka,* Arab. *Zebzeb*, Græcé *Thela Ælan*; ubi *Viuerram* ſignificari planum, Græcé ικτίδα, unde forſan Germanorum *Iltis* vel κτίδα, quæ quidem apud nos non eſt varia. Reliquæ notæ conueniunt. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. cap. 30. תלא אילן corruptum vult ex תלוא איל quaſi dicas, *maculoſum Animal* oppidi *Ælan* in Arabia, ubi forte frequens, vel potius legendum vult אִילָן, quod *Arborem* ſonat, ut ſignificetur aliud Animal huic ſimillimum, nempe *Martes fagina vel faginea, Buchmarder*, vel *Abietina, Tannmarder*, cui etiam color ſæpe eſt varius, Zoologis teſtibus candido fuſcus, vel puniceo-fuſcus. Syrum nomen putat *Bochartus* fuiſſe *Phiska*, non *Siphka,* illud enim, de pelle, diuerſicolorem notat. Arabum *Zebzeb* notum eſt pro Animali Feli ſimili. *Zobellam* huc referre abſurdum exiſtimat idem *Bochart* cum ſit Animal frigidiorum climatum, rariusque & pretioſius, quam ut Iſraelitæ ex Ægyptiaca ſeruitute exeuntes potuerint illius pelles habere tantâ copiâ, ut ex iis conſutis Tabernaculum, Altare, Menſam, & ſacra vaſa tegerent. Fidem merentur nullam recutiti illi Doctores, qui תַּחַשׁ volunt fuiſſe Creaturam prorſus ſpecialem, quæ in fronte habuerit cornu unicum, & poſtquam ad Tabernaculi uſus fuerit adhibita, perierit. Interim Fig. 2. exhibet *Viuerram* Fig. 3. *Taxum*, Fig. 4. *Martem.*

Sed quid de *Taxo*, quem habent noſtræ, & plurimæ aliæ Verſiones? nonne pro hoc Animali militat vel ſola Hebræa Vox תַּחַשׁ? Princeps Sententiæ hujus eſt R. *Selomo* in Ezech. XVI. 10. qui XII. circiter vixit Seculo. Nec hæc placet, utut tot Interpretum ſuffragiis ſuffulta, *Bocharto* propter rationes ſequentes. 1. *Taxus* pro Animali eſt vox nouitia, ante Seculum VII. vel VIII. haud uſualis, ante hac enim notabat arborem Σμίλακα. 2. Taxonis in pelliciis rarus vel nullus eſt uſus, niſi ad pharetras, Equorum helcia, ſcuta, canumque millos. 3. Hoc Animal veteribus adeo parum fuit cognitum, ut Græcum nomen non habeat, & de Latino ambigatur valde. Et *Melis* veterum potius eſt *Fouina*, vel *Putorius*, ita docente *Salmaſio* in *Solin.* p. 1000. 4. Oſtendi debet, quid in Calceis é pelle Taxonis ſit magnificum, laudatis adeo in amictu ſponſæ ipſius DEI Ezech. XVI. 10. quibus ne lixæ quidem uterentur & calones. 5. Eſt *Taxi* vel *Taxonis* ipſa Vox non Hebraicæ originis, ſed Gallicæ *Iſidor. Orig.* L. XX. c. 2. *Taxea lardum eſt Gallicé dictum.* Unde dicit *Afranius* in *Roſa*, *Gallum ſaginatum pingui paſtum taxea.* Habet enim Taxo communem cum Porco pinguedinis abundantiam.

Laudatiſſimo noſtro & in his verſatiſſimo *Bocharto* exulat omne Animal, & eſt תַּחַשׁ coloris nomen. Sane Græci Seniores עֹרֹת תְּחָשִׁים reddiderunt δέρματα ὑακίνθινα, *Aquila* & *Symmachus* ἰάνθινα; *Hieronymus pelles ianthinas,* alii δέρματα πεπυρομένα, ignei coloris, niſi malis πυῤῥωμένα *ruffi.* Conſpirant Arabes nonnulli, licet in coloribus diſſentiant; & his *cœleſtis* placeat, illis *niger.* Chaldæi & Syri habent ססגונא *Sasguna*, quod Talmudici explicant pro Animali multicolori : ſed verius notat colorem : conſtat id ex Syriacis verſionibus Exod. XXVI. 14. & XXXIX. 34. ubi pelles Arietum rubræ opponuntur pellibus arietum *Josgauno* Non tamen definiunt Syri, qualisnam hic ſit color : *Bocharto* videtur ὕσγινος, *hysginus.* Hunc memorat *Plinius* L. XX. c. 26. *Hyacinthus in Gallia optime prouenit, hoc ibi pro cocco hyſginum tingitur*; ad quem locum *Turnebus* in *Aduerſariis* notat, eſſe *hysgum hyacinthum. Heſychio* βυσσὸς, Byſſus eſt χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον, *color, qui hyſges loco aſſumitur*, eidemque βύσσινον *byſſinum*, πορφυρὸν *purpureum.* Hæc interpretatio ſi prævalet, juſſit DEVS offerri pelles hyacinthinas, janthinas, aut hyſginas, purpureo coloris genere tinctas, vel Naturâ vel Arte. Naſcuntur namque in oriente *oues* non rubræ ſolum, ſed & purpureæ; earum meminit *Tertullian.* de *habitu mul.* c. 8. *de cultu fœminar.* c. 10. *Cyprianus de diſciplina & habitu Virginum. Columella* L. VIII. c. 2. *Oppianus Venat.* L. II. Inter munera, quæ *Juſtino Juſtiniano* obtulit *Thomas Lycandi* Paruecus leguntur πρόβατα φοινικότριχα χίλια, oues purpurei coloris mille. Sed & poterant pelles illæ tinctæ eſſe arte, quum recenſiti colores quadrent Lanæ potius, quam pellibus.

TAB. CLXXVIII.

PErgentes Interpretes noſtri ad שִׁטִּים *Schittem*, *Sitim*, ſeruarunt originalem vocem Hebræam, quod & facit *Clericus*, quia nondum liquidò conſtet, cujusnam fuerint generis ligna illa in uſum Tabernaculi adhibita. Habent LXX. ἄσηπτα ξύλα i. e. corruptioni ſeu putredini haud obnoxia; ſed dat & hæc expreſſio non aliam ideam, quam vagam, qua comprehenduntur non duntaxat Arbores multæ coniferæ, ſed ſolidioris ſtructuræ quæuis. Placet Vernaculæ noſtræ Lignum *Pini Förrenholtz*. Sed majori forte & jure & authoritate imprimis Talmudiſtarum, ſuffragium dari poſſet *Cedrino* Ligno, Fabricæ Templi Solomonæi quoque adhibito, ſiquidem claſſi Arborum coniferarum & reſiniferarum, ex qua eſt & ipſa Pinus, nos alligare vellemus. Sane in eruendis vel Plantarum, vel Mineralium, vel Animalium nominibus, horumque veris ſignificationibus non duntaxat obambulanda eſt Europa noſtra, ſed adeunda Aſia, & conſulendi, qui Hiſtoriam Aſiæ naturalem pertractant.

Nullum eſt dubium *Salmaſio Hyl. Jatr.* p. 166. nec mihi, *Schitta* Hebræorum idem eſſe cum *Senton* vel *Santon* Arabum, quæ ſpina eſt Ægyptia in deſerto naſcens, quam ἄκανθαν vertit *Theodotion*, *Dioſcoridis* Ζήτινον δένδρον cum Hebræo עֵץ הַשִּׁטִּים congruit. Sed non eſt hæc *Acacia* vel *Spina Arabica*, verum *Acacia Vera* J. B. *Acacia foliis ſcorpioides leguminoſæ* C. B. Arbor Mori magnitudine, ramis latius expanſis, trunco æquali, ſpinis horrida, binis ut plurimum ſimul junctis, cortice ex nigro cineraceo, ligno ex luteo palleſcente, foliis ad lentis folia accedentibus, pinnatim multis ad coſtam unam cohærentibus, ut pollice, *Bellonio* teſte, poſſis tegere 350. folia. Floribus pulcherrimis, coloris flaui, in globulos coactis; ſiliquis Lupini quodammodo ſimilibus, nigricantibus ſiue fuſcis, compreſſis, anguſto iſthmo interceptis: ſemine, quod unicuique loculo ineſt, ſpadiceo. Ex qua Arbore promanat ipſum *Gummi Arabicum* dictum. Copioſe creſcit, *Alpino* & *Bellonio* teſtibus, in Ægypti locis à Mari remotis, in montibus Sinai, penes rubrum Mare, circa Sues, in Deſerto ſterili, quæ loci circumſtantia inſigne dat determinationis pondus. Ex ea, *Herodoto* teſte L. II. c. 96. *Naues Ægyptiorum onerariæ factæ*: Et ex his Lignis *Schittim* confecta *Arca fœderis* Exod. XXV. 11. *Vectes* & *Aſſeres erectæ auro obductæ* Exod. XXV. 13. XXVI. 15. *Ara* ejusque *Vectes* Exod. XXVII. 1. 6. *Menſa*, ejusque *Vectes* Exod. XXVI. 23. 26. *Ara ad incendendum ſuffimentum* ejusque *Vectes* Exod. XXX. 1. 5. Eratque Arboris illius incorrupta materia Symbolum Æternæ adorantibus coram Arca, & in Altari ſacrificantibus, & in Thymiaterio adolentibus DEI Seruatoris Gratiæ. *Hiller. Hieroph.* P. I. pag. 426. Siſtit hanc Fig. 1. & ad marginem videre licet characteres ex ſtructura Floris & fructuum petitos.

De Oleo ad Luminare, *odoramentis*, *ad oleum unctionis & aromatibus ad ſuffitum* generatim duntaxat v. 6. memoratis, dabitur alibi commodior dicendi locus. Nec opus, ea repetere, quæ de Lapide שֹׁהַם *Schoham* ſcripta ſunt ad Gen. II. 12.

TAB.



Exodi Cap. XXV. v. 5.
Schittim, Acacia.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 5.
Schottendorn.

G. D. Heüman sculps.

JCB

JCB



Exodi Cap. XXV. v. 10.
Arca Foederis ex Lundio.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 10.
Bundes-Lade nach Lundio.

M. Tyroff sculp.

TAB. CLXXIX.

Exod. Cap. XXV. verſ. 10.

Facient etiam Arcam ex Lignis Sitim, cujus longitudo ſit duorum cubitorum & dimidii; latitudo autem ejus Cubitum (habeat) & dimidium, & altitudo ejus Cubitum & dimidium.

Arcam de Lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum ſimiliter ac ſemiſſem.

SOlebant & Ægyptii aliique populi Idololatræ ſacerrima quæque ſui Cultus certis Areis claudere & aſſeruare. De hac re fuſius agit *Spencer de Leg. Moſ.* L. III. Diſſ. V. Quemadmodum adhuc ſolent Sanctorum reliquiæ ſollicitè capſulis pretioſiſſimis includi, & quidni clauderetur probé, quod judicatur ſacrum, vel ſacerrimum? Hujusmodi Arcæ *Iſidi* ſacræ meminit *Plutarch. de Iſide & Oſiride* p. 366. Τὴν ἱερὰν κίςην &c. *Sacram ciſtam Stoliſtæ & Sacerdotes proferunt continentem Arculam* (κιβώτιον) *in quam umtam Aquam potabilem infundunt.* Et *Apuleus Lib. met. XI. Ferebatur* (in pompa Iſidis) *ab alio ciſta ſecretorum capax, penitus celans aperta magnifica.* Ipſam hanc & ſacram arcam, de qua nos, cum *Tripode Delphica,* confert *Dikinſon Delph. Phœniciſſ.* c. 11. quam tetragonam potius fuiſſe vult auream ἐκ χρυσηλάτε, limbo item ſeu coronâ aurea cinctam, propitiatorio etiam ſedili inſtructam, quod conſtat ex *Ariſtophane* in *Plutone.* Judicent, per me, alii, an Ægyptii & Gentes aliæ modum hunc claudendi ſacra mutuò petierint ab Iſraelitis? quo plerique ſaniorum Doctorum vergunt. Vel, an DEO placuerit cultum ſuum accommodare veluti per complacentiam quandam conſuetudinibus, quas viderant Iſraelitæ in Ægypto? quo inclinant *Chryſoſtomus Hom.* VI. in *Matth. Maimonides Doct. Dub.* L. III. & poſt *Spencerum Clericus* Comm. in h. l. Mihi videtur ſana ipſa Ratio dictaſſe hanc pretioſiſſimarum rerum clauſuram.

Certum hoc eſt, fuiſſe hanc, de qua nunc, Arcam omnium, quæ unquam fuere, ſacerrimam, imo ſolam & unicam ſacram, *Sanctuarium* κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum Exod. XXV. 8. Structuram ab ipſo Deo dictatam. Juxta omnia, quæ ego oſtendo tibi, tam juxta Exemplar Tabernaculi, quam juxta Exemplar cunctorum vaſorum ejus, ſic facietis v. 9. in qua aſſeruari debebant *Tabulæ Fœderis* Exod. XXXI. 18. Fœderis nempe inter DEVM & populum, unde & Arca Fœderis nuncupatur Exod. XXX. 6.

Conſtrui debebat hæc Arca ex *Lignis Sitim,* de quibus ſupra. Expreſſam habemus omnem ejus dimenſionem, *Longitudinem Cubitorum* $2\frac{1}{2}$. Latitudinem æque ac *altitudinem* Cubiti $1\frac{1}{2}$. Sed quænam ſit cubiti Hebraici præciſe idea, docuimus alibi. Illud heic monendum reſtat, fundatam præ aliis eſſe eorum ſententiam, qui *Cubitum Hebraicum* eundem faciunt cum *Ægyptiaco,* utpote cui in ſeruili illa 4. Seculorum vita fuerint Iſraelitæ adſueti, imo vero eſt ſimile, & Hebræos & Ægyptios & Cananæos eandem obtinuiſſe á Noacho menſuram. *Ægyptios* quod attinet, & *Chananæos,* legere eſt apud *Herodotum* L. II. c. 168. *Samiis,* qui Phœniciorum fuere colonia, eosdem fuiſſe cubitos cum Ægyptiis. Neque legimus, DEVM per Moſen dediſſe populo ſuo menſuram quandam nouam; cujus certé longitudinem diſtincte expreſſiſſet, ut Exod. XVI. 36. determinauit *Homer*, quod ſit $\frac{1}{10}$. *Ephæ.* Eò proin res redit, ut definitam ſciamus Ægyptiaci Cubiti menſuram. Huic nodo ſoluendo inſeruit *Nilometrion*, ad quod in Cubitos exacte diuiſum, & authoritate publica cuſtoditum, menſurare ſolent Ægyptii Nili accrementum & decrementum: hoc Turcis vel Arabibus recentiori nempe ætati attribui nequit, quum ejus mentionem faciat *Plinius* L. V. c. 9. XVIII. 18. XXXVI. 7. *Auctus per puteos menſuræ notis deprehenduntur. Juſtum incrementum eſt cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent, tardius recedendo.* Altius ſi aſcendimus Nilometrion inuenimus apud *Diodorum Siculum* L. I. *Strabonem* L. XVII. *Plutarchum de Iſide & Oſiride,* imo & in modernorum *Hodœporicis. Theuenot. Voyag.* P. I. L. II. c. 22. & III. c. 64. *Grauio*, aliis. Ut omnino locus conjecturæ ſuperſit, Ægyptiorum hodiernorum Cubitum eundem eſſe cum illo antiquo, imo antiquiſſimo.

In Dimenſione Arcæ Noachicæ placuit mihi *Cubiti* determinatio, quam habet *Eiſenſchmid. Pond. & Menſur.* in 1 — 944. ſiue 2384. partibus Pedis Pariſini diviſi in 1440. à quo parum recedit *Rich. Cumberland*, qui de hac materia opuſculum edidit Londin. 1686. Tribuit namque is Cubito Ægyptiaco $21\frac{388}{1000}$. pollices Anglicos, qui dant $2460\frac{11}{12}$. ſiue rotundo numero 2461. vel juxta Picardam $2470\frac{11}{12}$. Differentia proin inter *Cumberlandum* & *Eiſenſchmid* eſt $\frac{77}{1440}$. vel $\frac{87}{1440}$. ſiue $\frac{1}{18}$. ſiue $\frac{1}{16}$. Pedis Pariſini. Pro Pede noſtrate Tigurino ſtatuo 1340. partes Pedis Pariſini, dant proin 2384. partes Pariſinæ Pedem Tigurinum 1. 7. pollices, 8. lineas decimales fere. Juxta hunc Computum erit

Longitudo Arcæ in menſuris	
Pariſinis	Tigurinis
$4.' \; 1.'' \; 8.'''$	$4.' \; 4.'' \; 5.'''$
Latitudo uti & Altitudo	
$2.' \; 5.'' \; 9\frac{3}{5}.'''$	2. 6. 7.

Ejusdem cum Arca ipſa Dimenſionis fuit Operculum ſiue *Propitiatorium* ejus, Exod. XXV 17. *Et facies Propitiatorium ex Auro mundo, duorum cubitorum & dimidii erit longitudo ejus, & cubiti ac dimidii latitudo ejus:* quod proin ulteriori ſeu explicatione ſeu calculo haud indiget.

Fabricæ ipſius Arcæ haud immorabor. Sufficiat ejus Icon ex *Lundii jüdiſch. Heiligth.* p. 36. ubi

a. Eſt Arca ipſa.
b. Propitiatorium.
c. Corona per Circuitum.
d. Cherubim.
e. Columna Nubis.
f. Capſula Arcæ adjuncta, in qua Liber Legis.
g. Capſula alia adnexa, in qua claudebatur Manna & Baculus Aharonis.
h. Capſula alia cum Philiſteorum Clinodiis.
i. Tabula, cui inſiſtebat Arca.
k. Annulus, per quem tranſit Vectis.
l. Vectes.

TAB. CLXXX.

HAud abs re erit ſiſtere, & alias, quas alii Literati Viri conceperunt, Arcæ formas.

A. *Villalpandi*, qui Sacræ Arcæ coronidem inferiorem duorum Cherubim baſin conſtituit, & Propitiatorium ſupra Arcam eleuatum, duorum Cherubim manibus ſuſtentatum medio in Aere ſuſpendunt.

B. *Tornielli*, *Ariæ Montani*, & aliorum, qui Propitiatorium ſuppedaneum ſtatuunt, & ſuper illud duos Cherubim ſeſe inuicem alis amplectentes.

TAB. CLXXXI.


A. *Scacchi Sacror. Elæochriſm. Myrothec.* II. p. 473. Cherubim ita diſponit, ut alis ſurſum elatis poſterius Propitiatorii latus tectum fuerit, anterius vero reliquis duabus, quæ ad conſtituendum ſacri hujus Tribunalis ſedile complanabantur. Duabus interim inferioribus alis femora tegentibus, & duabus reliquis quaſi advolatum expanſis.

B. Eandem ſiſtit Arcam, prout ſtabat in Sancto Sanctorum, cum adſtantibus duobus aliis Cherubinis à Salomone in Templo DOMINI poſitis.

TAB. CLXXXII.

EXhibetur heic Icon Arcæ cum Cherubinis ſuper Propitiatorium genuflexis, & manibus annulos Operculi ſacri amplexantibus. Ex Libro Londini A. 1725. edito, cui Titulus: *The Temple of Salomon* &c.

TAB.




EXODI Cap.XXV. v.10.
Arca Villalpandi et Tornielli.

II. Buch Moſis Cap.XXV. v.10.
Bundes-Lade Villalpandi, Tornielli.

G.D.Heüman sculps

RPJCB



EXODI Cap.XXV. v.10.
Arca ex Scacchi.

II. Buch Moſis Cap.XXV. v. 10.
Bundes-Lade nach Scacchi.

M. Tyroff sculp.

PJCB




EXODI Cap. XXV. v. 10.
Arca Foederis alia.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 10.
Eine andere Bundes-Lade.

G.D. Heümañ sculps.

RPJCB

RPJCB



EXODI Cap. XXV. v. 23. 24. 25.
Mensa aurea Scacchi, Tornielli.

II. Büch Moſis Cap. XXV. v. 23. 24. 2
Güldene Tiſch Scacchi, Torniell

M. Tyroff

TAB. CLXXXIII.

Exod. Cap. XXV. verſ. 23. 24. 25.

Menſam quoque facies de Lignis Sitim, duorum cubitorum erit longitudo ejus, unius cubiti, & dimidii altitudo ejus.

Et obduces eam Auro mundo, faciesque ei coronam auream per circuitum.

Sed & Limbo palmario eam circumcludas.

Facies & menſam de Lignis Sitim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine Cubitorum, & in altitudine cubitum & ſemiſſem.

Et inaurabis eam auro puriſſimo: faciesque illi labium aureum per circuitum.

Et ipſi labio coronam interraſilem, altam 4. digitis — —

FUit hæc *Menſa* dicta *aurea* ex Acaciæ ligno nempe intus, ſed laminis Auri puri obducta, in qua panes ſacri ſex in una ſerie reponi debebant, de quibus Leuit. XXIV. 6.

Menſæ hujus dimenſiones ad noſtras Europæas menſuras reductæ ſunt:

Latitudo unius Cubiti	
in Menſuris Pariſinis	Tigurinis
1.′ 7.″ 10$\frac{2}{5}$.‴	1.′ 7.″ 8.‴
Longitudo 2. Cubitorum	
3. 3. 8$\frac{4}{5}$.	3. 5. 6.
Altitudo 1$\frac{1}{2}$. Cubiti	
2. 5. 9$\frac{3}{5}$.	2. 6. 7.

Structuræ Menſæ, quam Delphicæ ſimilem *Joſephus* ſcribit, non immorabor diu, neceſſe nihilominus ducens, formam ejus ſicuti variis deſcribitur, oculis ſiſtere

Judæi Menſam ſuſtentant 4. Pyramidulis, quæ foliis effigiantur ac cælantur ſupra Menſam, in qua Columnæ erectæ ſe mutuo reſpiciunt, transuerſim ponunt virgas aureas ac vacuas, quibus ipſæ Columnæ firmantur, & panes propitiationis imponunt. Fig. A. mutuo eſt petita ex *Scacchi Sacr. Elæochriſm. Myroth.* II. p. 481.

Fig. B. exhibet Menſam ex mente *Tornielli* apud *Scacchum* l. c. qui *Coronæ* nomine intelligunt eam partem, quæ Italicè *Cornice* appellatur, *Labii* nomine *Zophorum*, *Fregio*: quæ Corona labio adjuncta *Coronix*, *Cornigione* dicitur. Coronam tandem aureolam collocant interius in plano ipſius Menſæ, factam ex puro Auro, tantiſper in quadrum eleuatam á plano Menſæ, vel Figura ouata, ut ſentit *Arias Montanus* ad Panes ſanctos claudendos, ne ex Menſæ motu caderent, hac de loco ad alium circumlatâ: ſub Zophoro illi in ſingulis pedibus circulos ſiue annulos ponunt, per quos Vectes laminis aureis veſtiti immittebantur.

TAB. CLXXXIV.

A Liam Menſæ Sacræ formam ſiſtit ex Judæorum mente *Lundius Jüdiſcher Heiligthümer* p. 121. Fig. C. quæ quoad Eſſentiam congruit cum fig. A. Sed artificioſa magis eſt, & ex uno latere Panes habet impoſitos ſex, ex altero iisdem eſt vacua. Corona heic adeſt ſummâ & infima Menſæ parte. Pedes ſeu Columnæ quatuor ſuperne Parallelepipedi formam habent, inferne, qua Terræ inſiſtunt, Globi. Fig. D. exhibet ſeparatim *Panem Propoſitionis*, ſeu *Panem facierum*: qui Græcis Interpretibus ἄρτοι ἐνώπιοι, ἄρτοι τȣ̃ προσώπȣ, ἄρτοι τῆς προσφορᾶς, ἄρτοι τῆς προθέσεως. Exod. XXV. 36. Neh. X. 33. 1. Reg. VII. 48. 1. Sam. XXI. 6. Structuræ prorſus ſingularis (quam compreſſam & rotundam habet Fig. B.) Erant hi fundi plani, digitum craſſi, 6. palmos longi, 5. lati, utrinque in trigona Priſmata bipalmaris altitudinis eleuati, quibus Panibus anguli fuere 18. Imponebantur hi patinis aureis, quas ſeparatim ſiſtit Fig. E. Fig. F. autem panem, prouti jacet in ipſa patina.

TAB. CLXXXV.

A Liam porro exhibet formam Author Libri, cui Titulus, *The Temple of Salomon.* Fig. G. quam vidiſſe eſt eſt explicaſſe.

Ne quid deſideret Lector, ſimpliciſſimam in Fig. H. ſiſto formam *Menſæ*, quam dat ipſe *Scacchus* p. 485. Architecturæ Regulis & terminis magis conformem. Hebræum זֵר v. 24. quod nos reddimus *Coronam*, Græci Interpretes vertunt per κυμάτιον: Eſt autem *Cymatium* intelligendum non *Doricum* ſed *Lesbium*, quod *circumcirca* κύκλῳ, *in circuitu* cingebat Menſam, ſiue Limbum menſæ a. & expreſſiori forma in d. Coronæ huic, ſiue Cymatio adjungebatur b. *Zophorus* — מִסְגֶּרֶת טֹפַח *clauſura*, vel *limbus palmarius* v. 25. nempe 4. digitorum παλαιστή, ut habet *Joſephus*. LXX. habent στεφάνην παλαιστȣ̃ κύκλῳ, quæ Corona intelligenda venit de lignea faſcia, quæ ſub coronide ſuperiori pedes Menſam ſuſtinentes colligabat. Et Zophoro tandem aderat aliud στρεπτὸν κυμάτιον κύκλῳ, *corona per ambitum*, nempe aliud *Cymatium* c. De locis pro annulis, & Pedum forma, quam inprimis deſcribit *Joſephus* L. III. c. 7. non habeo, quæ ſuperaddam, quum ipſe conſpectus omnia edoceat.


Eſt טֹפַח *Tophach palmus* $\frac{1}{6}$. Cubiti in 4. digitos rurſus ab Hebræis ſubdiviſus, proin $\frac{397}{1440}$. quæ partes dant tres pollices, 3. Lineas, $\frac{99}{130}$. menſuræ Pariſinæ. Menſuram hanc ſiſtit Fig. I. ubi inferiores numeri Pariſinas dant Partes, ſuperiores digitos Hebræorum 4.

Exod. Cap. XXV. verſ. 39.

Talentum Auri mundi faciet illud — Habebit talentum auri puriſſimi.

CIccar: כִּכָּר *Talentum*, Ponderis maxima ſpecies apud Hebræos. Ἑβραῖοι μέν καλȣ̃σιν κίγχαρες, εἰς δὲ τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶσσαν σημαίνει τάλαντον. *Joſeph. Antiq.* L. III. c. 7. Conſtabat autem Talentum Siclis 3000. obolis 6000. Minis 50. Siclorum proportionem colligere licet ex capitatione illa Iſraelitarum, de qua Exod. XXXVIII. Ex iis nempe 603550. viginti annos & ultra natis ſinguli offerebant ſemiſiclum, ut ſumma ſiclorum integrorum ſurgat ad 301775. Dicitur autem Collecta Integra v. 25. fuiſſe Talenta 100. cum reſiduis 1775. Siclis. *Eiſenſchmid. Pond. & Menſ.* p. 52. qui p. 188. ſequentem habet Talenti ad pondera Europæa reductionem.

Pond




EXODI Cap. XXV. v. 23. 24. 25.
Mensa et Panes Lundii.

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 23. 24. 25.
Tiſch und Schaü= Brod nach Lundio.

G.D.Heüman sculp.

RPJCB



Exodi Cap. XXV. v. 23. 24. 25.
Mensa Panesque Scacchi. *etc.*

II. Buch Moſis Cap. XXV. v. 23. 24. 25.
Tiſch und Brod nach Scacchi.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

JCB



EXODI Cap. XXVI. v. 1.
Ichnographia Aulæi primi.

II. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 1.
Grundriß des bunden Teppich

G. D. Heüman

Pond. Pariſin.			
Lib.	Unc.	Groſs.	Gran.
87.	3.	6.	48, 00.

Pond. Coloniens.			
Marc.	Semunc.	Drachm.	Mom.
182.	10.	1.	17, 64.

Pond. Argentorat.			
Lib.	Semunc.	Drachm.	Gran.
90.	19.	3.	46, 03.

Pondus Medicum ſeu Venetum.				
Lib.	Unc.	Drachm.	Scrup.	Gran.
119.	2.	4.	2.	9, 89.

TAB. CLXXXVI.

Exod. Cap. XXVI. verſ. 1 — 6.

1. Tabernaculum facies, decem Aulæa *1. 2. 3. 4. 5. 1. 2. 3. 4. 5.* (ex) Byſſo, *Goſſypio vel Pinnarum ſerico*, torta, hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, *ſcarlatino*, Cherubim facies in eis opere (1.) textorio.

Tabernaculum vero ita facies: Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.

(1.) Quidam legunt, opere artificioſo, quidam polymito.

2. Longitudo unius Aulæi *A. B.* erit viginti octo cubitorum, & Latitudo *AC.* unius erit quatuor cubitorum, eandem menſuram habebunt ſingula Aulæa, 1. 2. 3. &c.

Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit, unius menſuræ fient univerſa tentoria.

3. Quinque Aulæa *AD.* conjuncta erunt, alterum, ad alterum & (reliqua) quinque Aulæa *DE* conjuncta erunt, alterum ad alterum.

Quinque cortinæ ſibi jungentur mutuo, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt.

4. Facias quoque anſulas hyacinthinas in oris *D F.* unius cujusque Aulæi *ADBF. DEFG*, ut extremis ſuis alterum alteri conſocietur, excipientibus ſeſe mutuo anſulis.

Anſulas hyacinthinas in lateribus ac ſummitatibus facies cortinarum, ut poſſint inuicem copulari.

5. Unicuique (ſcilicet) aulæo facies quinquaginta anſulas *aa.bb.* in oris, ut extremis ſuis alterum alteri conſocietur *D. F.* excipientibus ſeſe mutuo anſulis.

6. Facies & quinquaginta fibulas aureas *ccc.* & conſocia fibulis illis Aulæum cum Aulæo *ADBF. DEFG.* ut ſit Tabernaculum unum.

Quinquagenas anſulas cortina habebit in utraque parte, ita inſertas, ut anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit adaptari.

Facies & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda ſunt, ut unum tabernaculum fiat.

Carebat Tabernaculum Tecto, acuminato nempe, qualia nos Europæi ſtruere, iisque obtegere ſolemus ædes, & ita ab injuriis externis tum eas, tum habitatores vindicare: imo ne quidem ſanctiſſimo huic Ædificio erat, quale eſt Ædibus Orientalium populorum, planum atque ſolidum. Operimenta fuere *Aulæa*, eaque quatuor, una aliis ſuperimpoſita, prouti hodie Principes atque Magnates Menſas ſternere ſolent mapalibus unis aliis ſuperſtratis. Id, de quo nunc, *Aulæum* fuit intimum & pretioſiſſimum, quod, qui intra Tabernaculum ſtabat, Tabulati inſtar adſpiciebat, *Cherubinis opere Textorio* exornatum. Conſtabat id duabus partibus majoribus ſeu Aulæis, ſingula horum 5. partibus, & quæuis pars 28. cubitis in longitudinem, 4. in latitudinem. Partes hæ minores futuris prius erant inuicem connectendæ, ſed Aulæa ipſa, ſingula 28. Cubitos longa, 20. lata *anſulis conſociabantur hyacinthinis*, & *fibulis* inſuper *aureis*, juſta & æquali ab inuicem diſtantia locatis, nempe dimidii, & quod excedit, cubiti, quia fibulæ fuere numero 50. ſed totum Aulæum ex binis compoſitum habebat 28. cubitos in Longitudine, 40. in latitudine. Unum horum Aulæorum conſociatorum aperiebat præciſe ſanctum, cubitis nempe ſuis 10. pro Tabulato, reſiduis (ab 28.) 18. Cubitis utrinque ex parietibus lateralibus pendulis pro Ornamento. Alterum Aulæorum operiebat Sanctiſſimum, rurſus nempe 10. Cubitis ſuis in longum, & totidem in latum, reſiduis iterum 18. Cubitis ex Longitudine, & 10. ex Latitudine ex parietibus, extra nempe, pendentibus. Quæ omnia clare & diſtincte exprimit hæcce *Ichnographia Aulæi primi ſeu intimi*, ubi ſpeciatim obſeruare licet, ex parietibus lateralibus ad Meridiem & Septentrionem pependiſſe pretioſum hoc aulæum ita, ut de Tabernaculi altitudine vacui remanſerint 2. Cubiti, ſed verſus occaſum unicus duntaxat Cubitus. Conſtat id ex ſequenti Calculo, ex Figura ipſa melius concipiendo.

Parietes in quouis latere erant alti Cub. -	10.
Ergo utroque - -	20.
Tabernaculum intus latum -	10.
Aſſeres craſſi - -	1.
Ergo utrinque - -	2.
	43.

E contra erat	
Structuræ Longitudo interna -	30.
Aſſerum craſſities ad occaſum -	1.
Parietis occidentalis altitudo -	10.
	41.

Atqui Aulæum hoc pretioſiſſimum longum erat duntaxat 28. Cubitos, latum 40. diſtabat proin in parietibus Meridionali & Septentrionali à Terra 2. in Occidentali 1. Cubitis. Dant autem 28. Cubiti, Aulæi longitudo, reducti in

Mens. Pariſinis			Tigurinis		
46.′	7.″	$3\frac{1}{5}$.‴	49.′	8.″	4.‴
Latitudo 4. Cubitorum					
6.	7.	$5\frac{3}{5}$.	7.	1.	2.
Latitudo 40. Cubitorum.					
66.	8.	8.	71.	2.	0.

In hac ipſa Tabula eſt

I. P. Q. X. Sanctum, cujus Longitudo I. P. 20. Cubitorum.

P. M. N. Q. Sanctum Sanctorum, cujus latus 10. Cubitorum.


I. H. Craſſities Aſſerum 1. Cubiti.

R F. K D. Dependens Aulæi Longitudo verſus Meridiem & Septentrionem 8. Cubitorum, ita ut ex toto pariete R X. K Y. qui 10. eſt Cubitorum intecta maneant F X D Y 2. Cubitorum.

L ⊙ Paries occidentalis 10. Cubitorum, de quo nudum manent E. Z 1. Cubit.

TAB.

JCB



Exodi Cap.XXVI.v. 7-13.
Aulæa è Caprinis.

II. Buch Moſis Cap.XXVI.v.7-13.
Teppiche aus Ziegen-Haaren.

G.D.Heümann s

TAB. CLXXXVII.

Exod. Cap. XXVI. verſ. 7 — 14.

. Facies & Aulæa de pilis caprarum ad Tentorium ſuper Tabernaculo, facies autem undecim Aulæa 1. 2. 3 — 11.

Facies & ſaga cilicina undecim ad operiendum tectum Tabernaculi.

. Longitudo Aulæi unius *AB* ſit triginta cubitorum, & latitudo unius *AC.* quatuor Cubitorum: eandem menſuram habebunt undecim Aulæa.

Longitudo ſagi unius habebit triginta cubitos, & latitudo quatuor: æqua erit menſura ſagorum omnium.

. Et conſociabis quinque Aulæa 7. 8. 9. 10. 11. inter ſe, & ſex Aulæa 1. 2. 3. 4. 5. 6. inter ſe, & duplicabis Aulæum ſextum *AC.* e regione proſpectus Tabernaculi, *ut nempe propendeat ab anteriori ſeu orientali Tabernaculi margine.*

E quibus quinque junges ſeorſim, & ſex ſibi mutuo copulabis, ita ut ſextum ſagum in fronte tecti duplices.

).Et facies quinquaginta anſulas in oris unius cujusque Aulæi *aa. bb.* ut finibus ſuis altera alteri conſocietur. *FG.*

Facies & quinquaginta anſas in ora ſagi unius, ut conjungi cum altero queat: & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, ut cum altero copuletur.

:. Facies deinde quinquaginta fibulas æneas, & inferes fibulas in anſulas, jungesque Tentorium illud in *FG.* ut fiat unum.

Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur anſæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.

2. 13. Et quod excedit abundatque in Aulæis Tentorii (nempe) dimidium Aulæi quod abundat, excedet in poſterioribus Tabernaculi, ut (ſcilicet) cubitus hinc & Cubitus illinc in longitudine Aulæorum Tentorii abundet, ſitque exceſſus in lateribus Tabernaculi hinc & illinc, ut ipſum operiat.

Quod autem ſuperfuerit in ſagis, quæ parantur tecto, id eſt unum ſagum, quod amplius eſt, ex medietate ejus operies poſteriora Tabernaculi. Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus eſt in ſagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegent.

4. Facias & tegumentum ipſi Tentorio ex pellibus Arietum rubris, & ſummum operimentum ex pellibus melium.

Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & ſuper hoc rurſum de hyacinthinis pellibus.

— Conf. Exod. Cap. XXV. verſ. 5.

Eſt hoc *Aulæum ſecundum*, intimo & pretioſiori, de quo ante, ſuperinjectum, quod partibus conſtabat 11. Quælibet harum 30. cubitos erat longa, 4. lata. 11. hæ partes connectebantur in duo Aulæa; pro uno conſuebantur partes 5. fuit proin hoc 30. Cubitos longum, 24. latum. Integrum igitur Aulæum ex binis coagmentatum fuit 30. cubitos longum, 44. latum. Quod ex ſex partibus componebatur, erat anterius, quod ex 5. poſticum. Sed ab anteriori parte, qua patebat ingreſſus in Tentorium, binis Cubitis eminebat, ſeu longius fuit Aulæum ipſa Tentorii ſtructura, ut replicari potuerit, & á poſtica parte uno cubito, nam fuit

Structuræ longitudo	- -	30. Cub.
Parietis Occidentalis craſſities	-	1. -
Ejusdem Parietis altitudo	- -	10. -
		41. -

Superſunt itaque ex Aulæi latitudine 3. Cubiti, duo pendentes ex parte Antica, 1. à poſtica. Sic erat tum Tentorium ipſum, tum intimum pretioſius Aulæum ab injuriis externis, inprimis Pluuiæ, munitum. Ita explicari debent v. 12. 13.

Non omittenda Sacrarum menſurarum reductio ad noſtrates

Aulæi Longitudo AB. 30. Cubit.

Menſur. Pariſin.	Tigurin.
49′. 11″. 0‴.	53′. 4″. 0‴.

Latitudo AC. 4. Cubit.

Menſur. Pariſin.	Tigurin.
6. 7. $5\frac{3}{5}$.	7. 1. 2.

Latitudo AF. 24. Cubit.

39. 11. $9\frac{3}{5}$.	42. 7. 2.

Latitudo FL. 20. Cubit.

33. 4. 4.	35. 6. 0.

Latitudo integra AL. 44. Cub.

73. 4. $1\frac{3}{5}$.	78. 3. 2.

De *Pilis Caprarum* é quibus textoria arte, ut quidem *Joſephus* vult *Ant.* L. III. c. 5. fuit confectum hocce Aulæum, ſupra jam actum. Addo iis teſtimonium *Busbequii Turkiſch. Sendſchreib.* p. 122. *Wir ſahen ſolcher Art Geiſſen, von deren Wolle oder Haar derjenige Zeug gemacht wird, welchen man* Schamlot *nennet. Sie haben ein ſehr zartes und wunderglänzendes Haar, ſo bis auf die Erde herab hänget: dieſes ſcheren die Geishirten nicht ab, ſondern kämmen es aus, welches dann an Schönheit der Seide nichts nachgibt.* Et ne quis exiſtimet pannos inde confici ſolitos eſſe vilioris vel nullius pretii, ſubjungit pag. 135. *In dieſem Schamloten Zeug laſſen ſich bey den Türcken nur fürnehme, anſehnliche und alte Leut ſehen, und gebrauchet ſich Solimannus ſelbſt keiner andern Kleidung lieber als dieſer.* Accedit, & huc in ſpecie quadrat, arceri hujusmodi pannis Pluuiæ penetrationem, unde & materiam dedere Tentoriis olim, & nunc quoque dant Palliis. *vid. Glaſſ. Gramm.* S. 157. *Philo lib. de Victim.* p. 646.

TAB. CLXXXVIII.

Tentorium ipſum mox penitius introſpiciendum quatuor Aulæis coopertum & ornatum in *Scenographia* ſiſtit.



EXODI Cap. XXVI. v. 1-13.
Tentorium IV. Aulæis tectum.

II. Büch Moſis Cap. XXVI. v. 1-13.
Hütte mit IV. Teppichen bedecket.

G. D. Heüman sculps.

JCB

RPJCB




EXODI Cap. XXVI. v. 15-36.
Tabernaculum juxta Scacchi.

II. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 15-36.
Hütte nach Scacchi aufgerichtet.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB



EXODI Cap. XXVI. v. 15-36.
Tabernaculum ex Lundio.

II. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 15-36.
Hütte nach Lundio.

G. D. Heuman sc.

TAB. CLXXXIX. CXC.

Exod. Cap. XXVI. verſ. 15-36.

. Facies quoque Aſſeres pro Tabernaculo de Lignis Sitim, *Acaciæ*, quæ ſtent erectæ.	Facies & tabulas ſtantes tabernaculi de Lignis Setim.
i. Longitudo *AB.* erit cubitorum decem, Latitudo *B C.* unius aſſeris cubiti & dimidii, *craſſities unius cubiti CD.*	Quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeant, ac in latitudine ſingulos ac ſemiſſem.
'. Duo denticuli fiant in unoquoque Aſſere inciſi, alter è regione alterius: ſic facias omnibus Aſſeribus Tabernaculi.	In lateribus tabulæ duæ incaſtraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur, atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.
. Et facies Aſſeres pro Tabernaculo, viginti Aſſeres in angulo verſus Meridiem *1. 2. 3. ad 20.*	Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad Auſtrum.
. Et quadraginta baſes argenteas ſub viginti illis aſſeribus *1. 2. 3. ad* 40. duas baſes *ab.* ſub uno aſſere *ABCD.* pro duobus dentibus, & duas baſes pro aſſere altero pro duobus denticulis ejus.	Quibus quadraginta baſes argenteas fundes, ut binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubjiciantur.
). Pro alio latere Tabernaculi, quod eſt ad plagam Aquilonarem *EF.* viginti Aſſeres erunt.	In latere quoque ſecundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt.
. Et quadraginta baſes illorum argenteæ, duæ ſcilicet baſes pro Aſſere uno, & duæ baſes ſub aſſere alio.	Quadraginta habentes baſes argenteas: binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur.
2. In latere vero Occidentali Tabernaculi *BE.* facies ſex Aſſeres, *1. 2. 3. 4. 5. 6.*	Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies ſex tabulas.
3. Facies etiam duos Aſſeres *BC. EH.* in angulis Tabernaculi in duobus lateribus.	Et rurſum alias duas, quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi.
4. Qui gemini erunt infra, ſic gemini erunt in capite ſuo ad annulum unum: ſic erit utrisque ipſis, in duobus angulis *ſolidis* erunt.	Eruntque ſibi conjunctæ à deorſum usque ſurſum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis junctura ſeruabitur.

25. Et erunt octo aſſeres *EH. 1. 2. 3. 4. 5. 6. CB.* & eorum baſes argenteæ, baſes videlicet ſedecim, duæ baſes ſub aſſere uno, & duæ baſes ſub aſſere alio. *1. 2.* 3-*16.*

Et erunt ſimul tabulæ octo, baſ eorum argenteæ ſedecim, duabu baſibus per unam tabulam ſu putatis.

26. Et facies vectes de Lignis Sitim quinque pro aſſeribus Tabernaculi in latere uno. *verſus Meridiem cd. cd.*

Facies & Vectes de Lignis Seti quinque ad continendas tabul in uno latere tabernaculi.

27. Et quinque vectes pro lateribus tabernaculi in latere altero, *verſus Septentrionem*, & quinque Vectes pro Aſſeribus Tabernaculi in latere angulorum Occidentis *ef. ef.*

Et quinque alios in altero, & eju dem numeri ad occidentale plagam.

28. Medius autem Vectis *i. i.* per medium aſſerum (tranſiens) contignet à fine ad finem.

Qui mittentur per medias tabulas ſummo usque ad ſummum.

29. Aſſeres autem obduces auro, & annulos eorum *k. k.* facies aureos, ut ſint receptacula vectium; vectesque ipſos Auro obduces.

Ipſas quoque Tabulas deaurabis, fundes in eis annulos aureos, p quos vectes tabulata contineat quos operies laminis aureis.

30. Et eriges Tabernaculum ipſum juxta ordinem ſuum, qui tibi in monte monſtratus eſt.

Et eriges Tabernaculum juxta E emplar, quod tibi in monte mo ſtratum eſt.

31. Facies & Velum *GK.* ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto & byſſo torta, *inter Sanctum FCGK. & Sanctum Sanctorum GKDH. pendens ex columnis quatuor.*

Facies & velum de hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, byſſo retorta, opere plumari pulchra varietate contextum.

36. Et facies Velum *FC* oſtio Tentorii ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta, opere acupictoris, *pendens ex quinque columnis in introitu ad Sanctum.*

Facies & Tentorium Tabernaculi hyacintho, & purpura, cocc que bis tincto, & byſſo retor opere plumarii.

SUnt *Tabernaculum* atque *Solomoneum Templum* ſtructuræ perfectiſſimi Ordinis ſacræ, ſacris uſibus, & iisdem quidem, deſtinatæ, quarum utraque Authorem habet Architectum ſummum DEVM. Ut vere dici poſſit *Tabernaculum* Templum Ambulatorium, *Templum* Tabernaculum fixum, licet amplius longè & pretioſius illo. Ipſa mobilitas ſtructuræ unius, & fixitas ſiue immobilitas alterius aliam ibi ſuaſit Architecturam, heic aliam. Itineri atque deſerto haud quadrabant prægrandis molis ſaxa quadrata, non Trabes longæ, & parietes cæmentitii ſolidi, non Columnæ Coloſſ æneæ. Deeſſe equidem Tabernaculo ha debebat pretioſitas materiæ, ſed ita elabor Ædificium, ut facile componi & decompo & partes leui opera ab uno loco in ali tranſportari potuerint.

Conſtitit Tentorii hujus ſacri ſtructura bus *parietibus, meridionali, ſeptentrionali, occid tali.* Patuit ab *Ortu*, quia hac patuit intr tus. Tectum ſiue operimentum erant Aul Componebantur parietes tres ex Aſſeribus.

Materia *Aſſerum* & *Parietum* erat Lign *Sitim*, *Schittim*, de quo ſupra jam annota mu

nus, male á nobis & *Luthero* verti per *Pine-um, Fœrrenholtz*, perperam item ab *Hieronymo* & *Vrſino*, *Arboret. Bibl.* c. 7. *Spinam albam*, quæ ὀξυάκανθα eſt, item per *Cedrum*, quæ *Phi-oni* placet, & poſt eum pleriſque Literatis commentatoribus, ſed potius eſſe *Acaciam veram* IB. vel *ſpinam Arabicam.* Quod lignum creuit in ipſo deſerto *Schittim*, & inde nomen traxiſſe videtur. Ita haud ſane opus erit ſtatuere cum *Riueto*, & R. *Salomone* apud *Lyranum* in *Exod.* euexiſſe Iſraelitas Lignum hocce ſecum Ægypto, neque cum *Buxtorffio*, caſtris illatum forte fuiſſe à populis vicinis ad oemendum.

Structuram Tabernaculi ita concipe, & cum Icenographia Tab. CLXXXV. confer. Erecti ſtabant Aſſeres, tanquam columnæ priſmaticæ, baſibus argenteis ſuffulti, binis ſub unoquoque Aſſere: ſed ad firmitatem ſtructuræ faciebant plurimum denticuli ſub unoquoque Aſſere bini, quibus mediantibus infigebantur uis baſibus. Erant proin pro 48. Aſſeribus 96. Baſes argenteæ, itemque Denticuli 96. Et ex Exod. XXVIII. 27. videre eſt, pro ſingulis baſibus adhibitum fuiſſe Argenti Talentum, ut Talenta hæc 96. pretio & magnificentiæ ſtructuræ multum contulerint: conficiunt nempe ad pondus Pariſinum redacta 8375. Libras, in valore Monetæ Germanicæ 228000. Siclos ſiue 216000. florenos. Sed plus adhuc Aurum, quo Aſſeres ipſi, per conſequens totum Ædificium fuit obductum. De laminarum autem, quæ ſtructuram obtexerunt, craſſitie nil in ſacris extat, de pondere proin nil præciſum ſtatui poteſt.

Horum Aſſerum ſtabant 20. baſibus 40. ſuffulti verſus Meridiem, totidem verſus Septentrionem. Conſtituebant binæ hæ facies longitudinem Ædificii. Verſus occaſum autem erecti ſtabant aſſeres 8. baſibus 16. innixi. Aſſeres ſinguli cubitos 10. erant alti, 1½. lati. De craſſitie nil meminit Moſes. *Joſepho Antiq.* L. III. c. 5. placent 4. Digiti. R. *Salomoni*, *Bonfrerio*, & *Lundio Jüdiſch. Heiligth.* L. I. cubitus. Et ſane idem innuere videntur LXX. ςύλων *columnarum*, apto vocabulo, quo Aſſeres exprimunt. Fuerunt itaque non tam Aſſeres, quam Trabes, nos diceremus *Aufrech-e Rigel.* Craſſitiem hanc cubitalem demonſtrat porro *Lundius* ex totius Ædificii proportione, major certé prodit firmitas, melior angularium cum aliis connexio: & erit interna ſtructuræ longitudo præciſe 30. latitudo 10. cubitorum, quæ ipſa fuit templi proportio 60. cubitos longi, 20. lati. Hinc etiam colligere licet, cur DEVS parietem occidentalem adeò ſollicité v. 22. diſtinxerit in Aſſeres 6. & 2. angulares; intus namque non videri poterant niſi 6. & de angularibus duntaxat ⅓. In eodem pariete juxta v. 24. angulares Aſſeres connectebantur proximis quibuſcunque per annulos vel fibulas ſuperne, & ſic haud dubie reliquorum aſſerum ſinguli cum ſingulis.

Altitudo Ædificii ſiue Aſſerum 10. Cubitorum dat in menſuris

Pariſinis	Tigurinis
16.′ 6.″ 8.‴	17.′ 8.″ 0.‴
Latitudo.	
2. 5. 9.	2. 6. 7.
Craſſities ex Præſuppoſitis.	
1. 7. 10⅖.	1. 7. 8.

Non ſtat firmum Ædificium quoduis, niſi ſint partes ejus ſingulæ probé compaginatæ. Obſeruata fuit & heic Regula fundamentalis hæc Architecturæ. Non duntaxat ſuperne fibulis connecti debebant parietes tres Tabernaculi, ſed & in lateribus. Hunc in finem annuli aurei ſingulis aſſeribus infigebantur, per quos ſeriatim in eadem linea poſitos transmitti poterant, *Vectes* cylindrici (בריחים nos vertimus *Rigel*, melius quadrat vox *Stangen*) facti ex ligno Schittim, & laminis aureis obducti. Et videtur quidem *Lundio* veroſimile, habuiſſe ſingulos Aſſeres 5. Annulos in eadem ab inuicem diſtantia, fuiſſe proin 5. Annulorum ſeries, & per ſingulas earum Vectem transmiſſum, proin 5. Vectes, unum ſupra alium. Ubi equidem obſeruare eſt, non fuiſſe hos Vectes 30. cubitorum in continua longitudiue, ſed conſtitiſſe ex partibus inuicem artificioſe inſertis, vel per cochleam finalem junctis. Et placet quidem *Joſepho*, vectes hosce breuiores, ſeu partiales, fuiſſe 5. Cubitorum, ut 6. compoſuerint unicum longiorem 30. Cubitorum, nempe in parietibus meridionali & Septentrionali, & 2. in Occidentali. Ita opus erat 15. longioribus & 70. breuioribus Vectibus, & intelligendus eſt v. 26. *facies Vectes de Lignis Sitim, quinque pro aſſeribus Tabernaculi in latere uno*, de longioribus illis ex breuioribus conjunctis. Fuit præterea præter Vectes hactenus memoratos alius inſuper, qui transibat per medios & ſolidos aſſeres, nec ab intra viſibilis, neque ab extra, ſed occultus prorſus, quo mediante ita connectebantur firmiter omnes Aſſeres, ut muri ad inſtar ſolidiſſimi ſteterint, nulla parte mobiles. Memoratur hic v. 28. *Medius autem Vectis per medium Aſſerum* (tranſiens) *contignet a fine ad finem.* Et argumento eſt vel hic ſolus vectis, non fuiſſe aſſeres duntaxat craſſos 4. digitos, ſed cubitales potius. Qui ipſe occultus vectis componebatur, ut priores, ex partibus ſeu vectibus breuioribus.

TAB. CXCI. ad CXCVII.

Exod. Cap. XXVII. verſ. 1 – 8.

1. Facies & Aram ex Lignis Sitim quinque Cubitorum in longitudine *AB.* & quinque Cubitorum in latitudine *CD.* quadrata fiat Ara, altitudo ejus erit trium Cubitorum *AC.*

Facies & altare de Lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in londitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos in altitudine.

2. Et facies ei Cornua *EEEE.* in quatuor angulis ejus ex ipſa, & obduces eam Ære.

Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt: & operies illud ære.

3. Facies quoque ollas ejus ad cineres (excipiendos) *F.* & ſcopas ejus, pelues ejus ſparſorios *G.* Fuſcinulas ejus *H.* Ignis receptacula *I.* atque cuncta vaſa ejus ex Ære facies.

Faciesque in uſus ejus lebetes ad excipiendos cineres, & forcipes atque fuſcinulas & ignium receptacula, omnia vaſa ex ære fabricabis.

4. Facies quoque illi cancellulos æreos opere reticulato *KLMN.* & ad rete illud facies quatuor annulos æreos *O.* in quatuor extremitatibus ejus.

Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei.

5. Ponesque ipſum (reticulatum opus) ſub ambitum Aræ *PQ.* ut ſit rete hoc infernè usque ad medium Aræ.

Quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.

6. Facies & Vectes Aræ *RS.* Vectes (de Lignis) Sitim, quos ære obduces.

Facies & vectes altaris de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis.

7. Et inſerentur Vectes ejus in annulos, eruntque Vectes in duobus lateribus aræ ad geſtandam eam.

Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.

8. Facies autem Aram ex Tabulis, ut ſit (intus) inanis aut caua; quemadmodum oſtendi tibi in monte, ſic facient.

Non ſolidum, ſed inane & cauum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.

ET heic Architecto opus eſt, & Figuris; illo ad dignum operi conceptum, & explicationem ſtructuræ adæquatam; his ne Lectores falſa ſibi forment præjudicia, & iis, quæ forte jam formarunt, ſe liberent. Quid quod DEVS ipſe *oſtendit Moſi in Monte* Exemplar eorum, quæ *facienda* erant. v. 8. Nec miror, à tam paucis intelligi hos de Tentorio Tabernaculi, Ara, Templo, tum Solomonis, tum Eze-



EXODI Cap. XXVII. v. 1-8.
ra Holocauſti ſecundum Lundium.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 1-8.
Brand-Opfers Altar aus Lundio.

M. Tyroff sculp.

JCB




Exodi Cap. XXVII. v. 1-8.
Aræ Templi II. Ichnographia.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 1-8.
Grundriß des Altars im 2. Tempel.

G. D. Heüman sculp

RPJCB

TAB. CXCIII.




EXODI Cap. XXVII. v. 1-8.
Ara Templi II. constructa.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 1-8.
Geſtalt des Altars im 2. Tempel.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



Exodi Cap. XXVII. v. 1. 8.
Aræ II. Proſpectus alius.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 1. 8.
Eine andere Vorſtellung des 2. Altars.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB



EXODI Cap. XXVII. v. 1-8.
Ara Witſii.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 1-8.
Witſens Brand-Opfers Altar.

M. Tyroff sculp.

RPJCB




Ad illustrat. Exodi Cap. XXVII. v. 1-8.
Ara pacis Romana.

Zur Erläuterung II. B. Moſ. C. XXVII. v. 1-8.
Römiſcher Friedens-Altar.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

TAB. CXCVII



EXODI Cap. XXVII. v. 4.
Ara cum crate.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 4.
Altar mit dem Netz-Trichter.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

:zechielis, Textus, qui nunquam de Cathe-lra populo, raro quoque in Scholis, etiam il-uſtribus, explicari ſolent.

Cluet, de qua nunc, Ara, *Holocauſti Ara* :xod. XXXVIII. 1. quia Holocauſta victima-um fuere excellentiſſima: ſtabat illa ſub dio, nte Tentorium Tabernaculi ad ortum. In-ra Tentorium ipſum locus concedi haud po-erat, tum propter anguſtiam ſpatii, tum pro-ter puritatem ſummam, quæ ibi obſeruari lebebat; tum denique propter Aulæa, ne da-nnum paterentur ab accenſo Igne. Sic ad-niniſtrabantur Sacrificia, non, ut apud Gen-iles in obſcuro, in Templis, Lucisque caligi-ie horridis, ſed palam, ſub dio, in oculis to-ius populi: quemadmodum & victima dulciſſi-ni Seruatoris antitypa expoſita fuit publi-é.

Conſtructa fuit hæc Ara ex Lignis *Sitim*, de uibus ſupra, fuiſſe *Acacina* potius, quam *Pinea*. Sed ex mero Ligno conſtare non po-erat: breui namque fuiſſet exuſta: quadraſ-t melius ſolida æris maſſa, ſed incommoda iiſſet hæc, quia ſtructura fuit ambulatoria, b ingens pondus: addo quod calorem, eum-ue intenſum, retinuiſſet diu nimis, & ſem-er, ut tangi non poſſet. Id equidem facile ſt conjectare, penetraſſe calorem per laminas :ris, quibus ara fuit obducta, & Lignum nutaſſe in carbonem. Et concipi nequit, du-iſſe immutatum, qualecunque fuerit hoc li-num ad fabricam usque Templi Solomonæi: efectam autem non legimus Aram; omni illo atio ſtetiſſe ad Solomonis usque Templum onſtat ex 2. Chron. I. 5. 6. *Altare quoque neum, quod fecerat Bezaleel filius Uri, filii Iur, erat ibi coram Tabernaculo DOMINI, uod quæſivit Solomon & cœtus.*

Defendi ſane debebat, & probé, Ara lig-ea à voracis Elementi actione, ut non diſpli-eat *Junii* atque *Tremellii* opinio, qui volunt on extus duntaxat obtectam fuiſſe laminis :reis; ſed & intus, ut non incurreret in ocu-os lignei quidpiam, quemadmodum & Ara iffimenti Auro obducta fuit tota quanta. In-enit equidem conſumtioni remedium *Cleri-us* in Ligno *Larigno*, præjudiciis de hujus in-ammabilitate captus. *Clericum* præcedit *eyherus Math. Moſ.* p. 495. Allegant hi, ut uictam Igni naturam Ligni memorati pro-ent, teſtimonium *Vitruuii Architect.* L. II. uod ita ſe habet: *Diuus Cæſar cum Exerci-um habuiſſet circa Alpes, imperauiſſetque manci-iis præſtare commeatus, ibique eſſet Caſtellum unitum, quod vocabatur* Larignum, *tunc qui in eo fuerant naturali munitione confiſi noluerunt imperio parere. Itaque Imperator copias juſſit admoueri. Erat autem ante ejus Caſtelli portam Turris ex hac materia alternis Trabibus trans-uerſis* (uti pyra) *inter ſe compoſita alté, ut poſ-ſet de ſummo ſudibus & lapidibus accedentes re-pellere. Tunc vero, quum animaduerſum eſt, alia eos tela præter ſudes non habere, neque poſſe lon-gius à muro propter pondus jaculari, imperatum eſt faſciculos ex virgis alligatos & faces arden-tes ad eam munitionem accedentes mittere. Ita-que celeriter milites congeſſerunt. Poſtquam flamma circa illam materiam virgas comprehen-diſſet, ad cœlum ſublata effecit opinionem, uti vi-deretur jam tota moles concidiſſe. Cum autem ea per ſe extincta eſſet, & requieta, turrisque inta-cta apparuiſſet, admirans Cæſar juſſit extra telo-rum miſſionem eos circumuallari. Itaque timore coacti oppidani cum ſe dediſſent, quæſitum, unde ea eſſent ligna, quæ ab Igni non læderentur, tunc ei demonſtrarunt, eas Arbores, quarum in his locis maximæ ſunt copiæ, & ideo id Caſtellum* Larignum, *item* materies Larigna *eſt appellata.* Sciſcitabatur abs me Ill. & χαριέστατος *Gisbertus Cuperus* Lit. Kal. April. 1708. ad me datis ve-ritatem hujus rei vel falſitatem. Et memini, me in Reſponſoriis inuitaſſe eruditiſſimum *Clericum* ad profectionem in Valleſiam, ubi vix alia ligna in uſus foci & Architecturæ ad-hibentur, quam Larigna, non tamen minus ardent, quam alia, paſſim quoque in Carbo-nes conuertuntur pro officinis Ferrariis. Et inter alia hæc reſpondi: Dico ego, experien-tia fretus, ardere, Carbones dare, & eodem quidem cum lignis reſiniferis tempore, quod & expertus ſum in cylindro ferreo variis cy-lindris ligneis referto, Ignique commiſſo. Πρῶτον *Plinii* ψεῦδος latere puto in majori du-rabilitate Ligni Larigni. *Gulerus Ræt.* p. 25. hanc Larici tribuit laudem, quod Lignum ejus dedolatum, læuigatum, & in fumo ſic-catum non facile ignem capiat, unde eo tegi dici culinas & caminos absque incendii peri-culo. Hoc ſi verum, aliquam forte Ligni in-combuſtibilitati lucem accendit: Sed & heic ſubeſſe puto fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Lignum hocce breui in fumo denigratur à fuliginoſis particulis ejus ſubſtantiæ reſinoſæ adhærentibus, quæ poſtea ipſis partibus igneis aditum ad fibras alias denſas, licet in-flammabiles, diſputant. Omne quoque li-gnum dolabra læuigatum difficilius accenditur aſpero. Ætiologiam illuſtrat Globus plum-beus charta probé læuigata clauſus, qui ci-tius liqueſcit, quam hæc accenditur, aut cor-rumpitur.

Kkk Fuit

Fuit Ara 5. cubitos longa lataque, 3. alta. Dant. 5. reductione facta

Pariſinæ menſuræ.			Tigurinis		
8.′	3.″	4.‴	8.′	9.″	0.‴

3. Cubiti

4.	11.	$7\frac{1}{5}$.	5.	3.	$3\frac{49}{67}$.

Capacitas Aræ Stereometrica 75. Cubitorum Cubicorum

305.′	1039.″	$1420\frac{4}{5}$.‴	417.	.050.	850. pene 851.

Suppoſito nempe cubitum Hebraicum cubicum eſſe.

4.′	929.″	$111\frac{13}{125}$.‴	5.′	560.″	$678\frac{5686}{300763}$.‴

Omnia ſaluo errore calculi. Sed notandum non ſpectare hunc calculum, niſi Parallelepipedum illud ſeu Aram ſupremam, é qua cornua prodeunt. Ita explicare ſolent Judæi. Hoc licet poſito, vero tamen haud eſt ſimile, Altare hoc Moſaicum integrum una cum baſi ejusdem fuiſſe altitudinis cum Solomoneo, ſiue 10. cubitorum, quia tranſportationi portatile ab uno loco in alium minus fuiſſet idoneum. *Lundius* 7. ad ſummum ponit cubitos, nempe

	Cub.
pro Ara ſuprema ſeu proprie ita dicta - - -	3.
Baſi, cui illa inædificata -	$3\frac{1}{2}$.
Baſi ima - - -	$\frac{1}{2}$.

Exhibet *Witſius* duntaxat Parallelepipedum ſupremum Tab. CXCV.

Ex Ara proprie ita dicta, nempe ex 4. ejus angulis, prominebant *cornua* quatuor, ita quidem, ut ejusdem fuerint cum Corpore ipſius Aræ continuitatis: ita intelligi debent verba v. 2. *ſint Cornua ejus ex ipſa.* Sunt qui per Cornua intelligunt duntaxat 4. Angulos Aræ, ut *Arias Montanus*, *Torniellus* apud *Bonfrerium* in Exod. XXVII. 2. Sed unanimis eſt Hebræorum Sententia, fuiſſe & hæc Cornua parallelepipeda, ſiue Priſmata quadrangula, ex angulis prominula, intus caua, ut ſanguis potuerit iis infundi, æreis quoque laminis obtecta. An Sacrificia his Cornubus fuerint alligata, aliis dijudicandum linquo. Qui affirmatiuam volunt, allegant Pſal. CXVIII. 27. *Victimam alligate funibus ad Cornua Altaris.* Quæ verba alii aliter explicant. Et ſane ſi vel 7. fuit cubitorum Altare, alligari victimæ non poterant. *Witſio* placet figura cornuum Arietinæ ſimilis. Id certum, habuiſſe & Gentilium Aras Cornua in 4. Angulis, quod conſtat vel ex Conſecrationum Numis, aliisque Monumentis. vid. *Spencer* de *Leg. Moſ. Diſſ.* I. c. 4.

De Cancellulis æreis opere reticulato v. 4. n
eadem eſt omnibus ſententia. Sunt, qui o
hoc reticulatum locant in ipſa Aræ ſupre
horizontali ſuperficie, ubi, ceu foco, acc
ſus Ignis, combuſtæ victimæ, delapſis per
ramina retis cineribus: & aliqui quidem
lunt, fuiſſe veluti parietem intergerinum ip
aræ per mediam horizontaliter ductum,
illa fuerit in binas partes diuiſa, ſuperior
& inferiorem, uti *Munſterus*, *Junius*, *Ire*
lius, *Friedlieb*, *Leusden. Philol. Ebr. M*
Diſſ. 38. Alii locant ſupernè inter quat
Cornua in media Ara, excluſo margine c
tali, ut *Herbert. magnal. ad Exod.* XXVII
35. *Scacchi Sacror. Elæochriſm. Myroth*
c. 71. *Bonfrere ad Exod.* XX. 24. & XX
4. *Arias Montanus*, *Torniellus*, *Villalpan*
Joſephus Antiq. L. III. c. 7. *Scaccho* ſi fi
lib. cit. c. 65. & 72. in medio Altaris fuit
tunda crates, infundibuliformis, quatuor
nulis in ſuperiore ſuperficie ſuſtentata, q
Tab. CXCVII. exhibet Fig. O. Hanc crat
lam collocat in arula, quam Aræ ipſi ſiue
tari imponit, & quam Fig. P. cornubus a
nis, qualia ſunt ipſa Jouis Ammonis, in
ctam. *Lundius* vero, cujus exhibemus m
tem Tab. CXCI. opus hoc perpendicula
erectum ponit ſub ambitum כַּרְכּוֹב *Aræ*,
ambitus Sacerdotibus erat ambulacri loco.
focus aræ fuiſſet integer, non perforatus
colligi ſiue conuerri debebant cineres in
mulum, collecti autem intra cancellatum o
recondi, fueritque inferius Parallelepipe
intus cauum, ita tamen ut fundum habueri
ſuperius Tabulatum. Qua cauitate recondi d
bant, promotis caſtris, Inſtrumenta ſacris u
deſtinata, & aſſeruari ipſe Ignis. Sic Lux acc
loco Num. IV. 14. *Ponant ſuper eam omnia*
ſa ejus, quibus miniſtrant in ea, nempe Ignis rece
cula & fuſcinulas, & ſcopas, & pelues ſp
rias, omnia denique Aræ Inſtrumenta. Nec
vitate carebat ipſa Ara ſuprema, quod c
gere eſt ex Exod. XXVII. 8. *Facies a*
a

am ex tabulis, ut ſit (intus) inanis aut caua. d id igitur inprimis ſeruiebat opus reticulaım hocce, ut Aeri pro ignis ſuſtentatione ıteret aditus. Et conjicere licet, Igne ita auſo operimentis Aræ, quibus nempe obte- i debebat, non ullum potuiſſe inferri damum. Omnia hæc autem intelligenda ſunt de ra Tabernaculi Moſaici, nam Altaris Temli Salomonei alia longè fuit ratio. Nec ſine ıtione conjectat *Lundius*, ſeparari facile poıiſſe Parallelepipeda tum ſuperius Aræ ab ıferiori ampliori, tum hoc à baſi, ut tum va- ı, tum Ignis potuerint recondi, niſi clathraım illud opus valuarum ad inſtar apertum elis, ſed in Caſtrorum promotione recompotas omnes partes, ut integra Ara á Leuitis eſtari potuerit. Ita Lux accenditur v. 5. *it rete hoc inferne usque ad medium Aræ*, meium nempe totius ex omnibus ſuis partibus ompoſitæ Aræ, ut diſtantia fuerit ab area Aræ ıprema ſeu foco cubitorum $3\frac{1}{2}$. & ab ima ba- ı, ſeu ſolo, cui inſiſtebat etiam $3\frac{1}{2}$.

Colligere licet ex hactenus dictis, *Altari* uiſſe 5. partes eſſentiales; 1. *Baſin*, quæ onſtitit vel ex Ære, vel ex Ligno Sitim æreis aminis obducto, & ad quam Sanguis à Sarificio reliquus fuerat effuſus. 2. *Parallelepipedum* inferius, in quo fuit opus reticulatum uxta *Lundium*. 3. *Ambitum* ſupra hoc opus, ubitum circiter latum. 4. *Parallelepipedum* uperius, ſiue Altare κατ' ἐξοχὴν ita dictum. ;. Cliuum, qui Scalæ loco inſeruiebat Sacerlotibus. De hoc Exod. XX. 26. *Ne per radus ad Aram meam aſcendas, ne verenda ua juxta eam retegantur.* Unde inferre licet ıſcendendum fuiſſe non per ſcalas proprié ita lictas, ſed per Planum inclinatum. Et aſcenliſſe Sacerdotes patet ex Leuit. IX. 22. *Et leuans Aharon manum ſuam ſuper populum, fauſta eſt ei imprecatus, tum deſcendit* (ab ara) *ubi fecerat hoſtiam pro peccato, & holocauſtum, atque gratulatoria.*

Debebant Iſraelitæ Aræ ſupremæ, ſeu proprie ita dictæ, quorſum venerant cunque cauitatem internam implere Terrâ. Spectat huc DEI mandatum Exod. XX. 24. *Aram de Terra mihi extrues, & ſuper eam ſacrificabis holocauſta tua, & ſalutares tuas hoſtias, oues tuas, & boues tuos.* Qui ſane infarctus Ignis ad interiora penetrantis vim haud repulit parum. Ita altare terreum conciliari debet cum ligneo.

V. 6. memorantur *Vectes Aræ facti ex Ligno Sitim* & *Ære obducti.* Inſeruiebant hi portandæ omni ſtructuræ, quemadmodum & vectes habuit Arca Fœderis. Hunc in finem Parallelepipedo inferiori ad reticulatum opus infixi annuli ex Ære ſolido bini in quouis latere, per quos tranſire debebant Vectes. Horum mentio fit quoque Num. IV. 14.

Expoſita hactenus ad oculum contemplari licet in Figuris adjectis, *Aræ* nempe *Moſaicæ*, quæ in noſtro deſcribitur Textu, & quæ maximam habet cum illa affinitatem *Aræ Templi ſecundi*, de qua eruditiſſimum ſcripſit Commentarium amiciſſimus olim mihi, νῦν ἐν ἁγίοις Cel. *Joh. Jacob. Cramerus* S. Th. D. Longum autem nimis foret, ſi vellem ſtructuram hanc fuſius explicare, & forte ſuperfluum, quum ex prædeſcripta Ara Moſaica facilis ſit intellectu; Erit, quod ſpero, Lector beneuolus contentus ſimplici partium enumeratione, prouti hæ tum in Ichnographia, tum in Scenographia Literis adjectis reſpondent Tabb. CXCII. CXCIII. CXCIV.

a. Fundamentum longum & latum cubitos	- - 32.	altum	1.
E e. c. Cingulum	- - 30.	-	5.
H h. Locus Foci	- - 28.	-	3.
g. Cornua	- - 1.	-	1.

h. Locus Cornuum.
i. Sacerdotum ambulacrum.
cc. Fundamentum prominens ultra cingulum ad Cornua Euroboreale & Auſtroccidentale.
d. Foramina in angulo Noto-Zephyrino ſanguinem excipientia.
f. Filum ſericeum rubrum, quo cingulum fuit circumdatum.
k. Singula duo argentea infundibuliformia ad angulum Notozephyrinum ſanguinem excipientia.
l. Pomum ſeu cumulus Cinerum.
m. n. o. Locus Pyræ.
m. m. Strues Lignorum magna.
n. o. Strues minores.
p. Cliuus, per quem Sacerdotes aſcendebant.
r. Pons ad fundamentum ducens.
q. Pons ad cingulum ducens.

Coronidis loco memoro *Aræ Figuram quadratam*, & in angulis cornutam. Hanc obſeruarunt & Gentiles. Ita *Lilius Gyraldus Syntagm.* 17. ex *Strabone*: *Arabum*, inquit, *Aras ad normam quadratas fuiſſe accepimus.* Ara *Dianæ* apud *Pauſaniam*. L. V. pag. 316. Βωμὸς τετράγωνος ἀνήκων ἠρέμα εἰς ὕψος *quadrangula forma ſenſim aſcendens in faſtigium. Herodotus* de unico *Martis Templo* apud *Scythas*: *Sarmentorum faſces aggerantur trium in longum latumque Stadiorum, minoris tamen ſublimitatis: deſuper quadrata planities efficitur.* Conſentiunt Numi veteres, *Criſpinæ* CXCVI. Fig. A. *Tiberii* B. *Neronis* C. *Gallieni* & alios inprimis Conſecrationum Numos prætereo, qui aras habent non duntaxat quadratas, ut fuit *Ara Pacis*, quam ſiſtit Fig. D. ex *Choul Rel. Rom.* p. 272. ſed & cornutas. Ita Scriptura Sacra Idololatrarum Aris Cornua adſcribit Jerem. XVII. 1. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo, ungueque adamantino exaratum in tabula cordis veſtri, & in cornibus Ararum veſtrarum.* Amos. III. 14. *Viſitabo quoque Altaria Bethel,*

thel, *&* *diruentur Cornua altaris*, *cadentque in terram.* *Nonnus Agaues* ſacrificium deſcribens L. XXIV. n. 96. ita:

— — — ἐυκεράῳ παρὰ βωμῷ

Θῆλυν ὄιν κερόεντι συνέμπυρον ἄρσενι ταύρῳ.

— — — Bene cornutum apud Altare
Fœminam ouem cornuto Comitem maſcu
tauro ſc. mactauit.

Quid quod Diis ipſis affinxere Cornua Ge tiles. *Bacchum* offendimus δικέρατα i. e. Eruc torum judicio, *Moſen.* Jouem Jouisque fili habemus cornutos; imo *Ammonis Cornua* p totam terram diſperſa, quorum variantes ſp cies videſis inter Diluuii reliquias Tab. L LIX.

TAB. CXCVIII. CXCIX.

Exod. Cap. XXVII. verſ. 9 — 19.

9. Et facies Atrium *ABCD.* Tabernaculi *EFGH.* in angulo meridionali *AC.* Tapetes ipſi Atrio ex torta Byſſo, longitudine centum Cubitorum pro uno latere.

10. Columnæ ejus erunt viginti *1. 2. 3 - 20.* & baſes earum æneæ, viginti uncini autem columnarum & cincturæ earum argenteæ.

11. Sic quoque verſus angulum ſeptentrionalem *BD.*, ſecundum longitudinem habebunt Tapetes centum cubitorum longitudinem, & columnæ illius viginti *21. 22. &c. - 40.* & baſes earum æneæ viginti, uncini autem columnarum & cincturæ earum argenteæ.

12. Porro latitudo Atrii ad angulum occidentalem *AB.* (habebit) Tapetes quinquaginta Cubitorum, & columnæ earum erunt decem *41. 42. - 51.* & baſes earum decem.

13. Latitudo vero Atrii ad orientalem Plagam *CD.* (habebit) quinquaginta cubitos.

14. Quindecim Cubitorum Tapetes ad latus *CI.* & columnæ earum tres *20. 49. 50.* & baſes earum tres.

15. In altero latere *DK.* erunt Tapetes quindecim, & columnæ earum tres *40. 51. 52.* & baſes earum tres.

Facies & Atrium Templi, in cuj Auſtrali plaga contra Meridie erunt tentoria de byſſo retort centum cubitos unum latus t nebit in longitudine.

Et columnas viginti cum baſibus t tidem æneis, quæ capita cu cælaturis ſuis habebunt arge tea.

Similiter & in latere Aquilonis, p longum erunt tentoria centu cubitorum, columnæ viginti baſes æneæ ejusdem numeri, capita earum cum cælaturis ſ argentea.


In latitudine vero atrii, quod reſ cit ad occidentem erunt tento per quinquaginta cubitos, & c lumnæ decem, baſesque to dem.

In ea quoque atrii latitudine, qu reſpicit ad Orientem, quinqu ginta cubiti erunt.

In quibus quindecim cubitorum te toria lateri uno deputabuntu columnæque tres, & baſes to dem.

Et in latere altero erunt tentoria c bitos obtinentia quindecim, c lumnæ tres & baſes totidem.

16.




Exodi Cap.XXVII.v.9-19.
Atrii et Tabern. Ichnographia.

II. Buch Moſis Cap.XXVII.v.9-19.
Vorhof und Hütte im Grundriß.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

TAB. CXCIX.



EXODI Cap. XXVII. v. 9-19.
Atrii et Tabern. Scenographia.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 9-19.
Vorhof und Hütte im Perspectiv.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

16. In Porta Atrii *IK*. erit velum viginti cubitorum ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto & byſſo torta, opere acupictorio, columnæ earum quatuor 52. 53. 54. 55. & baſes earum quatuor.	In introitu vero Atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto & byſſo retorta, opere plumarii, columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem.
17. Omnes Columnæ Atrii circumquaque cincturas habebunt argenteas, uncini earum erunt argentei, & baſes earum æneæ.	Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis & baſibus æneis.
18. Longitudo Atrii centum Cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta *AC. BD.* altitudo vero quinque Cubitorum, ex byſſo torta, & baſes earum æneæ.	In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de byſſo retorta, & habebit baſes æneas.

INuenit hic, quo ſé exerceat Geometra, Architectus, Opticus, Phyſicus, Sacrarum Antiquitatum Indagator. Fuit Atrium חָצֵר area ſubdialis, columnis atque Aulæis cincta undique & clauſa. LXX. αὐλὴ, alias προπύλαιον, cui reſpondet Germanicum noſtrum *Vorhof.* Obſervandum heic, *Ægyptiis* easdem prope fuiſſe *Templi partes*, quas habuere Iſraelitæ, unde ſuſpicio naſcitur *Clerico* indulſiſſe DEVM populo ſuo, & talem prope præſcripſiſſe cultum, quem viderant in Ægypto. Audiamus *Clementem Alexandrinum Pædag.* L. III. c. 2. ὅις ναοὶ καὶ προπύλαια &c. *Apud quos, Ægyptios, Templa & Propylæa, & veſtibula exornata ſunt, & Luci, & nemora ſacra, columnis vero plurimis cincta ſunt Atria: parietes autem lapillis externis, & artificioſa pictura ſplendent, ita ut nihil in iis deſideres, Auro etiam, Argento & Electro fulgent Templa.* Τὰ δὲ ἄδυτα χρυσοπάστοις ἐπισκιάζεται πέπλοις, *Adyta intextis Auro obumbrantur peplis.* Appoſite quidem ad rem præſentem. Fuere namque Templorum Ægyptiorum partes tres palmariæ, προπύλαια, *Veſtibula, Atria*, πρόναος, quaſi dicas, Pro-Templum, introitus ad interiora, & ναὸς vel σηκὸς *Templum* ipſum ſacerrimo loco ἄδυτον, Aulæo ſeparatum: hiscum comparare licet Tabernaculi noſtri *Atrium, Sanctum* & *Sanctum Sanctorum.* Extat inſignis locus apud *Strabonem* L. XVII. p. 554. Edit. Genev. μετὰ δὲ προπύλαια ὁ ναός &c. *Poſt Veſtibula autem eſt Templum habens magnum Pronaum* πρόναον, Atrium, *& conſideratu dignum penetrale vero conueniens magnitudine, nullum autem ſimulacrum, aut ſaltem nequaquam humana forma, ſed cujuspiam Animalis ratione deſtituti.* Unde patet infimul inſigne inter Templa Ægyptiorum & Iſraelitarum diſcrimen, quandoquidem illi in Adyto habuerint. Idolum ζωόμορφον, hi alias longe res. Alia, quæ alios propius tangunt, ſilentio prætereo.

Fuit *Atrium*, de quo in præſentiarum, 100. Cubitos longum, 50. latum, Reductione facta inuenies Longitudinem in

Menſur. Pariſin.			Tigurin.		
166.′	6.″	8.‴	178.′	0.″	0.‴
Latitudinem.					
83.	3.	4.	89.	0.	0.
Porta Atrii 20. Cubitorum.					
33.	4.	4.	35.	6.	0.

Fuit & Aulæum in meridionali æque ac Septentrionali longitudine 100. cubitorum, ſuſpenſum é 20. Columnis æque diſtantibus, axis nempe ab axi 5. Cubitis. Erant ſic bini hi parietes clauſi prorſus, ut nemini pateret introitus. Clauſum quoque erat Aulæum Occidentale 50. Cubitos longum, è 10. Columnis ſuſpenſum, 8. nempe mediis, & 2. angularibus, quæ angulares non minus pertinent ad has 10. quam ad illas 20. Situm hunc vult Eurythmia Architectonica. Sic quoque rem explicat *Philo Vit. Moſ.* L. III. fuiſſe in totum Columnas 60. nempe 40. in utraque longitudine, & 8. in ſingulis latitudinibus. Dat autem ſumma ex 40. & 16. duntaxat 56. Unde conſtat, bis numeraſſe *Philonem* angulares. Ad ortum, qua patebat introitus, diuiſum fuit Aulæum. Pars tum meridionalis, tum ſeptentrionalis fuit cubitorum 15. è 3. Columnis ſuſpenſa, ut media inter hæc Aulæa remanſerit ſpatium 20. Cubitorum, Portæ loco ornatum Aulæo illo pretioſo, de quo v. 16.

 ubi

ubi Cherubinorum nulla fit mentio. Per hoc ſpatium, Aulæo vel in ſublime tracto, vel ad latus ſemoto, patebat ad atrium ipſum aditus, & omni populo portæ adſtanti ad cultum ipſum proſpectus. Exinde conſtat, non eundem ratione diſtantiæ mutuæ obſeruatum fuiſſe ordinem in columnis lateris orientalis, ac quidem in tribus reliquis lateribus, ſed duas extremas aulæi medii adſtitiſſe quam proximè tertiæ ex tribus illis: Ita quoque rem concipit *Joſephus Antiq.* L. III. c. 5. ſed clarius ipſa, quam damus tum Ichnographia, tum Scenographia exprimit.

Fuit Materia Aulæorum קְלָעִים ex שֵׁשׁ nempe vel pretioſiſſimo Lino, vel Byſſo ex Pinnis: voluntque Judæi facta fuiſſe in forma Retis, ut per filorum interualla potuerit omnis populus introſpicere, & quæ in Atrio agebantur videre. Sed placent *Clerico* magis Aulæa denſa, auertendo pulveri Arabiæ Deſertæ aptiora, qui Sacerdotibus ſacra peragentibus fuiſſet impedimento. Sic Aulæa vicem præbuiſſent murorum, quos Ægyptii habebant circa Templorum Atria, quibusue Chriſtiani cingunt Cœmiteria.

Columnarum per totum circuitum altitudo erat 5. Cubitorum in

Mens. Pariſin.	Tigurin.
8′. 3″. 4‴	8′. 9″. 0‴

v. 18. per Conſequens & Aulæorum; duplo proin minor Tentorio Tabernaculi, quod 10. fuit Cubitorum in altitudine, ut omnis populus ab extra diſtinctè videre potuerit medium Tabernaculum.

Non quidem exprimitur *Columnarum*, quæ ſteterant in circuitu *atrii*, materia, facile tamen ſubſumere licet, fuiſſe *Lignum* ſæpius jam memoratum *Schittim*: ponderoſas nimis reddidiſſet Æs, de quo collecta in uniuerſum 70. Talenta, 2400. Sicli Exod. XXXVIII. 29. ſiue 6637. Libræ impenſa 5. baſibus, 5. Columnarum ad introitum ſancti, baſibus 56. totidem Columnarum in Atrii ambitu, Aræ porro Holocauſtorum & omnibus Vaſis.

Et conſtat ex deſcriptione, quam nobis reliquit Moſes ſpeciatim v. 17. *Omnes Atrii Columnas circumquaque cincturas habuiſſe argenteas, Capitella* item memorata Exod. XXXVIII. 28. omnia Architectonice ornata atque elaborata: *uncinos* dehinc *argenteos* v. 11. & Exod. XXXVIII. 10. è quibus ſuſpendebantur victimæ uti ex Rabbinorum Scriptis oſtendit, *Munſterus* ad Exod. XXXVIII. Columnæ cuique baſis fuit ænea, cui illa fuit infixa, & vult *Joſephus* fuiſſe baſes hasce infernè acuminatas, ut Terræ infigi potuerint, easque deauratas.

Fuere non ſolum Aulæa Tabernaculi funibus alligata ad *palos* terræ infixos, noſtra verſio habet *clauos*, *nägel*, ſed & Aulæa in ambitu Atrii affixa hujusmodi palis Exod. XXXVIII. 31. plane ad eum modum, quo militum tentoria ſolent firmari, ne ſubuertantur á Ventis.

In quo præciſe loco Atrii *Tentorium Tabernaculi* ſteterit haud memoratur in Sacris: Si *Philoni* Lib. III. *Vit. Moſ.* fides eſt, & qui eum ſequitur *Bonfrerio* ad *Exod.* XXVII. 9. ab Aulæis tum Meridionali, tum ſeptentrionali ambitus diſtabat 20. Cubitis, à pariete Orientali 50. ab Occidentali 20. *Bonfrerius* equidem, à *Lundio* refutatus, verſus occaſum numerat 10. & verſus ortum 60.

Neque id denique ſilentio eſt prætereundum, *Ortum* ſemper reſpexiſſe anteriorem partem ſiue portam Atrii, uti & Sanctum, Sanctiſſimum vero *Occaſum*, ut Oriens Sol ſtructuram Tabernaculi irradiauerit ab ante, Occidens à tergo. Eundem prorſus ſitum habuit Templum. Et eſt conjecturæ locus, vertiſſe Judæos ex diuino præcepto vultus ſuos ad occaſum, ſi quando precibus DEI Gratia imploranda fuit, ne inciderent in Heliolatriam, Gentibus familiarem, unam ex maxime monſtroſis Idololatriæ ſpeciebus v. *Selden* de *Dîs Syris Proleg.* c. 3. & *Syntagm.* II. c. 8. *Sylv. Theol. Symbol.* n. 56. Tunc nempe hic ſitus obſeruari debuit, ſi quando fuerunt in ipſo tentorio, vel Templo, aliàs facies vertenda ipſis fuit in caſtris, vel extra ea degentibus ad locum Tabernaculi vel Templi.

TAB.

RPJCB



Exodi Cap. XXVII. v. 20.
Oleum ex Olea.

II. Buch Moſis Cap. XXVII. v. 20.
Oel von Oel-Bäumen.

G. D. Heüman scu

TAB. CC.

Exod. Cap. XXVII. verſ. 20. 21.

Præcipies quoque tu filiis Iſrael, ut adferant tibi Oleum oleæ, purum & contuſum, ad luminare, ad accendendum lucernam jugiter.

In tentorio conſtituto extra velum, quod eſt juxta Teſtimonium, ordinabit eam Aharon & filii ejus à veſpera usque ad mane coram DOMINO —

Præcepit filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper.

In tabernaculo teſtimonii, extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio; Et collocabunt eam Aharon & filii ejus, ut usque mane luceat coram DOMINO.

De *Diei* totius ſiue νυχθημέρε diuiſione in ſuas partes, *veſperam* & *Mane* egi alibi.

Eſt vero Oleum שֶׁמֶן utiliſſimus Generi Humano liquor, fructibus Oleæ expreſſus, *Oleum oliuarum* hinc ad differentiam aliorum oleorum ex vegetabilibus, dictus, cum Vino, Pane, Melle, Lacte, de prærogatiua certans. Ejus dantur inprimis ratione Graduum bonitatis tres ſpecies. 1. Nobiliſſimum, laudatiſſimum, & defæcatiſſimum, quod prima preli unda, & quaſi ſponte profluit, πρότροπον, der *Vorlaſs*, *Vorlauff*, *Olei flos, gleucinum*, h. e. muſtum expreſſum, antequam calcentur oliuæ, *Huile vierge*, i. e. Oleum virgineum. 2. *Iteratiuum*, quod eſt ſecundæ preſſuræ, quod ex reliquis fracibus premitur, grauiori pondere & mole, *tortiuum Oleum*. 3. *Tertiatiuum*, quod eſt tertiæ preſſuræ *Joh. Bauhin. Hiſt. Plant.* L. VI. p. 13. 17. Bina poſtrema non prelum duntaxat exigunt, ſed & Ignem, dum vel torrentur Oliuæ, vel Aqua affuſa feruida miſcentur. *Pomet Hiſt. Nat. des Drog.* L. VII. c. 53. p. 240.

Aliam Olei varietatem, ſiue diſtinctionem, ſuggerit Textus, nempe in *contuſum* & *preſſum*. Oleum Lampadibus ſacris, de quo hîc, adhibendum, non premebatur in molâ, preloue, ut hodie, ſed tundebatur, cum oliuis nempe in mortario. Neque oliuæ debebant eſſe immaturæ nimis & acerbæ, nec maturæ nimis ad nigredinem vergentes, tales, ex quibus collectum *oleum omphacinum* dictum, omnium præſtantiſſimum.

Eſt *Olea ipſa*, ſatiua nempe זַיִת præſtantiſſimum illius ſucci parens, Arbor mediocris, haud valde patula, perennis viroris, *Trunco* femore humano plus minus craſſo, magna ex parte nodoſo, materie æqualiter ſpiſſa, ſatis ſolida, alicubi & criſpa & intorta, guſtu amaricante, colore inter flauum & ſpadiceum fere medio, nonnunquam etiam maculis utriusque coloris inuicem conuolutis conſperſa, præſertim cum ad juſtam ætatis conſiſtentiam peruenerit. *Cortex* tam trunco quam ramis obducitur, coloris cinerei, læuis, glaber. *Folia* oblonga & anguſta, ſalignis ferè ſimilia, acuminata, inciſuris ac manifeſtis venis, excepto unico neruo inſigni à pediculo ad acumen excurrente, carentia, craſſa, rigida, ſuperné coloris atrovirentis, vel in viridi flaveſcentis, inferius caneſcunt, nullis tamen pilis obſita, tam breuibus pediculis hærentia, ut ſurculis quaſi inſerta videantur; ex quorum alis proferuntur Pediculi, quibus *Flores* racematim cohærentes ſuſtinentur, albicantes, ſambucinis ſimiles, é quatuor foliolis fructus rudimentum complectentibus contexti, *Cordo* muſcoſi; Floſculis ſuccedunt *Fructus* figuræ oualis, aut glandium fere, magnitudinis variæ, ad Prunam usque ſurgentes virides primum, poſt flauicantes, per maturitatem purpuraſcentes, tandem & nigricantes, ſapore valde acri & amaro, nauſeoſi quid habente, carne primum dura, maturitate molli ac pingui, oſſiculum lignoſum, oblongum, utrinque acuminatum, & in hoc proportionatum unicum nucleum habente. Qui in iis continetur ſuccus pinguis *Oleum* fit dulce, aquoſus, qui amarus, *amurca*. *Radices* ſunt partim rectæ, partim obliquæ, in ſummo ceſpite obhærentes, materia, ut Trunci, ſolida. *Joh. Bauhin. Hiſt.* L. VI. c. 1.

TAB. CCI.

Exod. Cap. XXVIII. verſ. 5. 6. 8. 9. 10. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

5. Et hi accipient aurum, & hyacinthinum (ſericum) & purpureum & coccinum bis tinctum & byſſum.

Accipientque Aurum & hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum & byſſum.

6. Humerale facient ex Auro, hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto atque byſſo torta opere textorio polymito.

Facient autem ſuper humerale de auro & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere polymito.

8. Textura polymita limbi illius, quæ eſt ſupernè in eo, ſit quemadmodum opus ejus, quin ex ipſo ſit, nempe ex Auro, hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta.

Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas, erit ex auro & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto & byſſo retorta.

9. Accipies quoque duos lapides Schoham, & exſculpes in eis nomina filiorum Iſrael.

Sumesque duos lapides Onychinos & ſculpes in iis nomina filiorum Iſrael.

10. Sex nomina illorum in Lapide uno, & ſex nomina reliqua in Lapide altero, ſecundum Generationes illorum.

Sex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in altero juxta ordinem natiuitatis eorum.

15. Facies deinde Pectorale Judicii opere textili polymito, quemadmodum opus Humeralis facies illud, nempe ex Auro, hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta facies illud.

Rationale quoque judicii facies opere polymito, juxta texturam ſuperhumeralis ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto & byſſo retorta.

16. Quadratum erit & duplicatum, palmum habens in longitudine ſua, & palmum in latitudine ſua.

Quadrangulum erit & duplex, menſuram palmi habebit, tam in longitudine quam in latitudine,

17. Quod implebis gemmarum inſitione, quatuor videlicet ordinibus Gemmarum, Ordo Sardonychis, Topaſii, & Smaragdi, ordo unus.

Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis Sardius & Topazius & Smaragdus.

18. Secun-



Exodi Cap. XXVIII. v. 8 - 20.
Pectorale Aharonis.

II. Büch Moſis Cap. XXVIII. v. 8 - 20.
Aarons Brüſt = Schildlein.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

18. Secundus ordo Carbunculi, Sapphiri & Adamantis.	In ſecundo Carbunculus, Sapphirus & Jaſpis.
19. In tertio ordine Lyncurius, Achates & Amethyſtus.	In tertio Ligurius, Achates & Amethyſtus.
20. In quarto ordine Hyacinthus, Onyx & Jaſpis, auro erunt incluſi palis ſuis.	In quarto Chryſolitus, Onychinus & Beryllus incluſi auro erunt per ordines ſuos.

Superſedere facile poſſem Commentario in v. 8. 9. 10. ut et 5. 6. quoniam de *hyacinthino* (ſerico) *purpureo*, *coccino bis tincto*, & *byſſo* actum ad Exod. XXV. 4. & de *Lapide Schoham* ad Gen. II. 12. Id tamen ſilentio præterire nequeo, ſibi vel non conſtare vernaculam noſtram verſionem, vel conſtare quam optime, dum in Geneſi Hebræum nomen ſeruat, heic vero per *Onychem*, *Onychelſtein* interpretatur, innixa, ut quidem autumo, authoritate *Joſephi*, *Aquilæ*, *Hieronymi*, qui σαρδόνυχα, *Sardonychem* habent. Latinâ utrobique ſeruante *Schoham*, & meo judicio melius, donec demonſtratiue ſimus conuicti, qualisnam hæc ſit gemma, *Smaragdus*, quem vult *Relandus*, vel alia.

Materiam ex qua *Pectoralis* remitto ad locum Exodi ſupra citatum, & myſticum ſenſum linquo Theologis, non conſiderans, niſi ſacerrimæ Tabulæ dimenſionem, & Gemmas ei inſertas. Occurrit Vox זֶרֶת, quam non uniformiter interpretantur omnes, ut nec latina noſtra conueniat vernaculæ. Habet illa *Palmum*, quæ vox proprio ſenſu notat digitos quatuor tranſuerſim junctos, *eine flache Hand breit*, unde & *Lutherus*: *eine Hand breit*, & apud Hebræos fuit $\frac{1}{6}$. Cubiti. Propius ſcopum tangit vernacula noſtra, quæ habet *eine Spange*, *Spanne*, interuallum à maximo digitorum manus extenſæ ad minimum: ſed eſt & hæc ſignificatio vaga. Fuit זֶרֶת *ſpithama*, *dodrans* dimidium cubiti. Conferendus *Joſephus Ant.* L. III. Longitudo proin hujus menſuræ $9''.\ 11'''\frac{1}{5}$. Menſuræ Pariſinæ. $8''.\ 9'''$. Tigurinæ.

Sunt adeo obſcura *Gemmarum* XII. Pectorali inſertarum nomina, quicquid definiant poſitiuè Verſiones, ut cum ipſo Ceremoniali cultu, imo & cum fulgore illo miraculoſo, quo, Deo victoriam promittente, veluti arſiſſe dicuntur *Joſepho Ant.* L. III. c. 9. periiſſe & euanuiſſe videantur. Optimi forſan Interpretes, ad σμικρολογίας usquè ſuperſtitioſi, Judæi nempe, obſcuritatem non minuunt, ſed augent. Quæ huic Sarda eſt, alii nominatur Rubinus, Topaſius tertio. Non tamen intactam linquemus materiam, quæ fori eſt Phyſici, viſuri, an quid certi ex tenebris hisce protrahi queat. Sequemur autem, ut ſolemus, ſacri ipſius Textus ordinem.

I. Primæ feriei prima Gemma eſt אֹדֶם *Odem* LXX. Σάρδιος, Latinæ noſtræ *Sardonyx*, vernaculæ *Sarder*, aliis *Sarda*, *Sardier*, *Sardiss*, πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδὴς Σαρδίῳ τῷ ἰχθύϊ τῷ ταριχευμένῳ ἐοικὸς, *Epiphanio*, ſed ineptè, etymologizante: potius enim nominis ſui natales deriuat hæc Gemma à loco. *Sarda gemma vulgaris, & primum Sardibus reperta, ſed laudatiſſima circa Babyloniam, cum Lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in Saxi corde. Plin.* L. XXXVI. c. 7. Sed & hic collimaſſet propius, ſi *Sardiniam* quæſiuiſſet, quod vult *Salmaſius* in *Solin.* 128. Sane Græci Σαρδόνιον vocant, & *Sardam Terram*, quæ certo *Sardiniæ* eſt, legimus item *Sardinium agrum*, Sardiniæ, Σάρδην γῆν, cur non & σάρδην λίθον? Aliam, ut de nominum prima origine diſceptant & gentes, & Philologi, originationem habet *Braunius Veſt. Sacerdot.* L. II. c. 8. à voce Hebræa שרד *Sered*, quæ rubrum colorem ſignificat, ad imitationem forte τȣ̃ אֹדֶם quod deriuant ab אָדַם *rubuit*, Onkeloſi item סמקן *Samkan* à סמק rubuit, Latina noſtra *Sardonychem* mutuo petiit à *Joſepho*, qui tamen alibi hanc vocem, σαρδόνυξ, tribuit lapidi *Schoham*. Sed notandum, differre *Sardonychem* à *Sarda*. Eſt autem *Sarda* veterum eadem gemma, quæ nobis hodie *Corneolus*, *Carneolus*, *Carneola*, *Cornelius*, *Carneol*. *Abarbaneli* placet heic *Granatus*, Rabbinis aliis *Rubinus*, in eo congrui omnes, rubere. Placet & ruber hujus Gemmæ color *Braunio*, licet ei in mentem prius venerit, poſſe per אֹדֶם intelligi Gemmarum Principem *Adamantem*, imo forte hunc ipſum nominis ſui originem arceſſere ab *Odem*, potius quam à δαμάω, *vinco*, quaſi ſit inuicta prorſus duritie, ut & hoc reſpectu referat *Rubenem*, *Jacobi primogenitum*, cui hæc prima gemma adſignatur, quem ipſe moribundus pater appellat *robur ſuum*, *præcipuum robore* Gen. XLIX. 3. ſignificare etiam Radicem אָדַם non ſemper colorem rubrum, ſed ſæpe inſignem fulgorem, quæ Adamanti competat præ aliis Gemmis.

II. פִּטְדָה *Phitdah* ſecundus in primo ordine lapis; LXX. *Joſepho*, plerisque Interpretibus, in noſtris quoque binis Verſionibus, eſt τόπαζος, τοπάζιος, *Topaſius*, *Topass*, *Topaſier*, quod nomen plerisque Nationibus receptum ab ipſo Hebræo פטדה deriuat *Braun.* Veſt. Sac. L. II. c. 9. Hunc etiam rubrum volunt quidam ex Veteribus, imo Carbunculo magis rubicundum, ἔρυθρον τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν Ἄνθρακα. Sed male. Fuit Ve-

terum Topaſius viridis *Plin.* L. XXXVII, c. 8. *Egregia etiam nunc Topazio gloria eſt, ſuo virenti genere - - Ejus tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur.* Ideo & Vitri colorem referre dicitur, unde & à Græcis ὑαλοειδὴς, & ὑάλῳ παρεμφερὴς, *vitrei coloris*, *vitro* ſimilis *Orpheo*, *Diodoro Siculo*, aliis, cluet. Sed ita videtur virere Topaſius, ut aliquid ex auri colore trahat, ideoque olei recentis virorem habere dicatur. Hinc *Alexander Polyhiſtor* apud *Stephanum* ὅμοιον τῇ χρόᾳ τῇ τῦ νέυ ἐλαίυ. *Strabo* L. XVI. λίθος δ' ἐπὶ διαφανὴς, χρυσοειδὴς, ἀπολάμπων φέγγος ὅσον μεθημέραν μὲν ἐ ῥάδιον ἰδεῖν ἐςί. *Eſt autem lapis pellucidus, Auro ſimilis, ſplendore tanto refulgens, ut interdiu videri vix poſſit.* Hæc fortaſſis cauſa, quod recentiores Lapidarii crederent, *Topazium* eſſe *Chryſolithum.* Nam hodiernorum *Topazius* eſt Veterum *Chryſolithus.* Et effecit Topazii Viror, quod aliqui ex ſecunda hac gemma fabricârint *Smaragdum.* Onkelos vocat ירקן *Jarkan*, quo quidem viridis etiam indigitatur color. Samaritana Verſio habet *Simmach* סַמַּךְ. Etiam Judæis Doctoribus פטדה eſt viridis, & *Simeonis*, cui hæc Gemma aſſignatur, vexillum viride. Petit autem originem ſuam *Topazius* non tam ab Hebræo פטדה, quam ab inſula *Topazio*, quæ Rubri Maris eſt, Arabiæ olim accenſita, unde apud Jobum XXVIII. 19. mentio fit פִּטְדַת כּוּשׁ *Topazii Arabici.*

III. בָּרֶקֶת *Bareketh* vario ſub Schemate, imo variis nominibus ſe præſentat atque coloribus. Seruat Syra Verſio Hebræum *Borco.* Latini Interpretes faciunt inde *Carbunculum*, qui etiam placet *Abarbaneli* קרבונקלו: Arabes *Topazium*: *Rabboth Schemoth* דייקיינתין *Dijakinthin*, quo corrupto nomine haud dubiè intelligitur *Hyacinthus.* *Targum Hieroſolymitanum* & *Jonathan* ſeruant Hebræum ברקתא *Berahtha.* *Onkelos* ברקן *Barkan*, *Samaritana* סמכמך *Samachmach.* LXX. *Joſepho, Hieronymo, Vulgatæ, Luthero*, binis noſtris Verſionibus & pleriſque Europæis placet *Smaragdus*, quod præ aliis gemmis inſigni fulgore gaudeat, à ברק *ſplendere*, ſane *Orpheo* cluet ἀγλήεις Μάραγδος, *ſplendens Smaragdus*, *Epiphanio* διειδὴς καὶ ςίλβιον *pellucidus & ſplendens*: *Martiali*

Gemmatum Scythicis ut lucet in ignibus
Aurum.

Imo vero Græcorum σμάραγδον, Μάραγδον, Latinorum *Smaragdum*, quod nomen plerique ſeruant Europæi, ab ipſo בָּרֶקֶת deriuat *Braunius.* Hypotheſi hac ſtante fuit hic lapis viridis.

IV. Siue in ſecunda ſerie primus נֹפֶךְ *Nophech*, πολύσημος & hic, πολύχροος καὶ πολύμορφος. Habet *Onkelos* אזמרגדין *Izmargedin, Iſmaragdin, Iſmured*, i. e. *Smaragdum.* Arabes *Cachle*, Paraphraſtes Cant. V. 14. כחלי *Cachale*: *Junius* & *Tremellius Chryſolithum*: Latina noſtra *Carbunculum*, Vernacula *Rubin*, ſecuta utraque τὰς LXX. *Joſephum* & *Epiphanium*, apud quos legitur ἄνθραξ. Galli & *Deodati Escarboncle.* *Targum Hieroſolymitanum* כדכרנא *Cadcarna*, voce corrupta ex καρχηδὼν, *Carchedonius*, qui & Carbunculum notat. Eſt autem veterum *Carbunculus* modernorum *Rubinus.*

V. Siue Seriei ſecundæ ſecundus סַפִּיר *Saphir*, pro quo Syrus habet *Saphilah*, Joſephus *Jaſpis*, confundens hunc manifeſte cum Pectoralis ultimo; Arabes *Maha.* Eſt hic omnium ferè maximè cognitus, imo extra controuerſiam poſitus, retinuitque ἀγαθῇ τύχῃ apud gentes pleraſque & nomen & ſignificationem. Conſentiunt *Hieronymus*, Verſiones omnes Europææ, ipſi Judæi, exceptis *Targum Hieroſolymitano, Jonathane* & *Rabboth*, qui habent ספירונין *Saphirunin*, סמפורינא *Sampurina* & סנפרינון *Sanperinun*, quas voces nemo non videt corruptas ex *Saphiro.* Attamen quæritur, qualisnam heic intelligatur *Saphirus?* *Album* vult *Jonathan*, quales reuera dantur. Sic locus datur conciliationi cum iis, qui ex quinta hac gemma faciunt *Adamantem.* Seligit *Abenezra Saphirum rubrum*, nixus Thren. IV. 7. *Candidiores erant Nazaræi ejus niue, lacte nitidiores: rubebant ſpecie præ Margaritis, polities eorum Saphiro* (ſimilis erat). Imo tranſit myſtica magni *Cocceji* Theologia ad ipſum *Rubinum*, ut cum rubro hujus gemmæ colore conferre poſſit pretioſiſſimum CHRISTI Sanguinem. *Philoni* L. I. *Legis Allegor.* placet viridis color, ὁ δὲ σάπφειρος πράσινος λίθος ἐςιν. His non obſtantibus ſeligimus heic cœleſtem Saphiri colorem. Ad eum nos ducit manu veluti Exod. XXIV. 10. *Erat ſub pedibus ejus opus quoddam lapideum Saphirinum, & quaſi ipſum Cœlum clarum*, ubi Coccejus, *ſub pedibus eſt laterculus Rubini.* Porro Ezech. I. 26. *Supra extenſionem autem, quæ erat ſuper caput eorum, ſpecies veluti lapidis Saphirini.* Nemo non nouit, Cœli, id eſt, Aeris expanſo competere colorem cœruleum, ſiue Saphirinum. Veteres ſi conſulamus Hiſtoriæ Naturalis Scriptores, videbimus Saphirum cœruleum. *Cœruleæ & Saphri raroque cum purpura* Plin. L. XXXVII. c. 9. πορφυρίζει *Theophraſto* & *Epiphanio.* Et Iſſascharis vexillum, ſi vera eſt traditio *Rabboth*, in vexillo ſuo cœruleo depingi juſſit *Solem* atque *Lunam.*

VI. יַהֲלֹם *Jahalom*, ſecundi ordinis tertius, ex mente LXX. *Vulgatæ, Hieronymi, Epiphanii*, & *Gallorum* eſt *Jaſpis*: *Joſepho Saphirus*; *Rabboth Izmaragdin* יצמרגדין, Arabibus *Bahar-Man* i. e. *Rubinus*: *Targum Hieroſolymitanum* עין עגלא *En Egla oculus vituli*: *Broughtono Sardonyx.* Placet vero binis noſtris verſionibus, *Abarbaneli, Abenezræ, Luthero, Belgis, Junio, Anglis*, aliis, *Adamas.* Habet hæc, ut aliæ opiniones, ſuas difficultates. Et memoratu eſt dignum, Johannem Apoc. XXI. nullam prorſus facere mentionem Adamantis, quum tamen communiter velint Interpretes, Euangelicum hunc Prophetam in XII. Gemmarum enumeratione digitum intendiſſe ad ipſum Pectorale. Et prætendunt nonnulli, in Sacris Adamantem non intelligi per יהלם ſed quidem

per

per אֲנָךְ Amos VII, 7. ubi pro Adamante ſumitur à LXX. Orientalium Linguarum gnaris è contra reddentibus eam vocem *Plumbum* vel *Stannum*, quibus pollicem premit & noſtra Tigurina. Et, ne Adamas excludatur nobilium atque Sacrarum Gemmarum numero, *Braunius* ipſam *Adamantis* vocem deducit à יהלם formando inde primum *halam*, *alma*, *almas*, quæ nomina Turcis hodie atque Perſis denotant *Adamantem*, & ex *Almas Adamas*. Intercedunt & Etymologi deducendo יהלם ab הָלַם *confringere*, *contundere*, voce inuictiſſimo i. e. duriſſimo Lapidi congrua: dico, potius duriſſimo, figmentum enim eſt inuicta illa, nec niſi hirci ſanguini cedens durities, & Allegoria illa ad inuictiſſimum ſanguinem ac Verbum CHRISTI, qua paſſim Ἀφιλόσοφοι utuntur Concionatores, ſtramineo plane, certe non Adamantino fundamento nixa. Placet imprimis hæc Fabula *Hieronymo*, qui eam hauſit ex *Plinio* L. XXXVI. c. 4. *Incudibus hi deprehenduntur* (Adamantes) *ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque diſſultet, incudesque ipſæ diſſiliant — Siquidem illa inuicta vis duarum violentiſſima natura rerum ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus tunc etiam, præterquam eximias incudes malleosque ferreos frangens.* Militat inſuper pro Adamante puriſſima, albiſſima & fulgidiſſima ejus ſubſtantia, & neceſſaria gemmæ nobiliſſimæ in Pectorali præſentia. Seligat quod volet quisque. Suo trahatur quilibet illectamento.

VII. In tertia ſerie primus לֶשֶׁם *Leſchem* nullibi niſi heic loci in Sacris memoratus, inde non ſit mirum, tot & tam varias de voce ἅπαξ λεγομένῃ circumferri opiniones. Apud Arabes legitur *Geza*, Latinos *Ligurius*, Syros *Kamkanun*, quod Latini vertunt per *Achatem*: *Targum Hieroſolymitanum Zuzin*; *Abarbanelem* מטישטא *matiſta* pro אמטישטא *Amethyſto*, in *Rabboth Schemoth* כחלין *Cochalin*, eſt autem כוחל *Cochal Carbunculus*, Tigurinæ noſtræ utrique placet *Lyncurius*, *Lyncurer*. Nititur autem approbatione LXX, *Joſephi*, *Epiphanii*, *Hieronymi*, *Vulgatæ*, *Lutheri*, & aſſenſu plerarumque Verſionum Europæarum. Apud *Jonathanem* legitur קנכירינון *Kanchirinun* forte pro *Linchirinun* ſic & *Onkelos Kanchire* קנכירי pro *Linchire*, nempe ex *Lincurius*, *Lyncurius*, λιγύριον, λίγυρον, λιγκύριον. Sed dabimus, quadrare *Lyncurium* τῷ *Leſchem*: Nondum tamen habemus, quod deſideramus. Dic, qualisnam ſit hic Lapis? Nam eſt Vox hæc, ſi quæ alia, πολυώνυμος. *Geſsnerus* noſter *Lyncurium* vult eſſe *Succinum*, *Agd-Bernſtein*, autumatque, ipſum Germanorum veterum Synonymum *Gleſs* natum ex Hebræo *Leſchem*, quod tamen veriſimilius longè deriuari debet à Teutonum *Glaſs*. Sed præterea neque ad Gemmas vulgò dictas pertinet *Succinum*: Alii ex *Lyncurio* fabricant *Achatæ* vel *Jaſpidis* Genus *Lyncis* ad inſtar, vel *Pantheræ* maculoſum. Alii fingunt Lapidem ex urina Lyncis genitum, ſi fabulis fides, quas narrant *Ælianus Animal.* L. IV. 17. *Theophraſt.* L. XVII. *Plin.* L. VIII. c. 38. *Plutarchus*, *Ariſtoteles*, alii. Verbo: ignotus nobis penitus veterum *Lyncurius*, neque admittendus pro eo ita dictus *Belemnites* ſeu *Lyncis Lapis*, *Luchsſtein*, omnibus Gemmæ characteribus deſtitutus. Propius ſcopum feriiſſe videtur Braunius, qui ex *Læſchem* facit *Hyacinthum*: ſimile quid jam olim ſuboluit *Epiphanio*: nec deſtituuntur hi rationibus. Hyacintho ſi heic non, nullibi eſt locus in Pectorali, & tamen nominatur expreſſe Hyacinthus ὑάκινθος Apoc. XXI. Accedit authoritas *Hieronymi* Epiſt. ad *Fabiolam*. Et Hyacinthus quidem, cujus variæ ſunt ſpecies, intelligi poteſt flauus, coloris re-uera ſuccinei, vel rubro flauus, ignis inſtar micans, ſicque ſuccino prope, Carbunculo propius, accedens.

VIII. שְׁבוֹ *Schebho*, in tertia ſerie ſecundus nullibi niſi heic in ſacro codice memoratus. Hunc vocat Paraphraſtes in Cant. V. 14. אספור *Eſpor*, intelligens Sapphirum, Abarbenel מגניטא *Magneta*. Sed eſt *Magnes* ita dictus à Gemmarum claſſe remotus; *Onkelos* טרקיא *Tarkeja*, *Jonathan*, ערקין *arkin* pro *Tarkin*, quod videtur denotare *Turcoidem*. *Joſepho* arridet *Amethyſtus*, Judæis modernis *Topaſius*, *Targum Hieroſolymitano Berulin* ברולין *Beryllus*, cujus etiam mentio fit Apoc. XXI. *Broughtono Chryſopraſus*. Nobis Tigurinis in utraque Verſione, ſed quoque LXX, *Vulgatæ*, *Hieronymo*, *Epiphanio*, *Junio*, *Luthero*, Europæis plerisque *Achates*, qui, ſi quis alius, multorum eſt generum, colorum, figurarum. Exhibet is Cœlum, Stellas, Nubes, Aues, Arbores, Terram, Aquam, Flores, oppida, Rupes, Homines, Animalia. Sed quoque Lapidem *Schebho* πολύχροον facit *Rabboth Bemidbar*, inprimis albo & nigro miſtum, quale fuit & *Goditicæ Tribus* vexillum.

IX. אַחְלָמָה *Achlamah* Lapis nonus, ſiue in tertia ſerie tertius, rurſus ἅπαξ λεγόμενος, *Targum Hieroſolymitano* eſt ומרגדין *Smaragdin*, *Smaragdus*, Paraphraſtæ Cant. V. 45. *Tabag* טבאג quod corruptum videtur ex אכט *Achat*, vel טבאז *Topaz*, *Topaſio*. *Jonathan* & *Onkelos* habent עין עגלא *Een Egla*, *Oculus Vituli*, & ſic quoque Syrus. Sed ex his omnibus nîl hactenus prolucet clari. Joſepho placet *Achates*, Tigurinis nobis *Amethyſtus*, qui rurſum nitimur authoritate τῶν LXX. *Epiphanii*, *Vulgatæ*, *Hieronymi*, *Lutheri*, aliasque Verſiones habemus ſequaces, & ex Judæis *Rabboth Schemoth*, ubi legitur המיסין *Hamiſin* pro המיטיסין *Hamitiſin*. Erit igitur אחלמה violacei ſeu violaceo-purpurei coloris, οἰνωπὸς τῇ χρόᾳ *Theophraſt. de Lapid.* Sane in *Rabboth bemidbar* vexillum Tribus Naphthali colore eſt vini rubelli: & *Amethyſtum* in recenſione ſua haud omittit Johannes Apoc. XXI.

X. תַּרְשִׁישׁ *Tharſchiſch* quartæ ſeriei primus, memoratur alibi quoque in Sacris, uti Ezech. I. 16.

16. Cant. V. 14. Dan. X. 6. ubi LXX. Hebræum nomen ſeruantes, ut & *Theodotio*, *Symmachus*, habent ταρσεῖς, ſed iidem Ezech. X, 9. & XXVIII. 13. per ἄνθρακα, *Carbunculum*, vertunt. Belgis placet propter nominis affinitatem *Turcois*. Veteres ſi conſulas, invenies in *Onkeloſo* & *Targum Hieroſolymitano* קרום ימא *Kerum jama*, non, ut *Geſsnerus* legit *Karus jama*, in *Jonathane* קרום ימא רבא *Kerum jama rabba*, in *Rabboth Schemoth* כרומטסין *Kerumtaſſin*, *Abarbanele* פירלה *Pirle* pro *Beryllo*; unde & *Junius*, *Deodatus*, alii ſeligunt *Beryllum*, *Aquamarina* Italis. *Jonathan* in Cantic. V. 14. habet פרוזג *Perozag*, quo nomine forſan intelligit *Praſium*. *Jachias* in Dan. X, 6. vult *Hyacinthum cœruleum*, ſubſcribente *Bocharto*, *Coccejus Sardonychem*. Latina noſtra diſcrepat à vernacula, dum illa dat *Hyacinthum*, hæc *Turcoidem*, *Türkiss*. Placet *Braunio Chryſolithus* poſt LXX, *Joſephum*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Vulgatam*, quibus & ſeſe aſſociant Galli atque Angli. *Chryſolithum* quoque inuenias Apoc. XXI, 20. Eſt autem *Chryſolithus* veterum aurei coloris gemma, quæ Gemmariis modernis *Topaſius*.

XI. שֹׁהַם *Schoham*, obuius eſt Gen. II. 12. Exod. XXV. 7. XXVIII. 10. variat, ſi quis alius. Judæi inde fabricant *Cryſtallum*. *Rabboth Schemoth* פראלוקין *Pralukin* forte pro בארולין *Berulin*, *Beryllo*; ita & *Onkelos* בורלא *Burla*, & Jonathan ברילוות חלא *Berilioth Chalab*, Arabes *Belur*, quæ omnia redeunt ad LXX βηρύλλιον. Idem forſan vult Paraphraſtes Cant. V. 14. qui habet מריבג *Meribag*, forte pro ברילז *Berilaz*, & *Targum Hieroſolymitanum* ברולחא *Bedolcha*, forte pro ברולחא *Berolcha*, licet Gen. II. 12. בְּרוֹלַח expreſſe diſtinguatur à שהם. Placet & *Broughtono Beryllus*. Aſt *Relando* poſt *Philonem* L. III. *Vit. Moſ. Smaragdus*. Rationes expoſitæ ſunt alibi. Nodum forte omnium optimè ſoluere poſſent nobis Judæi LXX. viralis Authores, niſi & hi à ſeipſis differrent, & hoc ipſo hæſitantiam ſuam clarè oſtenderent. Nam I. Chron. XXIX. 11. ſeruant originalem vocem σοὰμ Gen. II. 12. vertunt πράσινον Exod. XXV. & XXVIII. σμάραγδον Ezech. XXVIII. 13. Σάπφειρον. Job. XXVIII. 16. ὄνυχα. Exod. XXVII. 7. & XXXV. 9. Σάρδιον. Onychem ſeligunt quoque Tigurinæ ambæ. Jungit *Braunius Sardium* & *Onychem* faciendo *Sardonychem*, idque poſt *Joſephum*, *Hieronymum*, *Aquilam*, *Vulgatam* & LXX, qui habent Ονύχιον. Foret proin hæc gemma rubra ut *Sardius*, & alba ut *Onyx*. Dantur quidem & *Sardonyches* radice nigra, quæ reſpondere poſſent vexillo *Joſephi* nigro, prouti pingitur in *Rabboth Bemidbar*. Meminit & *Sardonychis* Johannes Apoc. XXI. Pondus inſuper addit, quod tum *Onyx*, tum *Sardonyx* Gemmæ ſint ſculpturis præ aliis aptæ. Abyſſinis denique arridet *Rubinus*, pro quo in Alexandrino veteri Codice legitur Σοὸμ.

XII. Et ultimus in Pectorali lapis, in quarto ordine tertius, & omnium maximè cognitus eſt יָשְׁפֵה *Jaspeh*, qui licet antiquo adhuc nomine Jaſpis vocitetur, ſuas tamen apud Interpretes offendit difficultates. Habent LXX. ὀνύχιον; ſequuntur hos *Joſephus*, *Hieronymus*, *Vulgatus*, *Epiphanius*, *Galli*, alii. Targum Hieroſolymitanum מרגליתא *margalitha*, *Rabboth Schemoth* מרגליטות *margalithot*; *Jonathan* מרגנית *marganith*, addita voce אפנטורים *Apanturim*, quæ indicio nobis eſt, intellexiſſe eum non tam *Margaritas*, quam generali nomine gemmam & quidem *Pantheram*, *Pantheræ* modo maculatam, quæ inter Jaſpides atque Achates quæri & inueniri poteſt. Omnium maximè incedimus ſecuri, ſi inhæreamus *Jaſpidi*, quam habent ambæ noſtræ *Tigurinæ*, *Lutherus*, *Junius*, *Belgæ*, *Deodatus*, *Braunius* alii: & quod magnum rei addit momentum Joh. Apoc. XXI. Eandem fouere ſententiam Judæorum doctiſſimi; vocat *Abarbanel* גשפי *Gaſpi*; Manent *Onkelos* & *Jonathan* in ſuo אפנטורים *Apanturim* & *Apantur*.

Exercuerunt ſe in eruendis Gemmarum XII. hactenus enarratarum explicationibus ſpeciatim.

Epiphanius de *XII. Gemmis, quæ erant in Veſte Aaronis Liber Græcus, & è regione latinus*, Jola Hierotarantino *interprete* cum *Corollario* Conr. Geſsneri Tig. 1568. 8.

Braunius in *de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum* L. II. c. 8. ad 20. p. 497. ad 588.

Wedelius Dec. X. *Exerc. VIII. de Jaſpide Scripturæ*.

Matthæus Hiller Tract. de Gemmis XII. in Pectorali Pontificum Hebræorum. Accedit Epiphanii de iisdem Liber cum animaduerſionibns Cl. Salmaſii & aliorum Tubing. 1698. 4.

Joh. Chriſtoph. Wichmanshauſen Quæſt. Philolog. num אבני מלאים ab אורים ותמים diſtinctum quid fuerint, nec ne? Reſp. M. Joh. Jac. Gumpelino Witteberg. 1701.

Tab. CCI. exhibet Pectorale in Subquadrupla magnitudine cum ſuis XII. Gemmis. In angulis vero viſuntur Lapides illi *Schoham*, affixi Acromio Summi Pontificis & A A quidem ex mente quorundam Judæorum B B. ex mente aliorum.

JCB



Exodi Cap. XXVIII. v. 8–39.
Summus Pontifex in ſuo ornatu.

II. Buch Moſis Cap. XXVIII. v. 8–39.
Die Kleidung des Hohen-Prieſters.

G. D. Heiman sculps.

Series Lapidum, iisque reſpondentium Tribuum & Gemmarum.

Nomina	Tribus	Gemmæ
Odem	Ruben	Carneolus
Phitdah	Simeon	Topaſius Veterum
Bareketh	Leui	Smaragdus
Nophech	Juda	Rubinus
Saphir	Isaschar	Saphirus
Jahalom	Sebulon	Adamas
Leſchem	Naphthali	Hyacinthus
Schebo	Gad	Achates πολύχροος
Achlamah	Dan	Amethyſtus
Tarſchiſch	Aſer	Chryſolithus
Schoham	Joſeph	Sardonyx
Jaspeh	Benjamin	Jaſpis.

TAB. CCII.

Exod. Cap. XXVIII. verſ. 31. 33. 39.

Facies quoque (a) Interulam laxiorem ad Ephod, quæ ſit tota hyacinthina.

a) poſſet etiam dici ſtola, poderis.

Et facies in fimbriis ejus (inferioribus) mala Punica ex hyacinthino (ſerico) purpureo, & coccino bis tinctο, idque per ambitum fimbriarum ejus, & tintinnabula inter illa per ambitum.

Facies quoque ſtrictam Tunicam byſſinam, & Tiaram byſſinam, & Zonam facies opere Phrygio.

Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam.

Deorſum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, miſtis in medio tintinnabulis.

Stringesque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & baltheum opere plumarii.

DE materialibus ſiue ingredientibus תְּכֵלֶת אַרְגָּמָן תוֹלַעַת שָׁנִי actum fuſius ad Exod. XXV. 4. *Punica Mala* ſiue *Granata*, quæ erant in ambitu fimbriæ veſtis ſacræ, non erant fructus ipſi hujus Arboris, ſed quidem his ſimilia quoad figuram, ex *hyacinthino*, *purpureo*, *coccino bis tincto* confecta, cum *tintinnabulis* alterna. Eſt autem *pomo huic magnitudo varia, omni ferè ampla, & maximis malis æqualis, rotunda ferè, niſi quod utrinque leuiter compreſſa. Cortex mediocriter craſſus, duriuſculus, fragilis tamen, ante maturitatem viridis ac leuis, poſt puniceus & rugoſus, qui tamen etiam ad ſpadiceum accedat, intus luteus, guſtu adſtringens, numeroſis acinis plenus, vino abundanti ebriis, dulci aliàs, aliàs acido, interdum medio, fauorum modo diſpoſitis, carnoſis membraneisque diſſepimentis ceu parietibus intergerinis circumſeptis, amaris, modo candidis, modo purpuraſcentibus, ipſis vero granis gygartorum vitis ſimilibus, quæ conſtant ligneo cortice, & nucleo amaro, non tamen ſine adſtrictione. Joh. Bauhin. Hiſt. Plant.* T. I. L. I. c. 17. Dicitur Arbor hæc & ipſum Malum Hebræis רִמּוֹן *Rimmon*, Chaldæis *Rimmona*, Arabibus *Kuman*, haud dubiè pro *Ruman* vel *Roman*, nam hodiernis Arabibus *rümman* apud *Meninzk. Lex.* p. 2358. Quod nomen ſeruarunt quoque Luſitani. De numero horum Granatorum nîl certi conſtat, 12. ponit *Herberger* ad Gen. 35. 22. 7. 8. p. 280. alii 50. ut *Proſper* apud *Urſinum Annal. Sacr. Part. I.* L. 6. n. 19. alii cum *Hieronymo* 72. & Tintinnabula totidem, imo *Clemens Alexandrinus* 366. Multa habet, ſed præciſum numerum ſuſpendit Siracides XLV. 11. *Globulis aureis ſuccinxit eum, crebrisque circumcirca tintinnabulis.*

Hæc vel alia ſi quis deſiderabit oculis ſubjicere ſuis, en deprehendet Tabula CCII. quæ jam ad manus eſt, quæque refert Summum

Nnn Pon-

Pontificem omni ſuo ornatu depictum: Eſt nempe

aa. כְּתוֹנֶת Tunica, χιτὼν κοσυμβωτὸς Exod. XXVIII. 4.
bb. אַבְנֵט ζώνη Balteus, Cingulum l. c.
cc. מִגְבָּעוֹת κίδαρις. Tiara, Pileus v. 40.
dd. מְעִיל ποδήρη, ὑποδύτης, χιτὼν Pallium cum Malis Punicis & aureis Tintinnabulis Exod. XXVIII. 4. 31.
ee. אֵפוֹד Ephod ἐπωμὶς Humerale Exod. XXVIII. 6.
ff. חֵשֶׁב האפוד ὕφασμα ἐπωμίδων. Cingulum Ephodi v. 8.
gg. חשֶׁן λόγιον τῶν κρίσεων Pectorale. Exod. XXVIII. 15. 39.
hh. צִיץ πέταλον Lamina ſiue corona aurea cum inſcriptione
קדש ליהוה v. 36.
ii. Lapides in Humeris.

TAB. CCIII.

Exod. Cap. XXIX. verſ. 1.

Et hoc quoque facies eis ad conſecrandum eos, ut mihi Sacerdotio fungantur. Tolle juuencum unum ex bubus, & Arietes duos integros.

Sed & hoc facies, ut mihi in Sacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos.

PHar פַּר Lexicographis eſt *juuencus*, פָּרָה *Pharah*, juuenca, Maimonidi *Bos bimus*. Seruauimus & nos Germani Hebræum nomen in Voce *Farren*. Adultiorem eſſe vitulo, colligi poteſt ex Pſal. LXIX. 32. ubi cornutus deſcribitur פַּר & ex Job. XXI. 10. ubi פָּרָה legitur jam partu fœcunda, imo vitulos ſuos lactans. I. Sam. VI. 7. 10. ſed junior ætas infertur ex cognomine, quod פַּר triginta minimum locis in Scriptura habet בֶּן בָּקָר *filius bouis*. Et eſt פָּרָה Num. XIX. 2. Vacca adhuc integra, quæ nondum ſubiit jugum. Qualem pollicetur *Diomedes* ſe Palladi immolaturum Iliad. κ'.

Σοὶ δ' ἂν ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Anniculam, latæque tibi mactabo
juuencam frontis,
Et edomitâ nondum ceruice ſubactam.

Horat. L. II. od. 5.

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Ceruice, nondum munia comparis
Æquare, nec Tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Hebræi communiter hanc ætatem explicant per bimatum, vel trimatum. Alii extendunt ad plures annos. Sane Jud. VI. 25. פַּר memoratur ſeptennis, quæ in bove matura eſt ætas, ut virilis in homine. In hac ætate eſt bos τέλειος καὶ ἐνόρχης, propterea l. c. *Taurus* redditur ab *Hieronymo*. Qui *Par* à parah, fœcundum eſſe, deriuant, bouem, ita nuncupare poſſunt, quamdiu habilis eſt ad fœminas ineundas. Quam ætatem à quadrimatu ad annum usque 12. extendit *Columella* L. VII. c. 23. Placet *Bocharto Hieroz* P. I. L. VII. c. 27. ille vitulus, qui emittit dentes primigenios, vel Bos biennis, qui dentes ejicit, τοὺς ὀδόντας βάλλει βοῦς διετής. *Ariſt. Hiſt.* L. VI. c. 21. פַּר derivant ab Arabum *phurar*, *phirar*, *pharir*, *phuraphir*, *purphur*, *phurfur*, quæ nomina fœtum ouis & capræ ſilueſtris notant: *pharra* autem, *detexit jumenti*, aut pecoris, *dentes*, ut videret, quot annos agat. Ab Hebræo פָּרָה juvenca, πόρις Græce dicitur. *Homerus Odyſſ.* κ'.

Ὡς δ' ὅταν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας.

Ut cum agreſtes juuencæ circa vaccas
armentarias.

Suidas. πόριες, νέοι βόες, μόσχοι. Legitur & in *Homero* πόρτις, & πόρταξ, tanquam ex Phœnicio פרתא *Partha*. In *Heſychio* πορτάκιον eſt μοσχίον, & πορτάζει, δαμαλίζεται, (nos *gämmelig*) *vitulari* dixeris. De בָּקָר *bakar*, *bove*, & אַיִל *Ariete*, deſtinatis quoque in ſacrificia pro ſacerdotibus initiandis, actum alibi.

TAB.



EXODI Cap. XXIX. v. 1.
Initiatio Sacerdotum.

II. Buch Moſis Cap. XXIX. v. 1.
Opfer zur Prieſter-Weyh.

G. D. Heüman sculps.

PJCB

RPJCB



EXODI Cap. XXIX. v. 22.
Oves laticaudæ.

II. Buch Moſis Cap. XXIX. v. 22.
Fette Schaafe mit breiten Schwäntzen.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



EXODI Cap. XXIX. v. 13-22.
DEO ex Ariete Sacra.

II. Buch Moſis Cap. XXIX. v. 13-22.
Gottgeheiligte Stücke vom Widder.

G.D. Heüman sculps.

TAB. CCIV. CCV.

Exod. Cap. XXIX. verſ. 13. 22. 38.

13. Accipies quoque (de juuenco) uniuerſum Adipem, qui obtegit *(a)* inteſtinum, & reticulum, quod eſt circa Epar & duos Renes, & Adipem, qui eſt ſuper eos, & incendes ſuper Aram.

(a) quidam ventrem legunt.

Sumes & Adipem totum, qui operit inteſtina, & reticulum jecoris, ac duos renes, & adipem, qui ſuper eos eſt, & offeres incenſum ſuper Altare.

22. Tolles quoque Adipem de Ariete, & Caudam, & Adipem, qui Inteſtinum obtegit, & reticulum Pecoris & duos Renes, & Adipem, qui circa ipſos eſt, & armum dextrum, eſt enim Aries *(b)* impletionis.

(b) conſecrationis, initiationis.

Tolles adipem de ariete, & caudam, & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris & duos renes, atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumque dextrum, eò quòd ſit aries conſecrationis.

38. Hoc quoque eſt, quod offeres in iſto altari, agni anniculi bini unoquoque die jugiter.

Hoc eſt, quod facies in altari. Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter.

AD explanandum hunc Textum, ut hujus generis alios, non tam ingrediendæ ſunt officinæ Grammaticales, & linguarum ampliſſima promptuaria, ſed intranda lanionum laboratoria, aperiunda Theatra Anatomica, conſulenda Itineraria, in conſilium vocanda Natura, ejusque Hiſtoria. Recenſentur partes Corporis, quæ DEO in grati odoris ſacrificium immolari debebant, & omnium primo חֵלֶב *Cheleb Adeps*, quæ vox paſſim in ſcriptura ſumitur pro מוֹחַ *medulla*, & ita quoque ex Hebræo redditur tum à LXX. tum à Vulgata uti Gen. XLV. 18. *medulla Terræ.* Num. XVIII. 12. *medulla olei & vini* Devt. XXXII. 14. *medulla Tritici*, pro optimis quibusque prouentibus. Requirebat nempe DEUS in cultu ſibi præſtando, & requirit adhuc, omne quod eſt in nobis præſtantiſſimum, intimam Hominis medullam, totam Animam, omnem Intellectum & Voluntatem, integrum cor, pretioſiſſimum quodque. Ita & in ſacrificiis Pinguedinem, pretioſiſſima Corporis Fluida. Eſt namque *Adeps* Liquor pinguis, oleoſus, in certis ſacculis congeſtus, ibidem poſt multas artificioſiſſimas circulationes ſecretus, Corpori Animato ad multa utilis, imo quinta veluti ſucci nutritii eſſentia, vel nutritius ſuccus ſuperfluus, unde, deficiente alimento refluus in ipſam ſanguinis Maſſam corpori ſubuenit. Accendit vel hæc ſola conſideratio lucem non huic duntaxat, quem enucleandum ſumſimus, Textui, ſed & aliis, jam ſupra allegatis, loquendi Orientalium Populorum formulis. Noluit DEUS Iſraelitarum arbitrio linquere, quæ offerre vellent in ſacrificium, ſed maluit ipſe & ſeligere, & præcipere; facilè namque illi, quod &, proh dolor! plurimi faciunt ex Chriſtianis, DEO obtuliſſent rejectanea, ſervatis pro ſe opimis & optimis quibusque. Id eſt, quod Paganis objectat *Tertullianus Apolog.* c. 14. *Enecta, & tabidoſa, & ſcabioſa quæque mactatis, de opimis & integris ſupervacanea quæque truncatis capitula, quæ domi quoque Canibus vel pueris deſtinaſſetis.* Non conſultâ, imo neglectâ Ratione ſanâ, quæ ipſis Ethnicis præceperat offerre optima Diis. De *Porcis*, quos Lunæ ſacrificabant Ægyptii, ita *Herodotus* L. II. c. 47. ἐπεὰν θύσῃ (ἱερεὺς) τὴν οὐρὴν ἄκρην, καὶ τὸν σπλῆνα, καὶ τὸν ἐπίπλοον συνθεὶς ὁμοῦ, κατ᾽ ὧν ἐκάλυψε πάσῃ τοῦ κτήνεος τῇ πιμελῇ τῇ περὶ τὴν νηδὴν γινομένῃ καὶ ἔπειτα καταγίζει πυρί. De Græcis ſimilia proſtant teſtimonia. De *Sue* illa, quam Eumæus in ſacrificium obtulit, ita *Homerus Odyſſ.* Ξ 427.

Αἶψα δέ μιν διέχευαν. ὁ δ᾽ ὠμοθετεῖτο συβώτης
Πάντοθεν ἀρχόμενοι μελέων εἰς πίονα δημὸν,
Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ.

Statim autem eum diviſerunt, cruda autem fruſta impoſuit ſubulcus,
Undique initio facto à membris in pinguem Adipem
Et hæc quidem in Ignem projiciebat, commiſto farinæ flore.

Præcipiebat ſanè optimum quoduis pro ſacrificio vel ſola à Natura ipſis impreſſa Supremi Numinis Idea.

Iis, quæ hactenus de *Adipe* dixi, contrariari videtur, quod proximè ſequitur, de *Cauda Arietis.* Sanè in noſtrorum Arietum caudis parum reperias, quod ſacrificio foret dignum. Sed adi Regiones Orientales, videbis mox, cur DEUS heic, & alibi, pro ſe & cultu ſuo deſiderarit Caudam. Lev. III. 9. *integram caudam, quæ juncta eſt Spinæ dorſi. (adipem & caudam totam cum renibus)* Invenies in *Syria, Arabia, Perſia, Africa* caudas arietinas 15. 20. imo 40. 50. librarum & plurium, cui ſupponere ſolent ploſtellum, ne nimio ſit oneri, & inflectatur, quod ploſtellum poſt ſe trahunt oues, qua eunt cunque. Sunt hujusmodi Caudæ delicatiſſimus cibus. *Minutatim eas conciſas liquant, & adipem in uſus ſuos ſeruant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Perſia, & alibi, ad conficiendas candelas. Gol.* Et memoratu eſt dignum, ut *Caudam* aliorum Animalium Hebræis vocari זנב *Zanab*, ita *Arietis* illam peculiari אַלְיָה *aliah* nomine inſigniri; quod adhuc hodie ſeruant Arabes, caudam *eljet, elje, iljet, lijet*, in Duali *elejan, ala, eljan, eljetan* ipſum quoque hujusmodi laticaudum Arietem *elejat* nuncupantes. *Meninzk. Lex.* p. 5817. Et ipſi LXX. heic & in Levitico non utuntur vocibus κέρκος, οὐρὰ ſed ὀσφὺν adhibent. Deſideras de hujusmodi pinguibus caudis teſtimonia? En aliqua! *Herodotus* L. III. c. 115. qui & ploſtellorum caudis ſubjectorum meminit. Δύο δὲ γένεα &c. *Duo autem habent ovium genera admiratione digna, quæ nusquam alibi ſunt; quorum unum longas habet caudas, tricubitalibus non minores, quas trahere ſi permitterentur, ulcera contraherent, cum caudæ ad terram attererentur. Sed unusquisque Paſtorum hactenus arte fabrili doctus eſt, ut ploſtella faciant, quæ illarum caudis ſubligent, ſingulas ouium caudas ſingulis ploſtellis devincientes. Alterum autem ouium genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit. Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 28. ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ. *In Syria autem oues caudas habent cubitalis latitudinis. Diodorus* L. II. mentionem facit προβάτων μεγάλας καὶ παχείας οὐρὰς ἐχόντων, *ouium, quæ magnas & craſſas caudas habent.* Alia videſis teſtimonia apud *Plinium* L. VIII. c. 48. *Paulum Venetum* L. I. c. 22 *Vartomannum Navigation.* L. II. c. 5. 9. 15. *Busbeq. Itin.* Ep. I. *Olear. Moſcov. & Perſ. Itin.* L. V. p. 548. *Indici* L. I. p. 91. *Leonem African.* L. IX. qui in *Aſiota* Ægypti ciuitate vidiſſe ſe affirmat hujusmodi caudam 80. librarum. *Ludolf.* ex *Strauſſ. Itin.* L. I. c. 2. *Chardin voyage de Perſe* T. IV. p. 81. *Kämpfer Amœnit. Exot.* p. 506. Alios ſilentio prætereo.

Sequitur *Adeps* isque *uniuerſus, qui obtegit inteſtinum*, qua expreſſione dubio procul omni intelligitur *Omentum* ſiue ἐπίπλοον, ſacculus ille membranoſus, fundo ventriculi, & Lieni, annexus, multo Adipe obſeſſus, qui inteſtina obtegit & fouet, *Heſychio* πιμελώδης ὑμὴν ἐπὶ τῆς κοιλίας καὶ τῶν ἐντέρων. Promptuarium veluti quoddam Corporis, è quo, deficiente nutrimento, adeps ille reſumitur ad ipſam Maſſam Sanguinis, imò & Materia ſubminiſtratur Bili in Hepate ſecernendæ. Magni quoque uſus fuit nobilis hæc pars in ſacrificiis gentilium. De *Ægyptiis* extat teſtimonium *Herodoti*, qui expreſsè memorat τὸν ἐπίπλοον. *De Romanis* teſtem habemus *Perſium Sat. II.*

Tot tibi cum in flammis, junicum
omenta liqueſcant.

& *Homerum Iliad.* β'. de *Græcis*

- - - - - - - κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν
Δίπτυκα ποιήσαντες.

Ubi Δίπτυκα, vox duplicitatem ſonans eſt ipſe ſacculus ille omenti reduplicatus. Offerebant & *Perſæ* reticulum hocce membranoſum & adipoſum Diis ſuis. τῦ ἐπίπλυ τι μικρὸν τιθέασιν (ἱερεῖς) ἐπὶ τὸ πῦρ, *omenti aliquid* projiciunt, ſacerdotes, *in ignem. Strab.* L. XV. Et de Perſa quodam Mago legimus apud *Catullum* in *Gellio*

- - - - accepto veneratur carmine
diuos,
Omentum in flamma pingue lique-
faciens.

Crucem magis interpretibus figit יוֹתֶרֶת *Jothereth*, quæ vox etiam occurrit Lev. III. 4. 10. 15. IV. 9. VII. 4. VIII. 16. 25. IX. 10. Habet *Hieronymus reticulum jecoris*; ita & nos v. 22. & v. 13. *reticulum, quod eſt circa Epar*, utrobique in Vernacula, *das Netz ob der Leber.* Magno niſu contendit *Fullerus Miſc. Sacr.* L. V. c. 14. ſignificari *membranam illam tenuiſſimam*; qua Jecur integitur, quo undique claudatur nobile hoc viſcus, veluti ἐν λοβῷ, in ſiliqua, Leguminum ſemina. Nam λοβὸν τῦ ἥπατος Græci habent. Sed eum ſolidè refutat *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 45. En ejus, quæ mea facio, verba! *DEUS in ſacrificiis partes victimarum opimas, hoc eſt, optimas & pinguiſſimas ſibi deligit, ſuper Altare ſuum adolendas. Puta in oue caudam & aruinæ quidquid habent externæ partes, & in internis Omentum & Renes, & ſi quid aliud adipoſum eſt in ventre, & extis usque ad ilia. In his porrò cenſetur etiam* יותרת *Jecoris, unde apertè concluditur, ea voce non intelligi cuticulam, qua Jecur integitur, quæ macra & exilis, & jejuna eſt, ſtipulaque leuior, & foliis farfari. Hanc igitur qui DEO aſſignant, idem faciunt, ac ſi ex Nuce conſecrarent ſolum putamen, aut ſola culliola, aut nihil ex Ouo darent præter teſtam, aut pelliculam, quæ Albumen obtegit. Præterea cuticula illa jecoris ſubſtantiæ tam arctè nexa eſt, ut vix ab ea poſſit divelli. Saltem id plenum otium requireret, & lentam operam, qualem ad Altare* adhi-

adhibere non potuerunt Leuitæ & Sacerdotes, quibus quandoque paucis horis plura pecudum millia immolare neceſſe fuit. Planè ad meum guſtum, & Anatomicorum mentem, ut addere ad eludendam *Fulleri* opinionem nil habeam neceſſe.

Sumit *Bochartus* λοβὸν, *Lobum Hepatis* in ſenſu proprio, prout & hodie Anatomicis venit pro ipſa ſubſtantiæ parte, & recurrit ad ipſam Grammaticam, יותרת deducens à יתר *abundare, ſupereſſe*, יותר *quod abundat, ſupereſt, excedit*, cui reſpondet Arabum *Ziada*, Plur. *Zawaid*, quo exprimunt Interpretes hi τὸ יותרת. Et extat apud *Avicennam* Arab. p. 455. Lat. L. III. *Can. Fen.* 13. c. 1. locus, qui perfectam τοῦ יותרת dat Definitionem. *Hepar quædam habet Zawaid* (augmenta, additamenta, proceſſus) *quibus Stomachum amplectitur, & adhæret ei, quomodo quis id amplectitur, quod digitis tenet. Quorum augmentorum maximum illud eſt, quod ſpeciali nomine vocatur* Zaida (augmentum.) *Illi autem Fel incumbit, unde ad inferiora extenditur. Ejus porrò augmenta quatuor vel quinque ſunt.* Appoſitè ad ſtructuram Hepatis, appoſitè ad יותרת, quod proin erit maximus ille Lobus Hepatis, cui *Veſicula Fellis* incumbit, quem DEUS juſſerit in Altari adoleri. Ne autem ſcrupulum cui moveat עַל־הַכָּבֵד *ſuper Hepar, ob der Leber*, quum Lobus, quem volumus, ſit infra, non ſupra, ſciendum, reddendum eſſe Hebræum illud, *ad Hepar*, non *ſuper Hepar*, ἐπὶ τοῦ ἥπατος. Mouit hoc על pro *ſuper* & Chaldæos & Syros, ut pro יותרת ſumſerint *Septum transuerſum*, διάφραγμα, quod ſtatim eſt ſupra Hepar, & hujus partem carneam, non membranoſam mediam, DEO fecerint ſacram. In ſubſidium tandem ſuæ ſententiæ vocat *Bochartus* noſter Doctores Thalmudicos, quibus יותרת dicitur טרפ״שא τράπεζα, quam Gallicè vocant טיברישׁ *tibres* pro *fibres*. Quibus vocabulis rurſus exprimitur Lobus, vel lobi Hepatis. *Varro Ling. Lat.* L. IV. *Antiqui* fibrum *dicebant extremum. Unde in ſagis extrema fimbriæ, & in Jecore extremum fibræ.* Gloſſarium vetus. *Fibra* λοβὸς ἥπατος. De τράπεζα autem *Scholiaſtes Nicandri Ther.* v. 559. τράπεζα καὶ πύλη μέρη τινά εἰσιν ἐξημμένα τοῦ ἥπατος, ὥσπερ καὶ ὄνυξ, καὶ μάχαιρα, καὶ κάνεον. *Trapeza*, menſa, *& Porta ſunt partes quædam Hepati adhærentes, ut & unguis, & gladius, & caniſtrum.* Apud *Theophilum Protospatharium Fabric. Hum. Corp.* L. II. c. II. Jecoris 4. Lobi vocantur τράπεζα, ἑςία, μάχαιρα, ἡνίοχος, *menſa, focus, gladius, auriga.* Dubio procul, quia Veſicula Fellis Lobo huic Hepatis veluti menſæ incumbit.

Et ſanè reſpondet hæc *Bocharti* explicatio τοῦ יותרת tum Anatomiæ Phyſiologicæ, tum Theologiæ Myſticæ. DEO inter alia optima & opima offerri debebat Lobus Hepatis unà cum innexa Veſicula biliaria. Eſt *Bilis* humor non merè excrementitius, ſed perutilis & neceſſarius, imò ipſius pinguedinis veluti quinta quædam eſſentia, quæ ſeparatur quidem in Hepate, ſed præparatur in plerisque & præcipuis Abdominis viſceribus, Omento, Liene, Ventriculo, Pancreate, quæ Venæ Portæ dant ramos: & ſecreta in jecore Bilis ad Duodenum defluit, non ut eliminetur è corpore omnis, vel duntaxat ſtimulo ſit excrementis alvi, ſed ut chylus oleoſo hoc liquore mediante eò melius ſecernatur ab excrementis, imo imprægnetur veluti balſamo acceſſorio, quod proin unà cum chylo de novo circulat per ſanguinis maſſam, hujusque tum fluiditatem tum motum promouet, tum digeſtionem & varias ſecretiones juuat. Et datur Concionatori occaſio commoda, admonendi populum, quanam ratione DEO in ſacrificium offerre teneamur & Bilem noſtram, bilioſos animorum ferocium affectus, tot malorum in mundo cauſas, tot litium fomites. Si cui hæc explicatio minus placet, Pinguedinem, non Hepatis Lobum Adipe nudum, quærenti, poterit is ſeligere, quæ mihi quidem in mentem venit, Pinguedinem illam, quæ ſupra Hepar in dextro Hypochondrio internâ Peritonei parte adhæret ipſo Peritoneo, in Animantibus præprimis obeſioribus conſpicua, & magis fortè in Ouibus illis Orientalibus, quam Europæis.

Sunt & Sacrificandi libidinoſi affectus quiuis ac concupiſcentiæ, quas myſtico ſenſu repræſentare poſſunt כְּלָיֹת *Renes* offerendi & hi *cum Adipe, qui circa* ipſos eſt. Radix enim כָּלָה notat *ſummè appetere.* Notum eſt Anatomicis, obuolui undique Renes, membranâ adipoſâ, non duntaxat, ut incaleſcat nobile hoc Viſcus, & facilius caloris ope ſecernat urinam, ſed inprimis, & pro faciliori ſeri hujus ſalſi ſecretione ſeparentur prius partes ſanguinis magis oleoſæ & pingues, ad Maſſam ſanguinis reſumendæ. Hunc Renum Adipem, de quo Lex Sacra, unà cum ſua membrana ἐπινεφρίδιον; nuncupat *Homerus* Iliad. φ'. ſiue τό ἐπὶ νεφρῶν λίπος, ut explicant *Heſychius* & *Suidas*

Δημὸν ἐρεπτόμενοι ἐπινεφρίδιον, κείροντες.

Adipem Comedentes, qui ſupra renes eſt,
& deglutientes.

Sunt autem, ſi quorum Animalium, ouium Renes pinguiſſimi, ut ſæpe præ nimia Pinguedine incidant in Morbum, σκεφαλισμὸς *Ariſtoteli* dictum, fortè melius σφακελισμὸς, quo mori eas dicit, *Hiſt. Animal.* L. III. c. 17. τῶν νεφρῶν πάντη καλυφθέντων, cum renes Adipe ſunt planè obducti.

Armus dexter, die rechte Schulter nobis *Laſſen* v. 22. nullâ indiget explicatione.


TAB. CCVI.

Exod. Cap. XXIX. verſ. 40.

Decimam quoque partem ſimilaginis mixtam oleo contuſo, quartam partem Hin, & Libamen vini quartam partem Hin ad Agnum unum.

Decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem Hin, & vinum ad libandum ejusdem menſuræ in agno uno.

MAthematici eſt fori הִין *Hin*, menſura liquidorum cava, de cujus præciſa menſura ſive capacitate ſilet Scriptura : Sed lucem fœneratur *Joſephus Ant.* L. III. c. 9. ubi habuiſſe dicitur 2. congios Atticos, *μέτρον δέ ἐςι τȣ̃το ἐπιχώριον δύο χόας Ἀττικȣ̀ς δεχόμενον* Duo autem *Congii Attici* faciunt 12. *Sextarios.* Breuiter. *Hin* erat $\frac{1}{6}$. *Bathi. Eiſenſchmid de Pond. & Menſ.* p. 87. 170. pro *Hin* ponit 337. pollices Pariſinos cubicos, qui reducti ad menſuras vini Tiguri uſuales dant 2. menſuras $\frac{2}{9}$. dimidiæ menſuræ agreſtis, ſiue menſuras 2. unam dimidiam, & $\frac{1}{4}$. quartalis menſuræ urbicæ. Dat proin $\frac{1}{4}$. olei contuſi pro Holocauſto quotidiano, ſiue ſacrificio tum veſpertino tum matutino inſumendi $\frac{1}{2}$. menſuram cum $\frac{1}{18}$. quartalis menſuræ agreſtis, ſiue $\frac{1}{2}$. menſuram cum $\frac{1}{16}$. quartalis menſuræ urbicæ, & tantundem vini pro libamine. *Decima* porrò *pars Similaginis* עִשָּׂרֹן fuit Hebræis $\frac{1}{10}$. Ephæ, dicta alio nomine *Homer* & *Gomor*. Hebræum quidem vocabulum generaliter notat *decimam, decimationem*, ſed ſubintelligendum *Epha*. *Joſephus* L. III. c. 7. VIII. c. 2. ſeruat Hebræum עִשָּׂרוֹן in voce Ἀσσαρίον. Reduximus autem jam ſupra in Hiſtoria Mannæ Homer ad $1\frac{3}{4}\frac{5}{2}\frac{1}{5}$. menſuræ modicæ, ſeu modioli; nobis *Mässlein.* Patet ex præciſa menſurarum hac explicatione, potuiſſe, vel per *παρένθεσιν*, vernaculam noſtram Verſionem ponere loco expreſſionis vagæ, *der zehende Theil Semelmehls*, ſaltem Gloſſæ loco apponere, *der zehende Theil* (eines Epha) *Semelmehls* ſicut reuerà ita ſe explicauit Num. XV. 4. Apud Judæos non tam fuit neceſſaria hæc ideæ vagæ explanatio, quia cognita ſatis per ſubintellectionem Ephæ, quemadmodum nobis Germanis ein *Ohrt* ſignificat $\frac{1}{4}$. Floreni, *ein Viertel* $\frac{1}{4}$. modii, ruſticis noſtratibus tabernas viſitaturis *ein halbe* $\frac{1}{2}$. menſuram. Quam heic exhibeo Iconem, fundata eſt Calculo Mathematico, qui dat 582336. Lineas cubicas Pariſinas pro Hin, & pro $\frac{1}{4}$. Hin 145584. proin ibi pro Cubi latere $6''\frac{9}{10}$. hic $4''. 4\frac{1}{2}'''$.



EXODI Cap. XXIX. v. 40.
Hin.

II. Buch Moſis Cap. XXIX. v. 40.
Hin.

I. A. Corvinus sculps.

RPJCB

RPJCB



Exodi Cap. XXX. v. 1. 2.
Ara Suffimenti ex Lundio.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 1. 2.
Rauch-Altar nach Lundio.

G. D. Heüman sculps.

JCB

TAB. CCVIII




EXODI Cap. XXX. v. 1. 2.
Ara Suſſimenti juxta Scacchi.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 1. 2.
Rauch-Altar aus Scacchi.

G. D. Heüman sculp

JCB



EXODI Cap. XXX. v. 1. 2.
Ara Suffimenti ſecundum alios.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 1. 2.
Der Rauch-Altar bey anderen.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCVII. CCVIII. CCIX.

Exod. Cap. XXX. verſ. 1. 2.

Aram quoque facies ad incendendum ſuffimentum, de Lignis Sitim facies eam.

Cubitum habebit longitudo ejus, cubitumque latitudo ejus, quadrata erit: cujus altitudo duos habebit Cubitos, cornuaque ejus ex ipſa erunt.

Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim.

Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent.

DE *Lignis Sitim* egimus alibi. Fuit *Aræ* hujus figura prismatica, baſi ima & ſuprema quadrata, latus hujus Quadrati cubitale, id eſt, 1. ped. 7. poll. $10\frac{2}{5}$. lin. menſuræ Pariſinæ duodecimalis, 1. ped. 7. poll. $7\frac{61}{67}$. menſuræ Tigurinæ decimalis, ſiue, rotundo numero 1. ped. 7. poll. 8. lin. Altitudo bicubitalis, id eſt, 3. ped 3. poll. $8\frac{4}{5}$. lin. menſuræ Pariſinæ, 3. ped. 3. poll. 4. lin. Tigurinæ. Fuit proin Area, cui ſuffimentum imponi debebat, Cubitus Hebraicus quadratus, ſiue 2. ped. 106. poll. $98\frac{14}{25}$. lin. menſ. Pariſ. 3. ped. 13. poll. $87\frac{657}{4489}$. Tigur. Qui capacitatem deſiderat integram, habebit facilè, multiplicando quadratam hanc Aream cum altitudine. Locata autem fuit hæc ſuffimenti Ara non in SanctoSanctorum, quod voluit *Auguſtinus*, ſed in Sancto, *ante velum, quod eſt juxta Arcam Teſtimonii* Exod XXX. 6. *(poneſque altare contra velum quod ante arcam pendet teſtimonii coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, ubi loquar tibi). Cornua* in quatuor Angulis Aræ erant continuum quid cum ipſo corpore Aræ.

De ſtructura hujus *Aræ* non eadem ſentiunt omnes, *Lundii Jüd. Heiligth.* L. I. c. 25. mentem ſiſtit Fig. A. Priſma nempe quadrangulum, ejus, quam Textus præſcribit, dimenſionis. In ſummo fuit Area, ἐσχάρα, plana, coronâ cincta. In medio hujus Areæ quadratæ vaſculum perforatum conſpicitur, quod prunis ex Altari deſumptis implebant, ut iis ſuffimenta inſpergerent, pro quo alii faciunt Craticulam, rete perforatum. In quatuor angulis eriguntur Cornua, columnularum etiam priſmaticarum figurâ, corpori ipſius Aræ continua, quibus raro adſpergebatur aliquid ſanguinis. *Scacchus Sacr. Elæochriſm. Myroth.* II. c. 47. (Fig. B.) locat in medio Areæ *craticulæ* loco, quam habet Vulgata, Nos *Tectum*, Foculum aureum rotundum, ſed integrum, non perforatum, intra quem Carbones cum Thymiamate injicerentur, ἐσχάρα χρύσεα ὑπὲρ ἀνεστῶσα ἔχουσα κατὰ γονίαν ἑκάστην στέφανον, *foculus aureus corona aurea circumquaque cinctus. Joſeph. Ant.* L. III. c. 7. vel 10. *Cornua Scacchus* habet arietina, ut in Altari Holocauſtorum. Aliam formam videre licet in Fig. C. prouti eam habet Author Templi Solomonei Londini publicè. A. 1725. demonſtrati.

TAB.

TAB. CCX.

Exod. Cap. XXX. verſ. 23. 24. 25.

23. Sume tibi odoramenta præſtantiſſima, Myrrhæ ſponte fluentis quingentos, Cinamomi aromatici dimidium ejus, nempe ducentos quinquaginta, & Calami aromatici ducentos quinquaginta.

24. Caſiæ verò quingentos ſecundum Siclum Sanctuarii, & Hin Olei de Olea.

25. Ex hoc conficies Oleum unctionis Sanctum, Unguentum confectum opere unguentarii, eritque Oleum unctionis ſanctæ.

23. Sume tibi Aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta.

24. Caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii, oleum de olivetis menſuram Hin.

25. Faciesque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum, opere unguentarii.

Mira narrant Galli de *Ampulla* illa *Sancta* οὐρανοπετεῖ, *oleove Sancto*, quod in S. Remigii Abbatia religiosè adſeruari, & adhucdum coronandis Regibus, ſiue inaugurandis impendi ſolet, ex Cœlo, ſi Hiſtoriæ fides, per Angelum, vel columbam ad Remigium delatum, quo Chriſtianiſſimorum Regum ProRex *Clodovæus*. A. 499. inungi debuerit. Illis ego linquo oleum hocce properans ad Olei ſeu Unguenti deſcriptionem, cujus ingredientia equidem terrigena ſunt, ſed ipſa præſcriptionis formula diuinæ originis. Nam v. 22. legimus: *Et loquutus eſt* DOMINUS *ad Moſen dicens.* Viſuri ordine ſumus ingredientia, & Formulam ipſam, ejusque præparationem juxta Pharmaceuticæ Artis Regulas explanaturi. Materia tantò dignior explanatione noſtra, quod Interpretes in diuerſas eant partes.

Primum Sacri Chrismatis ingrediens eſt מוֹר *Mor*, quod *Maimonidi* & Rabbinis aliis eſt *Muſcus*, *Moſchus*, collectus ex Sanguine, Renibus & Teſtibus Animalis Moſchiferi, quod Capreolo ſimile faciunt. Habent LXX. σμύρνην ἐκλεκτὴν, & ita non ſolum Judæorum doctiſſimorum quiuis, verùm & Europææ Verſiones pleræque reddunt *Myrrham*. Myrrham Arabes moderni vocant *mürr*, Turcæ mürri ſafi: & in genere *mürr* notat amarum. Meninzk. Lex. 4538. Fruticem eſſe, qui pretioſam hanc dat Reſinam, colligere licet ex Cant. V. 1. ubi ita Sponſus cœleſtis ad Eccleſiam. *Veni equidem ad Hortum meum ô Soror mea ſponſa, diſtrinxi Myrrham meam cum aromate (Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.)* Congruit & *Myrrhæ* uſitata vox Hebræo מוֹר. Sed eſt hic Frutex Botanicis hodiernis parum cognitus, creſcit apud Arabes, Sabæos, & Abyſſiniæ incolas, proin ex utroque Maris Rubri littore. Picturam, quam dedi in Comm. in Geneſin, mutuò petii ex *Pomet. Hiſt des Drog.* P. I. p. 252. *Plinius* L. XII. c. 15. ita deſcribit. *Arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſſiore quam Thuris, & ab radice etiam, quam reliqua ſui parte corticem lævem ſimilemque Unedoni: ſcabrum alii ſpinoſumque dixere: Folium oliuæ, verum criſpius & aculeatum. Juba Oluſatri. Aliqui ſimilem Junipero ſcabriorem tantum, ſpinisque horridam, folio rotundiore, ſed ſapore Juniperi - Inciduntur bis & ipſæ iisdemque temporibus, ſed à radice usque ad ramos, qui valent, ſudant autem ſponte prius, quam incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur.* *Dioſcorides* L. I. c. 78. Arborem myrrhiferam facit Ægyptiæ Spinæ haud diſſimilem, ὅμοιον τῇ Αἰγυπτιακῇ Ἀκάνθῃ. & Lacrymam optimam, eamque Troglodyticam, *Stacten* ϛάκτην, nuncupat, deteriori nota ſignans *Caucalidem* καυκαλίδα, & *ergaſimam*, ἐργασίμην. Optima, quam ſeligi vult, eſt ei *ſplendens, ſubuiridis ac mordens*, ὑπόχλωρος καὶ δηκτικὴ διαυγὴς, ἐκλέγε δὲ &c. *Eligenda eſt*, ita pergit, *recens ſqualore obſita, leuis, undique concolor, quæ confracta venas unguium modo candidas & læues oſtendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens.* Et eſt, de quo non dubitare licet, Myrrha, de qua heic, ipſa Veterum ſtacte, in lacrymas ſponte fluens, hinc emphatice מוֹר דְּרוֹר *mor deror, ſponte fluens*, nuncupata, qualis hodie ad nos vix defertur, σμύρνα πρώτη, *primaria Hippocrati* περὶ ἐπικυνήσεως. Verbo, genuina & ſelectiſſima. Adulterabatur enim

jam



Exodi Cap. XXX. v. 23. 24. 25.
Elæochriſma ſacrum.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 23. 24. 25.
Salb-Oele aus Mor, Myrrhen, Biſem.

Joh Daniel Hertz sculps

RPJCB

JCB



EXODI Cap. XXX. v. 23.
Cinnamomum, Calamus aromaticus.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 23.
Zimmet und Calmus.

I.G. Pintz sculps.

UCB



EXODI Cap. XXX. v. 23. 24.
Calamus aromaticus, Casia.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 23. 24.
Calmus, Caſien, Zimmet.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB

TAB. CCXIII.



Exodi Cap. XXX. v. 23. 24.
Caſsia, Iris Florentina.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 23. 24.
Caſten, Florent-Veiel-Wurtz.

I. G. Pintz sculps.

jam olim, teſtibus *Dioſcoride & Plinio* macerato gummi Aqua, in qua maduerit Myrrha: item Lentiſci glebis Cucumeris ſucco amaritudinis cauſa, ſicuti ponderis, ſpuma Argenti. Myrrhiferam Arborem iterum ſiſto Fig. A. Moſchiferum autem Animal Fig. M.

TAB. CCXI. CCXII. CCXIII.

SEcundum Sacri Olei ingrediens eſt קִנָּמֹן quod LXX. vertunt κιννάμωμον, & κιννάμωνον, unde & noſtrum *Cinnamomum*, *Zimmet*, quo & in Verſione noſtra utimur, originem ſuam habet. De hoc Aromate multas inter ſe lites ſerunt Critici, & multus inprimis in eo eſt *Salmaſius in Solin.* 919. 920. & Hyl. Jatric. p. 139. ut oſtendat, *Cinnamomum modernorum* non eſſe verum Veterum *Cinnamomum*, ſed *Caſiam Fiſtulam*, κασίαν σύριγγα. Ubi notandum probè, non poſſe nobis circa veri Cinnamomi deſcriptionem facere ſatis ſcriptores veteres, ſeu Romani fuerint, ſeu Græci, quia Arbor hæc creſcit, in Inſula *Ceylon*, atque Littoribus *Malabaricis* & *Javanicis*, unde habere poterant jam olim Arabes, & ſub Schemate falſarum traditionum, forte in commercii fauorem, transtulerunt ad Europæos. Palpabilem certè redolet Fabulam, quam inde ab *Herodoti* temporibus crediderant Veteres, dejici ramulos (nam olim non in cortice, ſed ramulis translatum & venditum Cinnamomum) aromatis hujus præſtantiſſimi è nido Phœnicis, unde apud *Statium*

- - - Phariæque exempta volucri
Cinnama.

& *Martialem*

Quod ſemper Caſiaque, Cinnamoque,
Et nido niger alitis ſuperbæ
Flagras plumbea Nicerotiana.

Qui veram Cinnamomi deſcriptionem deſiderat, adeat *Garciam ab Horto*, *Monardem*, *Knoxium*, *Ceylon. Reisbeſchr.* qui 20. annos in Inſula Ceylon transegit, Hortum *Malabaricum*, *Jürgen Anderſen Orient. Reisbeſchreib. Sina* c. 15. *Herport. Oſt-Ind. Reis.* p. 184. & ſubſcribet facile *Rajo Hiſt. Plant.* 1559. vel idem eſſe cum *Cinnamomo* modernorum *Cinnamomum* & *Caſſiam* veterum, vel haud adeò multùm differre, quin ſub eodem genere collocari poſſint. Non vacat heic collationi inhærere diu, tantò minus autem id neceſſe eſt, quia Veteribus vix allatum quid de Arbore fuerit, præter ſurculos, vel etiam corticem. Noſtra *Canella ſeu Cinnamomum vulgare* J. B. *Hiſt. Plant.* L. IV. p. 446. *Cinnamomum ſiue Canella Malabarica & Javanenſis* C. B. ex *Garciæ* deſcriptione *magnitudine eſt oleæ, interdum minor, multis ramis prædita, rectis ferme, foliis Lauri quidem colore, ſed forma ad Citri folia accedente, floribus candidis, fructu nigro & rotundo, Avellanæ magnitudine, aut exiguis Olivis ſimili. Canella ipſa eſt ſecundus ſeu interior Arboris cortex.* Recentiores, quos inter Cel. *Hermannus*, qui aliquot annis in Inſula Ceylon degit, fructus Laurinis comparant, unde hæc Arbor *Laurus* audit *Ceylanica baccis caliculatis* laudatiſſimo Botanico, & in *Mat. Med.* ſimpliciter *Arbor baccifera calyculata nucleo quercino.* Amplam inprimis deſcriptionem dat *Hort. Malabar.* T. I. Tab. 57. Lignum candicans eſt, ferme inodorum. Pretioſus inprimis Radicis cortex, ex quo parari ſolet *Oleum Cinnamomi*, & *Camphoræ* ſpecies, quæ ipſum eſt Sal Arboris volatile. Et forte ipſe fuit Radicis potius, quàm Trunci cortex קִנָּמֹן illud בְּשֶׂם LXX. κιννάμωμον εὐῶδες, quo uſus Moſes ad ſacrum Chriſma. Cinnamomum idque Ceylonenſe ſiſtit Fig. B.

Tertium Aroma eſt קָנֶה *Kaneh*, κάλαμος, & plerisque Interpretibus Europæis *Calamus*, *Kalmes*, isque בֹּשֶׂם *boſem* præſtantiſſimus, Indicus, vel Orientalis alius εὐώδης. Eſt autem, definiente *Dioſcoride*, L. I. c. 17. *optimus, qui fuluus, denſe geniculatus, qui aſſulosè frangitur, plena araneorum fiſtula, albicans, lentus in mandendo, & aſtringens, ac cum aliquanta acrimonia amarus*, Κιῤῥὸς, πυκνογόνατος, καὶ εἰς πολλὰς σκινδαλμὰς θραυόμενος, γέμων ἀραχνίων τὸν σύριγγα, ὑπόλευκος, ἐν τῇ διαμασσήσει γλισχρὸς, συπτικὸς, ὑποδριμὺς. Et *Plinius* L. XII. c. 22. tum de ſelectu aromatici Calami, tum de loco, quamuis Syriacum cum Indico ignoranter eum miſcuiſſe judicet *Guilandinus*. *Calamus odoratus in Arabia naſcens communis Indis atque Syriæ eſt — inter Libanum montem, aliumque ignobilem, non (ut quidam exiſtimauere) Antilibanum, in conualle modica juxta Lacum, cujus paluſtria Æſtate ſiccantur, - Calamus præſtantior odore ſtatim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliorque, qui minus fragilis, & qui aſſulosè potius quàm Raphani modo frangitur. Ineſt Fiſtulæ araneum, quod vocant florem. Præſtantior eſt, cui numeroſius. Reliqua probatio, ut niger ſit. Damnatur aliubi. Melior, quo breuior & craſſior, lentusque in frangendo.* Si cui in hac materia fides debetur, habenda eſt diligentiſſimo Plantarum Orientalium indagatori *Alpino*, qui *Plant. Exot.* L. II. c. 7. *Calamum aromaticum* veterum eundem vult cum *Caſſabel darrirà* in Ægypto, Judæa circa Lacum Geneſareticum & Syriæ multis locis familiari. Semicubitalis is & amplior frutex, ferens ab radice caulem lon-

longum, geniculatum, fere ex toto rotundum, cauum, intus habentem medullam albam, ut Sambucus, colore fulueſcentem, & eoque ex appoſito ramuli exeunt recti geniculati, è quibus geniculis in cauliculo utrinque duo ramuli exeunt ſubtiles flores ferentes magnitudine & figura florum in Lyſimachia lutea, à quibus ſuccedunt parui folliculi oblongi in acutum deſinentes, nigri, ſemen nigrum & minutum continentes, folia verò bina in ſingulis caulium geniculis utrinque ex oppoſito poſita cernuntur, oblonga, lata, inferius in acutum deſinentia, ſine petiolis adhærentia cernuntur, Lyſimachiæ foliis ſimilia, ſed minora tamen: Radix eſt craſſa, longa, in acutum terminans. Hæc Planta videtur ſimilis ex toto luteæ Lyſimachiæ. Caules iſtius Plantæ craſſiores non ſuperant craſſitiem digiti minoris, intusque cauitatem plenam habent medulla alba, ut in Sambuco, quibus caulibus ſicceſcentibus medulla ipſorum plurimum ſiccata, ut calami, caui euadunt, fulueſcunt colore, ſunt geniculati, facile franguntur, intusque habent medullarem ſubſtantiam albam, quæ in ore agitata lenteſcit: inodori ſunt, vel exigui admodum, neque ingrati, præſertim radix: Lignum cum aliquanta acrimonia eſt amarum. Ægyptii & Arabes caulibus pro Calamo aromatico uſi ſunt, & utuntur. Conferatur idem *Alpinus de Medic. Ægypt.* L. IV. p. 137. b. v. Fig. C. *Calamus* autem *aromaticus* recentiorum exhibetur Fig. D. in Tab. CCXII. Videantur fuſius *Joh. Bauhin. Hiſt. Plant.* L. XIX. c. 18. *Salmaſ. in Solin.* 939. *Hyl. Jatric.* 125. qui cum aliis benè multis recentioribus exiſtimat, *Calamum Aromaticum officinarum* non eſſe *Calamum* veterum, ſed potius eorum *Acorum*, & *in Solin.* 105. non fuiſſe alium, quàm *Indicum*, & ipſum, quem vocauerint *Syriacum* & *Arabicum*, ex Indiis allatum. *Bocharto* contra *Hieroz.* P. II. L. V. c. 6. aſſerente, & optimis quidem rationibus, non ſolùm creuiſſe in India, ſed & in Arabiæ parte aromatifera, quam *Dionyſius Periegetes* v. 937. odorem exhalare ſcribit.

Ἤ θύα, ἢ σμύρνης, ἢ εὐόδμȣ καλάμοιο,

Aut Thuris, aut Myrrhæ, aut odorati
Calami.

Unde *Feſtus Avienus.*

\- - - - - hic Ladani vim
Vellera defundunt, calami coma pullulat almi.

Et *Priſcianus.*

Namque Thyo, Myrrhaque viget, cum Thuris odore.
Et Caſia, nec non & Cannæ dulcis odore.

Hinc *Calamum odoratum* vocat *Arabicum Plutarch. Lib. quod Bruta Ratione utantur.* Hujusmodi teſtimonia alia habet *Agatharchides*, *Diodorus.* L. III. p. 125. *Strabo* L. XVI. Et ipſe tandem noſter Textus ſatis inſinuat, Moſis æuo Calamum fuiſſe notum, licet Indiam tum fuiſſe apertam vix ſit vero ſimile. Hoc interim non obſtat, quò minus *Indico* ſua debeatur prærogatiua, & poſt hunc *Arabico* & *Sabæo*, poſt Arabicum *Syriaco.* Conſtat quippe, tantò eſſe præſtantiora Aromata, quò magis Æquatori appropinquant Regiones, neque ſunt obſcuræ rationes Phyſicæ.

Ultimum ſiccorum ingredientium, quibus oleum ſacrum conſtat, eſt קִדָּה *Kiddah*, quæ vox non uno explicatur modo. *Joſephus Ant.* L. III. c. 9. & LXX. habent ἶριν, quo quidem nomine intelligere poſſumus *Iridis* ſpeciem quandam aromatici vel odoris, vel ſaporis, qualis eſt *Iris Florentina* violam redolens, in omnem Europam ex Ducatu Florentino transferri ſolita. Placet *Caſia*, *Caſien*, *Luthero*, *Vulgato*, *Münſtero*, *Pagnino*, *Junio*, *Tremellio*, *Bonfrerio*, *Judæis* multis, *Clerico*, nobisque in utraque Verſione *Tigurinis.* *Zingiber Scaccho Sacr. Elæochr. Myroth.* II. c. 11. *Odoratas*, εὐώδεις, Iridis *radices* memorat quoque *Dioſcorides* L. I. c. 1. & *Caſſiam*, quæ plerisque placet Interpretibus, ita deſcribit L. I. c. 12. Κασσίας ἐςὶ &c. *Caſſia, cujus complura ſunt genera juxta odoriferam Arabiam gignitur, craſſi corticis ſarmento, foliis Piperis. Eligenda eſt fulueſcens, pulchri coloris, Coralli æmula, perquam anguſta, longa, craſſa, & fiſtuloſa, guſtu mordens, & cum aliquanto feruore adſtringens, aromatica, vinoſo odore, cujusmodi eſt, quæ ab incolis* actys *cognominatur, ab Alexandriæ negotiatoribus* daphnitis. *Huic præfertur purpurea, craſſa, & nigricans*, Zigir *cognomine, quæ Roſam odore imitatur.* Huic jungimus *Plinium* L. XII. c. 19. *Frutex & Caſia eſt, juxtaque Cinnami campos naſcitur, ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius quàm cortice —— Amplitudo fruticis trium cubitorum, Color triplex. Cum primum emicat, candidus pedali menſura: deinde rubeſcit, addito ſemipede, ultra nigricans —— Probatur recens maximè, & quæ ſit odoris molliſſimi, guſtuue quam maximè feruens potius, quàm lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fiſtula, & non fragili.* Lactam *vocant talem barbaro nomine. Alia eſt* balſamodes, *ab odore ſimili appellata, ſed amara, ideoque utilior Medicis, ſicut nigra unguentis.* Excurrerem nimiùm, ſi, quæ de *Caſſia* habent moderni, huc afferrem, imò verò dubia accumularem. *Rajus Hiſt. Plant.* p. 1559. veſtigia ſecutus *Garciæ ab Horto*, *Monardis*, *Scaligeri*, *Amati*, Veterum & Recentiorum *Cinnamomum*, nec non *Caſſiam* eorundem pro una eademque re habet. Sed ſi קִנָּמֹן *Cinnamomum* & קִדָּה Caſſia eſt, conſtat ex ipſo noſtro Textu, fuiſſe res diuerſas, niſi ejusdem Arboris velis diuerſas partes, Lignum e. g. fuiſſe & Corticem, vel Surculos extremos. Hodie triplex fere

fere cognita eſt *Caſſia, Lignea, Fiſtula* & Caryophyllata. Et קִדָּה ſi Caſſia eſt, erit *Lignea*, Malabaricæ nempe ſeu Sumatrenſis bacciferæ Cortex, Cinnamomi in modum conuolutus, Cinnamomo craſſior, odore & ſapore debilior, cum majore aliquantum lentore. Quam differre dicit *Hermannus Mat. Med.* p. 94. à Cinnamomo nonniſi loco natali. Interim heic ex *horto Malabarico* T. I. Tab. 57. Siſto *Canellam Malabaricam Carua* dictam Fig. E. & inſuper addo ex *Hermanni* diligentiſſimi Plantarum Ceylonenſium Obſeruatoris ſcriptis, ipſam *Cinnamomum* Arborem non unius generis dare *Oleum* (nam ad olea heic inprimis attendendum) deſtillari nempe ex Radicis Cortice Camphoram & Oleum: ex Trunci Cortice Oleum, quod vocamus Cinnamomi, ex foliis Oleum Caryophyllorum: ex fructibus Oleum Juniperino ſimile cum pauxillo Cinnamomi ac Caryophyllorum mixtum: & ex his excoqui Oleum pingue, craſſum, inſtar Ceræ, ad Emplaſtra, Unguenta ac Candelas conficiendas commodiſſimum, medicamentumue anodynum. *Caſſiam* ex *Pometo* ſiſtit Fig. F. titulo *Caſſiæ caryophyllatæ*, & *Sylveſtris* G. *Iridem Florentinam* Fig. H. Tab. CCXIII.

Vidimus compoſitionis Sacræ *Hagielæochriſmatis*, Ingredientia ſicca, *Stacten*, *Cinnamomum*, *Calamum aromaticum*, *Caſſiam*. Reducamus nunc pondus præſcriptum ab ipſo DEO. Myrrhæ ſelectæ ſiue Stactes ſumi debebant Sicli 500. Horum unus ſi æqualis eſt 3. Drachmis, 2. Scrupulis, 8, 90. granis, erit pondus totale Librarum 19. unciarum 10. drachmarum 3. ſcrupuli 1. gr. 10. Scilicet tum Myrrhæ, tum Caſſiæ; Cinnamomi vero & Calami ana dimidium, nempe Libr. 9. unc. 11. drachm. 1. ſcrup. 1. gr. 10. omnium verò ſumma Libr. 59. unc. 7. drachm. 2. ſcrup. & gran. 0.

His adde *Hin* olei ſiue $\frac{1}{6}$. Bathi, quod vidimus jam ſupra æquale 337. digitis Cubicis Pariſinis, 2. menſuris $\frac{2}{9}$. dimidiis menſuris menſuræ Tigurinæ agreſtis, ſiue 2. menſuris, dimidiæ menſuræ, & $\frac{1}{4}$. quartalis menſuræ Tigurinæ urbicæ. Sumebant Judæi pro Hin 72. ouorum capacitatem. Debebant porrò omnia hæc combinari juxta Artis Pharmaceuticæ regulas: *ex hoc conficies oleum unctionis ſanctum, unguentum confectum opere unguentarii, eritque oleum unctionis ſanctæ.* Ex Talmudico opere *Maſech Kerith* & *Maimonide* ita hæc interpretatur *Schikardus Jur. Reg. Hebræor.* quod ſingulæ primùm ſpecies ſeorſim fuerint pulueriſatæ, poſt inuicem mixtæ, in Aqua limpida maceratæ, donec fuerit vis omnis extracta, hinc affuſum oleum, & omne coctum ad euaporationem Aquæ, ut omnis Aromatum virtus concentrata fuerit in oleo. Conjectaueris inſuper, maſſam totalem fuiſſe coctione peracta forti prelo expreſſam, nec prodiiſſe niſi unicum Hin olei aromatiſati. Verum enim verô naſcuntur ex hoc Proceſſu varia dubia, & concedent haud ægrè Sacri Codicis Sacri Interpretes, ut eos adducam ad ipſas Pharmaceuticas officinas.

Conſtant aromaticæ, de quibus hactenus, Radices, Cortices & Reſinæ, partibus ſubtilibus volatilibus oleoſis & reſinoſis, quibus extrahendis non ſufficit unius generis Menſtruum: quæ Salinæ ſunt volatiles, extrahi poſſunt Aquâ, ſed reſinoſæ vino opus habent, imo Spiritu Vini. Et pone, extractas fuiſſe omnes particulas Aquâ, concedes, ſi vel ſolam attendes Aquæ Cinnamomi deſtillationem, auolaſſe præſtantiſſimas quasque in auram, & parum, vel nihil, reſediſſe in oleo. Fuit itaque hæc, de qua Talmudici, coctio ſuperuacanea, imò Regulis Artis contraria. Verùm enimuero ſubjiciamus quoque Examini proportionem ſiccorum pulueriſatorum ad liquida, ſpeciatim Olea. Eſt hæc communiter ut 1. ad 8. ſiue ſub octupla. Sumitur nempe ad unciam Olei drachma una puluerum pro Elæochriſmate. Sed hic omnia videmus inverſa, ſextuplum fere puluerum ad Oleum. Conſidera proin, ita fuiſſe neceſſariò pulueres, ſupra ad calculum reductos, in unico Olei Hin abſorptos, ut poſteà fortiſſimâ licet preſſurâ vix prodiiſſet unicum Hin. Hinc ſubnaſcitur cogitatio, quòd aut maſſam dederint duntaxat ſicca, cui poſt primam expreſſionem Olei nouum fuerit affuſum Hin, & ſic porro, usque dum omnis virtus fuerit extracta: vel, non intelligi debere 500. & 250. ſiclos, quorum non fit expreſſa mentio in Scriptura, ſed potius *Gerah* ſiue $\frac{1}{20}$. ſicli: ſic obtinebimus

	unc.		drachm.		gran.
Stactes	11.	—	7.	—	$22\frac{1}{2}$.
Caſſiæ	11.	—	7.	—	$22\frac{1}{2}$.
Cinnamomi	5.	—	7.	—	$41\frac{1}{4}$.
Calami	5.	—	7.	—	$41\frac{1}{4}$.
Summa.	35.	—	6.	—	7.

Pone nunc pro Hin Olei uncias 123. prodibit proportio ad pulueres ut $3\frac{1}{2}$. ad 1. & ſtabit Textus interpretatio juxta Artis Pharmaceuticæ Regulas. Pugnare equidem prima fronte videtur hæc mea interpretatio cum v. 24. ubi expreſſe pondus accommodandum dicatur *juxta Siclum Sanctuarii (in pondere ſanctuarii)* Sed regero, poſſe expreſſionem hanc non minus quadrare $\frac{1}{20}$. Siclis, quàm integro Siclo, ut præceperit Summus Legiſlator pondus exquiſitum, vel Gerah ſeu viceſimarum Sicli partium commutationem in integros Siclos, nempe 25. & 50. præciſè. *Wedelius Cent.* II. *Dec.* III. *Exercit.* IV. Siclos ſeruat, ſed numerum pretio potius ſeu valori accommodat, quàm Ponderi Pharmaceutico. Manet *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 195. in Siclorum numero, & ipſa Librarum 12. olei ad Specierum Libras 62. proportione, & ad Artis Chymicæ Regulas confugit, quæ jubet infundere omnia & coquere vaſe clauſo,


hinc exprimere organis, idemque repetere, ſic quaſi cohobare, & denuò factâ maceratione exprimere, & inſuper in ſubſidium vocat Deſtillationem, quæ etiam ſit coctio, proliciens ex Libris 10. Cinnamomi Olei drachmas 10. ex Calami aromaticis Libris 10. drachmas totidem, vel plures, ex Caſiæ Libris XX. drachmas totidem, vel plures. Hæc dehinc Olea fuiſſe Oleo Oliuarum mixta. Et hoc fuiſſe χρῖσμα illud εὐωδέςατον, ut *Philoni* elucet *Lib. de vita Moſis*, ſuaue olentiſſimum confectum arte unguentaria. Cui Oleorum aromaticorum prolectioni viam ſternere poterat præuia Specierum cum vino maceratio, harumque compagem recludere.

De præſtantia odoratiſſimi hujus ἱερελαίȣ judicare facile eſt tum ex pretio ingredientium, tum ex ipſius Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Fraternæ Charitatis ſiue φιλαδελφίας dulcedinem cum eo comparat Regius Pſaltes Pſ. CXXXIII. 1. 2. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum eſt, ſi fratres etiam cohabitent. Perinde eſt, atque ſi Unguentum bonum capiti (infuſum) deſcendat in barbam, in barbam (inquam) Aharonis, quod deſcendat in capitium veſtimentorum ejus. (Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.)* Unguentum ipſi DEO ſacrum. *Hoc Oleum Unctionis ſanctæ,* ita DEUS ad Moſen, *meum erit per poſteritates veſtras, ſuper carnem Hominis non fundetur, nec talem compoſitionem facietis, qualis hæc eſt, ſancta enim eſt, & ſancta vobis eſto. Quicunque tale confecerit, aut qui poſuerit de hoc ſuper alienum, excindetur populo ſuo.* Exod. XXX. 31. 32. *(Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud: quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex alieno, exterminabitur de populo ſuo.)* Sacris nempe Uſibus unicè deſtinabatur, eoque inungi debebant *tentorium Conuentionis, & Arca Teſtimonii, & Menſa, & omnia Inſtrumenta ejus, Ara quoque Incenſi, ſed & Ara Holocauſti, & omnia Inſtrumenta ejus, Labrum & baſis ejus.* Exod. XXX. 26. 27. 28. *(Et unges ex eo tabernaculum teſtimonii, & arcam teſtamenti: Menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia ejus, altaria thymiamatis: Et holocauſti, & uniuerſam ſuppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet.)* Ipſe inſuper *Aharo, & filii ejus, conſecrandi, ut DEO ſacerdotio fungantur.* Exod. XXX. 30. *(Aaron & filios ejus unges, ſanctificabisque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.)* Poſteris quidem temporibus inaugurabantur eo duntaxat ſummi Sacerdotes, Aharonis ſucceſſores, & *unctus Belli*, quo nomine veniebat Sacerdos, qui populum in Bello ad Virtutem ſtimulare debebat, & remittere domum eos, qui juxtà Legem domi ſuæ manere poterant. Imò & *Reges, David, Salomon*, hinc *uncti* DOMINI vocati. Aliis, quorum potius quàm mei eſt fori, decidendas linquo Quæſtiones circa hoc ἱεροχρίσμα; an & *Saul* & Reges Iſraelitici, & Prophetæ, & Clypei, eo fuerint uncti? an præter Aharonem etiam Sacerdotes alii? an Sacrum hoc Unguentum ſemel duntaxat à Moſe fuerit confectum, & ad ſecundum usque Templum Miraculo conſeruatum, vaſe ſemper repleto? quæ Talmudiſtarum ſunt ſomnia, Miracula præter neceſſitatem multiplicantium. Primam hanc compoſitionem ſi attentius inſpexeris, vix primæ unctioni ſuffeciſſe dixeris, ut proin vero quàm minimè ſit ſimile, toties de nouo fuiſſe confectum, quoties id poſtulauit neceſſitas.

Mei potius eſt fori indagatio cauſarum Phyſicarum Unctionum adeò frequentium apud Populos Orientales, imò & Occidentales, ad Indiam usque utramque, quæ & ex Aſia tranſiere in Italiam ad Romanos. Corpora quod attinet inanimata, Tentorium, Arcam, Menſam, Vaſa, exiſtimauerim, inuncta fuiſſe, ut arcerentur ab iis Inſecta, in Arabico Deſerto inprimis frequentia, ne inquinarentur horum ſordibus, vel ut, ſi ſacris hiſce corporibus inſiderent, audaciam morte luerent. Erat id tantò neceſſarium magis, quoniam in dies multa mactabantur in area ſubdiali ſacrificia, quibus neceſſariò innumera Muſcarum genera fuere allecta. Conſtat ex moderna præprimis Phyſica Experimentali, eſſe omne Oleum omni Inſecto nociuum, imo lethale, utpote quo oſcula Tracheæ per totum Corpus expanſæ reſpiratoria oblinuntur & clauduntur, ut Aeri omnis denegetur ad vitalia Organa acceſſus. Præterea ſeruabatur omnibus vaſis ſacris nitor, & arcebatur Ærugo. Hominibus ipſis maxima adferunt commoda unctiones in feruidis illis Climatibus: impeditur nimia Tranſpiratio, promouetur motus Sanguinis & Spirituum, arcentur Inſecta, munda & lubrica ſeruatur cutis. Hinc eſt, quod Unctiones hujusmodi non tam inuentæ ſint, & in uſum tractæ propter Corporis delicatam mollitiem, ſed in ipſius Sanitatis commodum. Hinc eſt, quod Hoſpitibus fortè aduenientibus oblata primùm fuerit lotio & unctio tum Capitis, tum Pedum. Sic Famoſa illa Saluatoris *Pedes* præfixo oſculo *unxit Unguento*, πόδας ἤλειψε μύρῳ Luc. VII. 38. Et vitio vertit CHRISTUS Phariſæo illi unctionis hoſpitibus offerri ſolitæ neglectum: ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μȣ ȣ̓κ ἤλειψας. ἄυτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μȣ τȣ̀ς πόδας Luc. VII. 46. Ita, videmus, fundantur ſæpe hujusmodi ritus externi ipsâ Naturâ & Neceſſitate. Excuſabit beneuolus Lector hanc de unctionis uſu digreſſionem, & præſtolabitur commodiori aliâ occaſione ampliorem forſan dilucidationem.

TAB.

PJCB



EXODI Cap. XXX. v. 34. 35.
Nataph, Balsamum.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 34. 35.
Nataph, Balſam-Staude.

H. Sperling sculps.

TAB. CCXIV.

Exod. Cap. XXX. verſ. 34. 35.

Dixit DOMINUS ad Moſen: Sume tibi aromata, Balſamum, Ungulam, (Caballinam) Galbanum, aromata iſta unà cum Thure mundo, quodque ſeorſim, æqualique pondere ſit.

Ex iis facies Suffimentum, Unguentum videlicet opere Unguentarii; commixtum, mundum & ſanctum.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten & onychen, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia.

Faciesque thymiama compoſitum opere unguentarii miſtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum.

OCcurrunt heic inprimis examinanda quatuor diuerſi generis Ingredientia *Suffimenti Sacri*, ſacris, ut Unguentum ſacrum ſupra deſcriptum, uſibus eadem lege deſtinati, qua pœnam exterminationis è populo ſubibat, qui profanis adhibuerit uſibus. *Pones ex eo*, ita rurſus ſupremus Legislator ad Moſen, *coram teſtimonio in Tentorio conuentionis, ubi tibi paciſcar, ſacroſanctum erit vobis. Et ſi ſuffimentum vultis vobis facere, talem commixtionem, qualis illa eſt, ne feceritis, ſanctum enim DOMINO erit. Quicunque talem fecerit, ut eam olfaciat, excindetur è populo ſuo*, v. 36. 37. 38. *(Pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi; Sanctum Sanctorum vobis erit thymiama. Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. Homo quicunque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.)*

Primum *Suffitus* Ingrediens eſt נָטָף *nataph*, quod propriè notat *Guttam*, extillans quid, uti ipſe reſinoſus ſuccus è *Balſamo* Frutice; quem ipſum & Hebræi, & Interpretes pene omnes heic intelligunt, nempe *Judaicum* ſeu *Orientalem*, jucundiſſimo odore præcellentem. De quo audiamus *Plinium* L. XII. c. 25. *Omnibus odoribus præfertur Balſamum, uni Terrarum Judææ conceſſum, quondam in duobus tantùm Hortis, utroque Regio, altero Jugerum XX. non amplius, altero pauciorum.* Creſcebat nempe Balſamum in Horto *Engeddi*, & circa *Hierichuntem*, uti paſſim videre eſt apud *Joſephum Ant.* L. IX. c. 1. XIV. c. 7. XV. c. 5. Sed fallitur in hoc *Plinius*, quod ſoli Judææ hanc Plantam adſcribat. Conſtat quippe ex *Dioſcoride, Strabone, Pauſania*, creſcere & in *Ægypto*, & in *Arabia*. Imo vero eſt quàm maximè ſimile, veram Balſami patriam eſſe *Arabiam*, ex qua tranſlatum fuerit in *Judæam*. Hæc ſanè Judæorum fuit Traditio teſte *Joſepho Ant.* L. VIII. c. 2. λέγουσι ὅτι καὶ τὴν τοῦ Ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. *Ajunt, quod Balſami Plantam, cujus hodieque ferax eſt noſtra Regio, illius Reginæ* (de Saba) *munificentiæ ferre acceptam oporteat.* Fruticem hunc ſequentem in modum deſcribunt αὐτόπται *Bellonius* & *Alpinus*, præferendi longè omnibus Veteribus, qui ſua pleraque ex aliorum relatione habebant. *Arbuſcula eſt*, ita *Alpinus*, qui integro Libro Balſami Hiſtoriam tradidit, *viticoſa, quæ excreſcit ad altitudinem Elhanne, ſeu Liguſtri, vel Cytiſi, folia pauciſſima gerens, Rutæ proxima, non tamen, ut dicebat Dioſcorides, iis candidiora, ſed potius Lentiſci foliis ſimilia cernuntur, ſcilicet colore viridi, ſubalbido, perpetuoque virentia. Ejus lignum gummoſum, leneque apparet, colore exterius ſubrubro, cujus ramuli eodem colore conſpicui ſunt, longi recti, graciles, paucis foliolis ordinatim referti, foliaque ſimul terna, aut quina, aut ſeptena, alæ adnata, aliquo pacto Lentiſci foliorum æmula. Sunt ramuli odorati, gummoſi, digitisque contrectati eis tenaciter adhærentes. Flores fert paruos, albos, Acaciæ floribus proximos, ternos ſingulis appenſos, quaſi in umbellæ forma, ſummè odoratos, à quibus ſemina promanant flaua, folliculis nigris ſubrubeſcentibus contenta, valdè odorata, intusque humorem flauum melli perſimilem habentia, ſapore ſubamaro, parumque acri, Linguam ferientia, Opobalſamumque redolentia, Terebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata, & medium craſſum, obtinentia. Opobalſamum, cùm primum eductum, colore, ut audio, eſt albo, qui paulò poſt in viridem, tertiò in aureum, & demum in melleum mutatur. Ejus ſucci etiam ſubſtantia inprimis turbida craſſaque, ut Oleum ſtatim ab Oliuis expreſſum cernitur, poſtea tenuiſſima atque clariſſi-*

ma, demum in Terebinthi modum craſſeſcit, odore eximio inprimis atque acutiſſimo Terebinthum redolens cum ſuauiore odoris fragrantia cernitur, ſaporeque amaro, acri & adſtringente. Referente *Dappero Afric.* p. 83. Turcæ Meccâ reduces adhuc hodie Balſami Frutices Ægypto inferunt, ibi plantandos. *Opobalſamum* ipſum, de quo integri proſtant *Lobelii, Veslingii, Volkameri* Tractatus, pretioſus eſt Liquor, ſponte menſibus Junio, Julio & Auguſto ex inciſo cortice effluens, Fig. A. adeo pretioſus, ut ab ipſo Turcarum Imperatore Oratoribus exterorum Principum Donarii loco offerri ſoleat. *Busbeq. Sendſchreib.* p. 629. aliàs ſolet adulterari Terebinthinâ Cypriâ, vel etiam ſucco ex ipſis Balſami ſeminibus, vel ramulis expreſſo. Non prætermittendum heic, variare Interpretes circa genuinum ſenſum vocis נָטָף. *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 422. ſecutus LXX. *Pagninum, Junium* & *Tremellium, Stacten*, id eſt, *Myrrhæ ſtillantem guttam* vult hoc inprimis, ſed meo judicio debili argumento contra Balſamum nixus, quòd peregrina eſſe debuerint Suffitus ſacri Ingredientia, ut ſignificaretur Myſterium, id quod in nobis vel ex nobis naſceretur, DEO nos reconciliare, gratosque nos & acceptos reddere non poſſe, ſed per alienam gratiam nos placere DEO. Argumenti hujus valorem ponderandum, iis linquo, qui Theologiæ Typicæ & Myſticæ vel nimium ſunt amantes, vel minus, quorum lites meas haud facio. Imo poſito etiam argumenti valore ſubſiſtit Balſamum, Moſis ætate exoticum; Arabiæ, non Judææ, productum.

TAB. CCXV. CCXVI.

Secundum Thymiamatis Sacri Ingrediens eſt שְׁחֵלֶת *Schecheleth*, vox una ex ἅπαξ λεγομέναις, quæ Interpretes valde torquet. Jeroſolymitana Paraphraſis habet שובלא מוריא *Spicam Myrrhæ*, forte, ut conjectat *Bochart Hieroz.* P. II. L. V. c. 20. pro שובלא דנרדא *Spica Nardi: Jonathan* reddit כשרת *Ceſeth* vel כשתא *Ciſtha*, id eſt, Κίσθος, *Ciſtus*, alii in *Dioſcoride* legunt Κίϛος ſcilicet *ciſtus ladanifera.* Colligi id poteſt ex eo, quod Arabes vocem שְׁחֵלֶת reddant *Ladan* i. e. *Ladanum*, quam vocem dudum pro Arabica agnouit *Herodotus* L. III. quod Ladanum ab eodem inter præcipua ponitur Aromata, *χρήσιμον δ᾽ εἰς πολλὰ τῶν μύρων ἐϛι, θυμιῶσι τε μάλιϛα τȣ̃το Ἀράβιοι.* Addunt rationem Etymologicam ductam ex Radice שחל *attrahere*, quod Ladanum funibus ex Ciſto trahatur. *Dioſcorides.* ἔνιοι καὶ σχοινία ἐπισύρȣσι τοῖς θάμνοις, καὶ τὸ προσπλασθὲν αὐτοῖς λίπος ἀποξύσαντες ἀναπλάσσȣσι. *Nonnulli tractis per frutices funibus inhærentem illis pinguitudinem eradunt, & (in paſtillos) fingunt.* Inſtrumentum virgæ forme duplici ligularum ſeu loramentorum ſerie conſtans, quo adhuc hodie Cretenſes utuntur in Collectione Ladani ſiſtit Fig. b. ex Tournef. voyag. T. I. p. 73. ἐργαϛῆρι vocant ſ. ἐργαϛήριον. *Ciſtum*, de quo heic, λάδανον, *Ladanum* vocat *Dioſc.* L. I. c. 129. quod eſt *Ciſtus Ledon Cretenſe* C. B. Pin. *Ciſtus Ladanifera Cretica flore purpureo.* Tourn. Coroll. Perſarum modernorum *Kæiſus*, quo Ciſtum Ladaniferam nominant, congruit tum Græcorum Κίσθος, tum Chaldæorum *Ceſeth* & *Ciſtah Meninzk Lex.* 3824. ut *Coſto* Turcarum *Kuſt.* Id. 3694. cujus heic damus Iconem Fig. B. licet nulla veri adſit ſpecies, quòd intelligi per hanc Plantam poſſit שְׁחֵלֶת. Deſcribit poſt *Bellonium Ladanum* hoc *Creticum Alpinus Plant. Exot.* p. 89. ita. Hæc Planta fruticat ab una Radice multis ramis longis, lignoſis, duris, ad cubitalem, ac etiam ampliorem altitudinem, Ciſti maris foliis, ſed longioribus, Saluiæ proximis, ramis æqualibus ſpatiis adhærentibus, plerumque ex oppoſito, aut pluribus etiam ab uno exortu prodeuntibus, odoratis, atque per Æſtatem manibus ex quodam lento humore maximè adhærentibus. Flores vero in cauliculorum cacumine exeunt purpurei, Ciſti floribus quàm ſimiles, ſed majores tamen, à quibus Siliquæ paruæ, rotundæ, oblongæ, inuolucro rotundo contentæ, colore nigreſcentes, minuta ſemina nigra continentes. Tota Planta eſt odorata adſtringens cum humiditate viſcida odorata præſertim foliis inhærente verno tempore. Characteres *Ciſti* ex *Tournefortio* ſiſtuntur in margine.

Major Interpretum pars τὸ שְׁחֵלֶת *Unguem* reddunt, Græci ὄνυχα, *Hieronymus onycha:* congruit Chaldæorum טופרא *tuphra*, Syrorum *Taphra*, Arabum *Adphar*, cujus Singulare eſt *Dophor* Talmudicorum צפורן *Tſipporen.* Teſtem habemus ex antiquiſſimis Siracidem Eccleſiaſtic. XXIV. 21. al. 18. Ὡς χαλβάνη, καὶ ὄνυξ, καὶ ϛακτὴ, καὶ ὡς Λιβάνȣ ἀτμὶς ἐν σκηνῇ. *Ut Galbanum, & Onyx, & Stacte, & ut Thuris vapor in Tabernaculo (Et quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, quaſi balſamum non miſtum odor meus.)* Ubi manifeſtiſſimè alluditur ad quatuor noſtri Thymiamatis aromata. *Ungulam* pro *Ungue* habet Tigurina, imò per Parentheſin *Caballinam.* Sed abſque fundamento. Eſt quippe *Ungula Caballina Brunfelſio, Trago*, aliisque Botanicis *Tuſſilago vulgaris.* C. B. Pin. Fig. C. Transeundum eſt omnino ad Regnum Animale, imò ad Conchylia. Audiamus



EXODI Cap. XXX. v. 34. 35.
Schecheleth, Ciſtus, Tuſsilago.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 34. 35.
Ciſten Rößlein, Hüf-Lattich.

M. Tyroff sculps.

PJCB



Exodi Cap. XXX. v. 34. 35.
Unguis odoratus. Moschus.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 34. 35.
See-Nagel, Zibeth.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

mus *Plinium* L. XXXII. c. 10. *Inuenio apud quosdam Oſtracium vocari, quod aliqui Onychen vocant, hoc Suffitum Vulvæ pœnis mirè reſiſtere. Odorem eſſe Caſtorei, meliusque cum eo uſtum proficere.* Plura habet *Dioſcorides* L. II. ὄνυξ ἐςὶ &c. *Onyx eſt Conchylii operculum Purpuræ operculo ſimile. In India reperitur, in Nardiferis paludibus. Proinde odoratus eſt, quia Conchylia Nardo paſcuntur. Colligitur, poſtquam æſtus Paludes deſiccauit. Præſtat ſubalbus & pinguis, qui è Mari Rubro affertur. Babylonius niger eſt & minor. Ambo ſunt boni odoris, cum ſuffiuntur, Caſtorei odorem aliquem referentes.* In Arabum ſcriptis frequentior hujus *Unguis*, quem *Odoratum* vocant, fit mentio, quàm apud Græcos & Romanos. Superfluum tamen judico, adferre Textus ex *Avicenna*, *Alchalil*, qui optimos *Ungues* dicit eſſe *Koraſios*, & ex *Baharain*, profundè rubros, poſt *Perſicos*, ad nigredinem declinantes, poſt Ungues ex *Docran*. *Alkazuin Tract. de Animal.*

Lucem majorem adhuc Textui noſtro fœneratur Indiæ Plinius *Georg. Euerhardus Rumphius in t' Amboinſche Rariteitkamer* L. II. c. 17. p. 87. exactius quam ulli alii *Unguem odoratum* deſcribens, cui & ille nomen שְׁחֵלֶת tribuit, Malabares *Unam*. Tollit is è medio omne, quod circa hanc rem remanere poſſet, dubium, docetque nos, eſſe *Unguem* hunc non *operculum* ſolius *Purpuræ*, ſed omnis generis *Muricum*, baſinque eſſe in omni India omnium Suffituum, quemadmodum Aloe eſt Pillularum. *Deze Unguis*, ita ille, *heet ook* onyx marina, *en is door geheel Indien een bekent Reukwerk, zynde de baſis of't voornaamſte onder alle Reukwerken (Thymiamata) te weeten, die men op Koolen rookt, of waar mede men perfumeert, gelyk de Aloe is onder de Pillen, zy heeft aan zich zelven geen aangenaamen reuk, maar in groove Stukies gebrokenen op Koolen gelegt, riekt ze eerſt als gebrande Garneelen, maar trekt terſt ond naar Bernſteen, of, zo Dioſcorides wil, naar Caſtoreum, zo dat ze alleen gerookt geen groote lieflykheid heeft, maar onder ander Reukwerk gemengt, geeft dezelve, am zoo te ſpreeken, zyne mannelyke Kracht, en duyr Zaamheit; want om dat neeſt alle Reukwerken beſtaan uyt Zoodanye houten, Reſinen en Zappen, die een Zoete, bloemachtige of geilen reuk hebben, zuo moet men den Zeenagel daar onder mengen, om zee Krachtig een duurzaam ze maaken.* Deſcribit porrò exactiſſimus hic Scriptor nouem Unguis odorati diuerſas ſpecies, earum figuram, Loca natalia, utendi & cum aliis Thymiamatibus miſcendi modum. Sunt autem hæ

1. *Onyx major ſiue Taurina*, Muricis majoris Operculum.
2. *Onyx ſecunda*, Malabaribus *Unam Caſturi*, i. e. *Unguis moſchata*, Purpuræ operculum.
3. *Onyx minima & moſchata*, Muricis ramoſi minoris operculum.
4. *Onyx quarta*, *Buccinæ Tritonis.*
5. *Onyx quinta*, *Buccinæ Aruanæ.*
6. *Onyx ſexta*, *Hauſtelli & Tribuli.*
7. *Onyx ſeptima.*
8. *Onyx octaua*, *Muricis minoris*
9. *Onyx nona*, Cochlearum minorum in paludoſis viuentium, quæ videtur eſſe *Onyx Dioſcoridis.*

Synonyma tandem affert *Unguis odorati*, quæ ſunt, *Onyx marina*, *Conchula Indica*, *Blattion Byzantion*, *Blatta Byzantia*, Arabibus, *Adfaro tibi*, *Adfar al tibi*. *Plinio* L. XXXII. c. 10. *Oſtracion*. Hebr. *Schecheleth*. Malab. *Unam* & *Unam Carbou*. Boetonenſibus *Lacca nuga*, Amboynenſibus *Laynoa natta*, Chinenſibus *Lepi* & *Hiole*. v. Fig. D. Errauit proin, ſi tanti viri lapſus error dici meretur, *Bochartus*, qui ab Hebræis Doctoribus, Radicem heic, Aroma, vel Plantam aromaticam *Unguis* nomine intelligentibus *Bdellio* ſuum dat ſuffragium, quod à *Damocrate* & *Galleno* vocetur βδέλλα ὄνυξ, quia nempe βδέλλιον eſt ἔοικος ὄνυχοι, *Ungui ſimile* læuore ſcilicet & ſplendore, Arabicum nempe & Saracenicum, Bactrianum item, cui *nidor ſiccus, multique candidi Ungues*, teſte *Plinio* L. XII. c. 9. & quia eidem *Bdellii arbor nigra eſt magnitudine oleæ*; in ſubſidium inſuper trahit *Bochartus* Etymologiam, deducens שְׁחֵלֶת à שָׁחַל *nigrum eſſe, nigreſcere*. Cui ſententiæ id inter alia obſtat, quòd Bdellium nullibi Suffimentis immiſceatur. Nullius tandem valoris eſt *Oleaſtri* opinio, qui שְׁחֵלֶת habet pro odorato ſudore *Zibethicæ Felis*, quæ שחל dicatur, quum conſtet, ante Arabes, qui primi Africæ interiora penetrarunt, hoc Animal, ejusque Odoramentum prorſus fuiſſe incognitum. Manebimus proin in Ungue odorato; ſiſtentes nihilominus *Catum* ſiue *Felem Zibethicam* Fig. E.

TAB. CCXVII.

TErtium Suffitus Sacri Ingrediens eſt חֶלְבְּנָה Chelbnah, quod ab omnibus Interpretibus, veteribus atque modernis, explicatur per *Galbanum* χαλβάνη, quæ voces ab ipſa Hebræa origine deſcendunt. Gummi hoc ita deſcribit *Dioſcorides* L. III. c. 97. χαλβάνη ὀπὸς ἐςιν νάρθηκος &c. *Galbanum ſuccus eſt naſcentis in Syria Ferulæ, quod nonnulli Metopium vocant. Maximè laudatur cartilaginoſum, merum, Thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignoſum, retinens nonnihil adjecti ſeminis, & Ferulæ, graui odore, neque valde humidum, neque nimis aridum.* Jungo deſcriptionem *Hermanni Mat. Med.* p. 261. Eſt ſubſtantia gummoſa & reſinoſa, pinguis, ceræ inſtar ductilis, Ammoniaco ſimilis, aſt ex variis albentibus & ſplendentibus granis in maſſam coacta, ſaporis ſubacris, ſubamari, nauſeoſi, odoris fragrantis grauis, odor & ſapor idem qui Ammoniaci, minor tamen. Ubi id obſeruandum, eſſe Gummi-Reſinam, utpote quod accenditur Igne, ut Reſina, & Aquâ ſoluitur, ut Gummi. Plantam ipſam, unde promanat, *Ferulam Galbaniferam* vocat *Lobelius Obſ.* p. 52. Icon. p. 779. *Joh. Bauhin. Hiſt. Plant.* L. XXVII. p. 52. *Ferulaginem latiore folio* C. *Bauh. Pin.* 148. & optimam Ferulæ Iconem ex communicatione *Tournefortii* exhibet *Pomet Hiſt. des Drog.* L. VII. c. 23. Deſcriptio hæc eſt apud Moriſon *Hiſt. Plant. Oxon.* p. 309. Radix longa alba brachialem craſſitiem obtinet, ex qua vulnerata Lac pingue & coagulatum copiosè manat. Folia pediculis longis, cauis, digitali craſſitudine adnexis omnium ampliſſima, ex quamplurimis ſegmentis Fœniculi more diuiſis, ſed breuioribus & latioribus, ad glaucum colorem argenteumue, præſertim in aduerſa parte, tendentibus, aliquantulum in latitudine compreſſis gaudent. Caulis erigitur altiſſimus, imo quinos aut ſenos Cubitos altus, craſſus, geniculatus, ſubſtantia fungoſa farctus, in ſuperiore parte diuiſus: Umbellæ ſunt rotundæ ex floſculis luteis reflexis compoſitæ, quibus delapſis ſuccedunt Semina lata foliacea, compreſſa, ſubrotunda, ſubnigra, exterius triplici linea ſtriata interius duplici fibrilla donata. Fig. F. Characteres eſſentiales Ferulæ videſis ad marginem lit. f.

Quartum tandem Thymiamatis à DEO præſcripti Ingrediens eſt לְבֹנָה זַכָּה *lebonah Zacah, Thus mundum*, ſine dubio *Thus maſculum*, de quo *Plinius* L. XII. c. 14. & *Virgilius Eclog.* 8. Verbenasque adole pingues, & maſcula Thura λίβανος ὁ ἄῤῥην &c. *Maſculum Thus Stagonias appellatum, ſuapte natura rotundum: tale autem individuum eſt, candidum cum frangitur, intus pingue, in ſuffitu ſtatim ardens. Dioſc.* L. I. c. 82. Nam datur & minoris pretii, Indicum, ὑπόκιῤῥος, καὶ πέλιος τὴν χρόαν, *fulueſcens & colore liuens*, Arabicum item & in Smilo naſcens dictum Κοπίσκον, μικρότερον καὶ κιῤῥότερον, *minus & fuluius*, nec non ἀμωμίτης *alioqui candidum, quod, dum mollitur, Maſtichis more digitis cedit.* Thuris hanc dat deſcriptionem *Hermannus Mat. Med.* p. 266. Eſt Subſtantia reſinoſa ex flauo palleſcens, & ſplendeſcens, in guttas Maſtichi ſimiles, ſed majores, concreta & indurata, collecta ex Arbore ſpinoſa Arabica thurifera, ſaporis amaricantis reſinoſi, odoris fragrantis. Ratione figuræ eſt vel *Indicum*, quod eſt in glebis, vel *mammoſum*, quod eſt in guttis, vel *maſculum*, quod eſt in granis. Arbor ipſa *Plinii* & *Dioſcoridis*, ætate incognita ſatis. En teſtem *Plinium! Arboris Thuris quæ ſit facies, non conſtat, à nullo enim Latino, quod equidem ſciam, tradita: Græcorum verò exempla variant. Alii folio Pyri minore duntaxat herbidi coloris prodidere. Alii Lentiſco ſimilem ſubrutilo folio, quidam Terebinthum eſſe, & hoc viſum Antigono Regi, allato frutice. Juba Rex iis Voluminibus, quæ ſcripſit ad Cajum Cæſarem, Auguſti Filium, ardentem fama Arabiæ, tradit, contorti eſſe caudicis, ramis Aceris, maximè Pontici — Cortice Lauri eſſe conſtat, quidam & folium ſimile dixere. — Qui mea ætate Legati ex Arabia venerunt, omnia incertiora fecerunt.* Ex Recentioribus *Thevetus* Arborem Thuriferam confert cum Pinubus reſiniferis. Quam heic jungo Iconem, mutuò petita eſt ex *Pomet.* Lib. VII. c. 37. Cæterum notum ex Hiſtoria profana, Thuris uſum fuiſſe etiam Gentilium Diis, uti nunc adhuc eſt Romano-Catholicæ Eccleſiæ Altaribus, ſacrum. v. Fig. G.

Sunt equidem hæc, de quibus hactenus, quatuor Thymiamatis Sacri Ingredientia, quibus inſuper addunt Judæi alias ſpecies, memorandas duntaxat, haud fuſius deſcribendas. 1. eſt *Myrrha.* 2. *Ketzia, Agallochum*, vel *Zingiber*, vel *Caſia.* 3. *Spica Nardi;* 4. *Crocus.* 5. *Coſtus. R. Juda Leon* habet inſuper duas, *Kilupha* & *Kinamon. Buxtorffius* tres, *Kilupha, Kane* & *Kinamon. Rittangelius* quatuor, *Kilupha, Kinamon, Maale Aſchan*, & *Ambram.* Nec Sanè deſunt Argumenta, plura fuiſſe ultra recenſita quatuor ad uſum Thymiamatis Sacri ingredientia. *Joſephus*, qui & ipſe Sacerdotali munere fungebatur, memorat generatim plura alia. *Ant. Jud.* L. III. c. 10. ubi poſtquam recenſuit quatuor Species Olei ſacri in Sacro Textu expoſitas, ita pergit. πολλὰ δ᾽ ἐςι ταῦτα καὶ ποικίλα κατὰ τὴν σκηνὴν ἐπὶ τοῦ χρυσοῦ θυμιατηρίου, μεγάλης πάνυ τιμῆς ὄντα συνεφέρετο. Ὧν παραλείπω τὴν φύσιν ἐκδιηγεῖ-

TAB. CCXVII.



Exodi Cap. XXX. v. 34. 35.
Chelbnah, Lebonah.

II. Buch Moſis Cap. XXX. v. 34. 35.
Galban, Weyhrauch.

M. Tyroff sculps.

PJCB

RPJCB



EXODI Cap. XXXII. v. 2.
Iſraelitæ ἐνωτιοδῶται.

II. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 2.
Beytrag zum Kälber-Dienſt.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

TAB. CCXVIII.




Exodi Cap. XXXII. v. 4.
Aaron ΜΟΣΧΟΠΟΙΟΣ.

II Buch Moſis Cap. XXXII. v. 4.
Aaron bildet ein Kalb.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



Exodi Cap. XXXII. v. 4.
ΜΟΣΧΟΛΑΤΡΕΙΑ Ægyptiorum.

II. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 4.
Egyptiſcher Kälber-Dienſt.

G. D. Heüman sculps.

ἐκδιηγεῖσθαι, μὴ δι᾽ ὄχλȣ γένηται τοῖς ἐντυγχάνȣσι. *Offerebantur deinde multa & varia ſuper Altare aureum adolenda, precioſa valde, quorum naturam, ne ſim prolixitate Lectori moleſtus, recenſere ſuperſedeo.* Siracides quoque XXIV. 17. 18. ubi Sapientiam Diuinam Thymiamati Sacro comparat, aliquas enumerat ſpecies, quarum hactenus non fecimus mentionem. *In modum Cinamomi & Aſpalathi* (ἀσπάλαθος) *odorem ſpiraui aromaticum, & ut præſtantiſſima Myrrha ſuauiter redolui, ut galbanus, ut Onyx, ut Stacte, Thuriſque nidor in Tabernaculo. (Sicuti Cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: Et quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, quaſi balſamum non miſtum odor meus.)* Et in Textu noſtro bis mentio fit Aromatum, per quæ quidem intelligi poſſent modò recenſita. Sanè *Calamum* quoque fuiſſe adhibitum conſtare videtur ex Jeſ. XLIII. 23. 24. ubi DEUS teporem in Cultu ſacro populo ſuo exprobrat. *Nec ego te coegi, ut ſeruires oblatione Minha, neque negotium tibi feci Thure. Non emiſti mihi pecunia Calamum. (Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento Calamum)*

Illuſtrando Textui noſtro inſeruiunt, quæ de *Ægyptiorum Suffimentis* tradit *Dioſcorides* L. I. c. 24. ſpeciatim de Κῦφι, quo Sacerdotes eorum ſunt uſi. Compoſitio hæc eſt: Κυπείρȣ ἡμίξεσον &c. *Cyperi dimidium ſextarium, cum pari Baccarum Juniperi adultæ modo: uuæ paſſæ pinguis, exemptis vinaceis minas duodecim, reſinæ repurgatæ minas quinque, Calami & Junci odoratorum & Aspalathi, ſingulorum minam, Myrrhæ duodecim, vini Veteris ſextarios nouem, cum duabus mellis minis: uuam paſſam detractis vinaceis tuſam cum vino & Myrrha ſubigito: cætera tuſa & cribrata adjicito, die uno humorem combibere ſinito, dein mel coquito, dum ſibi glutinis aſciſcat craſſitudinem, eliquatam Reſinam accuratè permiſceto cum reliquis diligenter contritis, & in fictile vas recondito.* Addit *Plutarchus Iſid. & Oſirid.* coxiſſe Sacerdotes maſſam hanc Diis ſacram non ſine ceremoniarum ſuperſtitioſarum ambagibus, recitantes inter præparandum ſacras ſuas literas.

TAB. CCXVII. A. CCXVIII. CCXIX.

Exod. Cap. XXXII. verſ. 4.

Qui ſumens de manu illorum finxit illud Stilo, & fecit hoc ipſum, Vitulum fuſum. Et dixerunt: Iſti ſunt Dii tui O Iſrael, qui effecerunt, ut aſcenderes à Terra Ægypti.

Quas cum ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

ITa Populus DEI, peculium illud ſuum, putidiſſimo Creaturarum abuſu, fit Idololatra, *mutat Gloriam ſuam in ſimilitudinem Bouis comedentis Herbam.* Pſal. CVI. 20. *(Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.)* τὴν δόξαν τȣ̃ ἀφθάρτȣ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος — τετράποδος Rom. I. 23. Commutatur Metallorum perfectiſſimum in Baalem, imo in בֹּשֶׁת *pudorem, confuſionem,* quo Epitheto Idola veniunt Jer. III. 24. Exuunt non Religionem duntaxat, ſed omnem Rationem, Iſraëlitæ, dum pro DEO habent, quod ipſi manibus fingunt. Et en, ipſe DEI Summus Sacerdos Aharon conſilia pro turpiſſima Idololatria impertit: *abrumpite,* inquit v. 2. *Inaures aureas, quæ pendent in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, & adferte ad me,* ſcilicet ut inde Idolum conflem. Aures dat, ſeu metu, ſeu alio affectu ductus, populo inſanienti, contra diſerta verba Legis Exod. XX. 23. *Non facietis me, Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.*

Ambiguitas vocum צור *Tſur*, & חֶרֶט *Cheret* anſam dedit duplici Verſioni: notat prius Vocabulum *ligare* & *formare*, poſterius *marſupium* & *ſtylum*. Hinc alii Textum noſtrum ita reddunt; & *ligauit* (recondidit) *illud* (Aurum) *in marſupio:* alii *formauit* (finxit) *illud Stylo*, & plerique quidem poſt Græcos Interpretes. Priorem ſenſum cum *Jonathane* præfert *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 34. conferens Jeſai. XLVI. 6. *Prodigunt Aurum ex marſupio, & argentum in bilance appendunt, mercede conducunt conflatorem, & faciunt ex illo DEUM. (Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtaterâ ponderatis: conducentes aurificem, ut faciat Deum.)*

Nec non Jud. VIII. 24. 2. Reg. V. 23. quibus binis locis voces prædictæ controuerſiæ eodem occurrunt ſenſu, & in eadem conſtructione. Mitto interim Judæos Aſtrologos, qui Vitulum hunc in Tauri Signo volunt formatum, & aniles fabulas eorum de pondere Vituli 125. Talentorum Auri. Hæc narraſſe eſt refutaſſe.

Sed cur Aharon elegit Bouinum ex animantibus genus, quo cum conferri aliàs ſolent, & in probrum, ſtupidiſſimi Hominum? cur non ſplendidiſſimum illud Sidus, Solem? cur non Luminare majus alterum, Lunam? An quòd Boum ſacrificiis maxime fuerit delectatus? an DEUM exhibere voluit ſub adeò ridiculo Schemate, ut populo abſurditatem Idololatriæ oſtenderet? An quòd viderit DEUM *Cherubo*, id eſt, ut integro Libro explicare nititur *Moncejus*, *vitulo* inſidentem? An quòd Bos in Ægypto juxta ſepulcrum Joſephi ſtatueretur tanquam viro in Agricultura cooperans? quod vult Auctor *Scripturæ Mirabilium* ſub *Auguſtini* nomine L. I. c. 15. Fauet huic ſententiæ, quòd cultus *Serapidis*, vel *Sarapidis*, quem cum *Apide* eundem faciunt, à Veterum nonnullis referatur ad ipſum *Joſephum*. *Julius Firmicus de error. profan. relig.* c. 14. *Ruffin. Hiſt.* L. II. c. 23. *Suid.* in Σάραπις. An, quod *Philoni* placet, *Taurus* aureus *Typhi* ſeu *Typhonis* in Ægypto maximè culti fuerit ſimulacrum? Quæ de his opinionibus vel pro dici poſſunt, vel contra, pro more ſuo eruditiſſimè explanat *Bochartus* l. c. *Philoni* ex parte accedens, & vitulinæ ſuperſtitionis originem ex Ægypto arceſſens, ubi *Memphitarum* DEUS fuit *Apis*, *Heliopolitarum Mneuis*, ſacra vacca *Momemphitarum*. *Strab.* L. XVII. Patrocinantur huic explicationi præter Hiſtoriam profanam Exod. VIII. 26. Joſ. XXIV. 14. Ezech. XX. 7. 8. XXIII. 3. 8. Act. VII. 39.

Illuſtrandæ inprimis illi ſententiæ, quæ μοσχολατρείαν ex Ægypto mutuatur, inſeruiet Fig. A. Græco-Ægyptiorum *Iſis* multimammia, ſiue *Cybele*, magna Deûm mater, fœmina turrito vertice veluti triplicis Coronæ Diademate faſtigiato, capillitio veloque undatim diffuſo ſpectabilis: pectus binis ſimulacris corymbo incluſis, ſupra quorum Capita Cancri & Capricorni figura eminent: Brachia quadruplici Leonum accubitu grauantur: Venter Pectusque multiplici uberum mammarumque protuberatione turget: Femora Tibiæque conico vaſe triplici Animalium ſerie induuntur: prima ſeries hinc inde duo Idola Ægyptia, deinde tria Ceruina Capita binis floribus & Apibus ſtipata continet: ſecunda turbinatorum femoralium ſeries binos Dracones, quibus intermediant tria bouina Capita, exhibet: tertiam ſeriem bina Leonina Capita, quibus tria pariter Vitulina Capita intermediant, ſubjunctis binis hinc inde Apibus, conſtituunt: totum denique ſimulachrum extremorum pedum lineo veſtitu tectorum nuditatem pandit. Ex *Kircher. Oedip. Ægypt.* T. I. Synt. III. p. 190.

Fig. B. *Apidis* figura cum Cornubus Lunæ, quadrato candore in pectore, Aquilæ figura in Dorſo: ex eodem p. 200.

Fig. C. ſiſtit fragmentum obeliſci Pſammetici, ubi tres viſuntur Boues, in ambitu concipiendi 12. *Oedip.* cit. T. III. p. 213.

Fig. D. Apis ex Cimeliarchio *Welſeriano* apud *Bornmeiſter de Errorib. Hiſtoricor. Gentil.* p. 12.

Fig. E. Apis ex Cimeliarchio *Ebneriano* ap. eundem.

Fig. F. Nummus Antinoi in honorem percuſus ab Hadrianotheritis Urbis in Moeſia ab Hadriano extructæ incolis, in cujus una facie Antinoi imago, cum Inſcriptione ΑΓΑΘΟϹ ΗΡΩϹ ΑΝΤΙΝΟΟϹ i. e. *Bonus Heros Antinous*, ab altera *Apis cum Luna bicorni*, ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ ex *Spanhem. Diſſ. de Præſt. Numiſm.* p. 654.

Fig. G. Apis ex Muſeo *Jacobi de Wilde Signor. Antiq.* Tab. XII. in fronte gerens ſiſtrum.

- - - - - - Nilotica Siſtris
Ripa ſonat, Phariosque modos Ægyptia ducit
Tibia, ſubmiſſis admugit cornibus Apis.

Claudian. de 4. Honor.

Fig. H. Juliani Numus etiam ad Apidem referendus. *Beger Theſ. Brand.* p. 281.

TAB.

RPJCB



EXODI Cap. XXXII. v. 20.
Moses ΜΟΣΧΟΛΕΤΩΡ.

II. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 20.
Das zerſtörte Götzen-Kalb.

G. D. Heuman sculps.

TAB. CCXX.

Exod. Cap. XXXII. verſ. 20.

Et tollens Vitulum, quem fecerant, combuſſit (eum) Igne, & comminuit eum in puluerem, & ſpargens in Aquam potum dedit filiis Iſrael.

Arripiensque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit usque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.

A*Uri potabilis*, de quo paſſim multus eſt ſermo, controuerſia multa, tres fere occurrunt Species, 1. eſt fuſum illud Igne, quod juſta penè rabie conciti Peruani φιλοχρύσοις illis, & nîl niſi Aurum ſitientibus, Hiſpanis infudiſſe leguntur, remedium vel potius Venenum crudele crudelitati vel φιλοχρυσίᾳ exceſſiuæ oppoſitum. 2. Tinctura illa Chymicorum, Aurum nempe in Menſtruo innocenti uniuerſali ſolutum, tantopere apud Chymicos, altioris inprimis Ordinis Alchymiſtas, decantatum, aureum Adeptorum Vellus, & contra Morbos quosuis, ſi Diis placet, Panacæa. 3. Aurum noſtrum Moſaicum, quod vir DEI, in omni Ægyptiorum Sapientia eruditiſſimus, ſoluit, & Iſraelitis potandum dedit, ut per quod peccaſſent punirentur per idem. Auro nempe peccauerunt Iſraelitæ, & Aurum in ſubtiliſſimos puluiſculos ſolutum abſorbere debebant μοσχολάτραι, in ſui pudorem, & abominationis turpiſſimæ memoriam.

Sunt Hebræorum multi perſuaſi, fuiſſe potum hunc docimaſticum, diſtinxiſſe Idololatras ab innocentibus, planè ſicuti potus ille amarus Adulteram vel debebat criminis ſui conuincere, vel innocentem ſuſpicione liberare. Num. V. 27. & fuiſſe criminis reos, hos ipſos 3000. qui à Leuitis fuere trucidati. Addunt inſuper recutiti, intumuiſſe reis, uti adulteris illis, Ventres, coaluiſſe ora, in Aurum commutatas fuiſſe Barbas. Quas Fabulas ſuis remitto Authoribus. Præſentis inſtituti eſt inprimis, inquirere in proceſſum illum Chymicum, quo Moſes ſoluerit Aurum, reddideritque potabile. *Aurum* eſt, ſi quod aliud Metallum, vel Minerale, quod Phyſicorum & Chymicorum exercuit, & tantùm non excruciauit ingenia, Metallorum denſiſſimum, Corporum omnium grauiſſimum, in ipſo ſubſidens Mercurio, tractabile tamen ita, ut præ Metallis omnibus ſit in tenuiſſima folia malleabile, in ſubtiliſſima fila ductile. Oſtendit ſanè Celebris *Hallejus Transact. Philoſoph.* n. 194. Unicum Auri granum diuiſibile eſſe in partes 10000. adhuc viſibiles, unde *Keill. Introd. ad Phyſ.* p. 40. demonſtrat, pollicem Auri Cubicum diuiſibilem eſſe in 47619047. partes, quæ haud effugiant viſum. Juxta computum citati modò *Halleji* folium Auri, quo inaurari ſolent argentea fila, non craſſius eſſe $\frac{1}{124500}$. pollicis, ut proin Cubus $\frac{1}{100}$. pollicis dictarum ſubtilium partium contineat 243000000. Non proin, quod videmus, obſtat ſumma Corporis hujus denſitas atque ſoliditas, quâ omni Igni eſt inuictum, quo minus in particulas reſolui queat ſubtiliſſimas: imò docet Illuſtris *Newton opt.* p. 228. plura Metallo huic ineſſe ſpatia vacua, quàm quidem ſolidas partes, quoniam globum aureum undique clauſum transſudet Aqua. Sola hactenus *Tſchirnhuſii* Lens Superioritatem aliquam affectauit in Aurum, ut à penetrantiſſima vi Radiorum in Foco concentratorum euaporet aliquid, reliquo Auro mutato in Vitrum coloris violaceo-purpurei, minoris quoad ſpecificam Grauitatem ponderis, quàm Aurum eſt ipſum, quod Vitrum poſtea non facile eſt ope Ignis ordinarii in Metallum ſuum reducibile. Videatur *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1702. p. 36. *Memoir.* 145. Conſtat ex hactenus dictis, & per Experimenta demonſtratis, conſtare Aurum partibus ab inuicem ſeparabilibus, & in infinitas ſubtiliores alias diuiſibilibus. Id nos docet ordinaria Aurifabrorum & Monetariorum Praxis, qua Aurum ſoluunt Aquæ Regiæ menſtruo in minutas adeò particellas, quæ viſum omnem fugiunt, nec niſi euaporatâ ſenſim Aquâ eidem redduntur, nîl interim de pondere decedente. At enimverò non eſt hæc Auri in Aqua Regia ſolutio, quam tantis conatibus quærunt Chymici, qui volunt vel pulverem, vel Liquorem, ex Auro quidem paratum, verùm in idem hoc Metallum haud reducibilem. Qui hoc poſſidet Arcanum ὀρανοπετὲς, Adepti inter Philoſophos per Ignem meretur titulum. Neque hujusmodi ſolutio fieri debet per Menſtrua acria, corroſiua, ſed per inſipida, & innocua prorſus, aliisue modis. Et prætendunt hi vel Aurifices, vel Auri deſtructores, exercuiſſe Arcanum hocce maximum Chymicum Moſen, idque probare nituntur non duntaxat ex Textu, verùm & inprimis ex Deuter. IX. 21. *Peccatum*

catum veſtrum, nempe vitulum, tuli, & Igne illum combuſſi, & contudi eum molendo, idque benè, donec puluis fieret tenuis, abjecique puluerem ejus in Torrentem, qui è Monte defluit. (Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta comminuens, omninòque in puluerem redigens, projeci in torrentem, qui de monte deſcendit.)

Quæſtio igitur heic enodanda attinet Proceſſum ipſum, modum, quo ſummus Adeptorum Moſes uſus fuerit in executione ejus, quod de ſeipſo teſtatur. Ducit illa nos veluti manu ad diuerſi generis chymicas operationes, eas cumprimis, quarum veſtigia extant in Scriptis viri θεοπνεύςȣ. Non ſanè ſufficiebat Vituli *fuſio*, ſiue transfuſio Auri ex Quadrupedis forma. Scopus Moſis erat totalis Idoli deſtructio, ut & omnis ejus memoria animis Iſraelitarum auelleretur, & omnis occaſio Idololatriæ Ægyptiacæ, ex reſidua Auri maſſa noua fingendi Idola tolleretur.

Neque ſuffena erat *Limatura*, qua quidem in ſubtiliſſimos vertitur puluiſculos Aurum, ſed qui leui operâ in unam Maſſam refundi poſſunt. Hi ſiquidem puluiſculi, utut ſubtiliſſimi, protinus cadunt ad Aquæ fundum, propter ſpecificam ſuam Grauitatem, quæ ad Aquam ſe habet ut 19. ad 1. quo fundamento nititur modus lauandi Aurum in Aquis χρυσοῤῥόοις, Arenam auriferam ſecum vehentibus, nec non in officinis metallicis.

Scopum pariter non tetigit *diductio in laminas* & *læuigatio*, proceſſus operoſus nimis & longus pro integro Vitulo, qui dubio procul fuerat notabilis magnitudinis. Conſtat id ex Epiſtola *Joelis Langelotti*, qui longo labore Aurum foliatum in mortario teri & tundi juſſit in ſubtiliſſimum quendam nigri coloris puluerem, ex quo per Retortam elicuit Tincturæ rubicundæ parum, quæ in Spiritu Vini ſoluta ſpem dederat veri Auri potabilis.

Adſunt in Textu tres circumſtantiæ, quæ viam nobis ad Ratiocinia pandunt, *combuſtio*, *contuſio*, & *molitio*, denique *abjectio* ſiue projectio pulueris. Harum operationum prima difficillima eſt, portam tamen aperit ad reliquas duas, & clarè ſatis nos docet, Auri ſolutionem non factam fuiſſe per *Viam humidam*, ut Philoſophi per Ignem loqui amant, ſiue, per Menſtrua ſalina corroſiua, ſed per *viam ſiccam*, Ignem. Fuiſſet ſolutio illa impotabilis prorſus, utpote qua momento citius Ventriculus atque Inteſtina fuiſſent corroſa, tanquam promtiſſimo acerrimoque veneno: de hujusmodi autem ſeu doloribus acerrimis ſeu mortibus ſubitaneis ne γρῦ quidem legitur in Hiſtoria Sacra. Neque uti Moſes potuiſſet, quod eadem via prodit, *Auro fulminante*, hoc quippe propter grauitatem ſuam illicò fundum in Aqua petit: & unde, quæſo, ſumſiſſent Iſraelitæ ſufficientem Aquæ Regiæ quantitatem in Deſerto? Indicat vel ipſa hæc loci circumſtantia, adhibuiſſe Moſen modum & ſimpliciorem longè & promtiorem, fortè non Ignem ſolum, ſed & alia, quæ intermiſcuerit corpora, quibus particulæ Auri fuerint ab inuicem diuiſæ. Hunc ſummum Artis Alchymiſticæ apicem ſibi ſolis vindicant, ſi qui ſunt, adepti: ut proin de Artificio hocce, ſilente Scriptura, nîl nobis conſtet certi. Idem hoc Sacrarum Literarum ſilentium impedit, quò minus determinare poſſimus, an *Auri* illa *deſtructio completa* fuerit, an *incompleta?* id eſt, an Auri à Moſe paratus puluiſculus reducibilis fuerit in Aurum, nec ne? quod ultimum prætendunt Alchymici. An item additamentum illud fuerit ſulphureæ naturæ, vel ſalinæ, Mercurialis, Saturninæ? Nam omnibus hiſce modis, ſpeciatim Amalgamatione, Aurum pulueriſari, moli, & potabile reddi valet. Vult *Bochartus Hieroz.* P. I. L. II. c. 34. fuiſſe Aurum in ſubtiliſſimam ſcobem elimatum, & ex *Joſephi Ant.* L. VIII. c. 2. allegat Solomonis Equites, qui ψῆγμα χρυσίȣ, id eſt, ſcobem auream quotidie capillis, ut nos Amylum, Lycopodii aliumue puluerem, capillitiis ſic inſperſerint, ut ſolis repercuſſu illuminati ſplenderent. *Gallienum* item, quem *Trebellius crinibus ſuis Auri ſcobem aſperſiſſe:* & *Commodum*, quem *Spartianus capillo ſemper fucato & illuminato* fuiſſe tradit. Et *molitionem* ita laudatiſſimus Scriptor explicat, quòd Moſes vitulum paulatim attriuerit, atque ita in Scobem atterendo contuderit, ut ramenta Auri tam minuta fuerint, quàm quæ in piſtrino ſunt commolita.

Impiam declaramus eorum ex Atheis maledicentiam, qui volunt, Aharonem conſentiente Moſe Stratagemate lucroſo ex Auro Iſraelitis per piam fraudem extorto, ſibique appropriato, reuera formaſſe vitulum aureum, ſed ei poſtea Ligneum duntaxat deauratum ſubſtituiſſe, hoccè combuſſiſſe, cineresque Iſraelitis non aurei, ſed lignei, potandos exhibuiſſe.

RPJCB



Exodi Cap. XXXIV. v. 29-35.
Moſes ΜΑΡΜΑΡΥΓΩΔΗΣ.

II. Buch Moſis Cap. XXXIV. v. 29. 35.
Der glänzende Moſe.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCXXI.

Exod. Cap. XXXIV. verſ. 28. 29. 30. 34. 35.

28. Fuit autem (Moſes) illic cum DOMINO quadraginta dies & quadraginta noctes, nec panem edens, nec Aquam bibens. —	Fecit ergo ibi cum Domino Moyſes quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit & aquam non bibit. —
29. Factumque eſt quum deſcenderet Moſes de Monte Sinai, erant duæ Tabulæ Teſtimonii in manu Moſis, quum deſcenderet (inquam) de Monte. Moſes autem neſciebat, quod radios ejacularetur cutis faciei ejus ex colloquio diuino.	Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas teſtimonii, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.
30. Aharon verò & omnes filii Iſrael viderunt Moſen, & ecce radios ejaculabatur cutis faciei ejus, ut ad eum accedere formidarent.	Videntes autem Aaron & filii Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere.
34. Rurſum quum ingrederetur Moſes in conſpectum DOMINI, ut cum eo loqueretur, auferebat Velum, donec egrederetur. Et egreſſus loquebatur cum filiis Iſrael, quæ juſſus fuerat.	Quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia, quæ ſibi fuerant imperata.
35. Videbantque filii Iſrael faciem Moſis, quod radios ejacularetur cutis faciei Moſis, tum reduxit Moſes velamen ſuper faciem ſuam, donec ingrederetur ad loquendum cum eo.	Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.

DE Miraculo Jejunii hujus Moſis quadrageſimali commodior, quam heic, dabitur, εἰ ὁ ΘΕΟΣ θέλοι, ſcribendi occaſio, ſi peruenerim ad ἀντίτυπον Jejunium quoque quadrageſimale CHRISTI.

Quæ in Homine conſpicio cunque, mira ſunt. In eo non vides niſi Cutem, eamque opacam, & tamen, ac ſi pellucida foret, in ea, & per eam, oculis ipſis patent interiora, imò, quod magis eſt mirum, Animus ipſe, Cogitationes, Voluntas, Affectus. Eſt inprimis Mentis Speculum *Facies* & Faciei Cutis, non duntaxat intuitu Ventriculi, Hepatis, Lienis, aliorumue nobiliorum Viſcerum, quorum Obſtructiones, aliaue male ſana diſpoſitio pingitur quaſi & deſcribitur in Facie pallida, flàueſcente, contracta, imo vero Mortem ipſam, quæ præ foribus ſtat, præjudicat *Facies Hippocratica*, qua veluti Ædificii Trabes collabuntur, oculi retrò fugiunt, genæ cum tota Facie contrahuntur, & mox machina mortalis corruit. Sed, quod dixi, mirum magis, quod *Facies* ſit *Speculum* ipſius *Mentis*, Entis ſpiritualis, quod Cœlo plus à corpore diſtat. In lineamentis namque Faciei viuis veluti Characteribus expreſſa videas Hominis Cogitationes, Animique motus.

Pateſcent hæc clarius, ſi deſcendas ad ſpecialia. In *Triſtitia* non ſolus aufugit roſeus Faciei color, amabilis ille Lætitiæ index, ſed & ipſe Vitalis color, pendent veluti tenui filo palpebræ, Genæ, Labia, ac ſi mox eſſent corruitura: redditur Vultus obſcurus. Exemplo ſint *Naziræi* illi, quorum *forma nigredine ipſa eſt*

obſcurior, non ſunt agniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus eorum, aret ac riget ut lignum. Thren. IV. 8. *(Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit & facta eſt quaſi lignum.)* Neque ſunt hujusmodi mutationum cauſæ inuentu vel difficiles nimis vel impoſſibiles. Placuit Creatori Animam, modo licet nobis imperſcrutabili, unire Corpori. Triſtitia irruente prædominium habet ſucci neruei influxus, retrahit & contrahit ſeſe veluti malum fugitura uniuerſa Cutis, opprimitur Sanguinis mole Rota corporis primaria Cor, hinc ſanguinis motus per extrema lentus, conſiſtentia Fluidi illius denſior, totam Cutim obſidet Pallor, toti Corpori imminent obſtructiones.

In *Gaudio* econtra prædominium nanciſcitur Cor, exultat Anima, & proprios veluti transgreditur limites; cum impetu pellitur Sanguis ad Canaliculos extimos, exporrigitur Frons, vultus redditur ſerenus, & veluti accenditur, micant oculi. Exemplo ſint rurſum *Naziræi*, qui *candidiores erant Niue, Lacte nitidiores, rubebant ſpecie præ Margaritis, polities eorum Saphiro ſimilis.* Thren. IV. 7. *(Candidiores Nazaræi ejus niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.)* Et Eccleſiaſt. VIII. 1. dicitur *Sapientia Hominis ſerenum reddere vultum ejus, & vultum impudentem remouere. (Sapientia Hominis lucet in vultu ejus & potentiſſimus faciem illius commutabit.)* Gaudet nempe ſapiens in Veritatis inquiſitione, tranquillus ſeſe & veluti cum piâ ἀδιαφορίᾳ ſubmittens Diuinæ Prouidentiæ in omnibus etiam Aduerſitatibus, Triſtitiâ omni ſuperior, calamitate omni inuictus. Eundem cum Gaudio in Sanguine & Spiritibus effectum ſortitur *Fauor* atque *Beneuolentia*. Hilari vultu me aſpicit, qui mihi vult benè, & hilarem me quoque reddit. Hinc toties gloriatur Regius Pſaltes de *illuminatione vultus diuini ſuper ſe ſeruum ſuum & cordis lætitia.* Pſal. IV. 7. XXXI. 17. LXXX. 4. 8. *(Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.)*

In Affectu rapidiori adhuc *Ira* & *Zelo* accenditur magis Vultus, Frons ardet, Oculi faces mittunt. Id heîc de Moſe dici poſſet, feruorem Deuotionis & Calorem Pectoris erupiſſe in Frontem, totumque Vultum, ex quo conuerſatione uſus eſt familiari cum DEO, accenſus feruido Zelo pro ejus Gloria feruentiſſimas fundens preces. Sed non ſufficiunt hæc enodationi Textus. Indicare videntur circumſtantiæ Affectum plus quàm humanum, & prolucere ex fulgenti Moſe Typus beatiſſimi illius ſtatus, quo Electi erunt glorificati, ab Amore & Amicitia DEI toti irradiati, ardentiſſimi in Amore reciproco, accenſi toti pro Gloria & in laudem DEI, fulgentes ad inſtar Solis. Unde forſan eſt, quòd in Eccleſia Romana *Sanctorum* utriusque Sexus Capita circumdentur *Nimbo:* Hinc & *Cornua* illa, quæ Moſi affingunt Pictores atque Sculptores & ipſi Monetarii, Radiorum è capite Viri DEI promicantium Indices; de quibus fuſius *Carpzov. Diſſ. de Nummis Cornutum Moſen exhibentibus. Vultus* hujusmodi *glorificatos* (utuntur & LXX. in Hiſtoria præſenti voce δεδόξασθαι) tribuebant & olim Gentiles Diis ſuis. Apud *Nonnum Dionyſ.* L. VIII. v. 341. Jupiter habet

- - - - - βλεφάρων ἀκτῖνα σελασφόρον
- - - προσώπου μαρμαρυγὰς, καὶ ἀστράπτουσαν
ὑπήνην.

- - - - - micantes oculos,
Fulgentem & Vultum & Barbam.

Et forſan ex ipſa Moſaica Hiſtoria petierunt mutuò Perſæ, quod de Zoroaſtre ſuo narrant apud *Dionem Chryſoſtomum*, ἔρωτι σοφίας καὶ δικαιοσύνης ἀποχωρίσαντα, καθ' αὑτὸν ἐν ὄρει τινὶ ζῆν. ἔπειτα ἀφθῆναι τὸ ὄρος, πυρὸς ἄνωθεν πολλοῦ κατασκήψαντος, συνεχῶς τε καίεσθαι. τὸν οὖν βασιλέα σὺν τοῖς ἐλλογιμωτάτοις Περσῶν ἀφικνεῖσθαι πλησίον βουλόμενον εὔξασθαι τῷ Θεῷ, καὶ τὸν ἄνδρα ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ πυρὸς ἀπαθῆ, φανέντα δὲ αὐτοῖς ἰλέων θαῤῥεῖν κελεῦσαι καὶ θῦσαι θυσίας τινὰς, ὡς ἥκοντος εἰς τὸν τόπον τοῦ Θεοῦ.

Nummus, quem appingi juſſi, eſt ex Muſeo proprio, conferendus cum *Waſerianis* & *Carpzovianis* à νομισματοφίλοις.

TAB.

RPJCB



EXODI Cap. XXXVIII. v. 24. ad fin.
Tekupha.

II. Buch Moſis Cap. XXXVIII. v. 24. ad fin.
Heiligthums Steüer.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCXXII.

Exod. Cap. XXX. verſ. 13.

Quicunque ergo in cenſum venit, hoc dabit dimidium Siclum juxta Siclum Sanctuarii: Siclus autem habebit viginti Gera: munus ergo DOMINO erit dimidius Siclus.

Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium Sicli juxta menſuram Templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars Sicli offertur Domino.

Exod. Cap. XXXVIII. verſ. 24. ad fin.

24. Omne Aurum factum ad opus in omni opere Sanctuarii (quod datum fuit ad Tenupha) fuit viginti nouem Talenta, & ſeptingenti triginta Sicli, ſecundum Siclum Sanctuarii.

Omne Aurum quod expenſum eſt in opere Sanctuarii, & quod oblatum eſt in donariis, viginti nouem talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta Siclorum, ad menſuram Sanctuarii.

25. Argenti verò, quod ex cenſu coctus (collectum) erat, centum Talenta, mille ſeptingenti, & ſeptuaginta quinque Sicli, ſecundum Siclum Sanctuarii.

In V. Verſione deſideratur.

26. Semiſſis pro Capite, dimidium Sicli juxta Siclum Sanctuarii, pro omni eo, qui transibat in numerum, ab eo, qui natus erat viginti annos, & ſupra, pro ſexcentis millibus,& tribus millibus,& quingentis quinquaginta.

Oblatum eſt autem ab his, qui transierunt ad numerum à viginti annis & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, armatorum.

27. Et fuerunt centum Talenta Argenti ad fuſionem baſium Sanctuarii, & baſium Veli, ex centum inquam Talentis centum baſes, Talentum pro baſe.

Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ ſunt baſes Sanctuarii, & introitus ubi Velum pendet. Centum baſes factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis.

28. Sed & mille ſeptingentos & ſeptuaginta quinque uncinos fecit Columnis,& obduxit capitella earum, & fecit Cincturas earum.

De mille autem ſeptingentis, & ſeptuaginta quinque Siclis fecit capita columnarum, quas & ipſas veſtiuit argento.

29. Æris verò, quod ad Tenupha (oblatum erat) ſeptuaginta Talenta & bis mille quadringenti Sicli.

Æris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia,& quadringenti ſuprà Sicli.

30\. Fecit autem ex eo baſes ad Oſtium Tentorii conſtitutionis, & Aram æneam, & reticulum æneum pro ea cum omnibus Inſtrumentis Aræ.

Ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi teſtimonii, & altare æneum cum craticula ſua, omniaque vaſa, quæ ad uſum ejus pertinent.

31\. Sed & baſes Atrii per ambitum, & baſes pro porta Atrii, & omnes clauos Tabernaculi, & omnes clauos Atrii per circuitum.

Et baſes atrii tam in circuitu, quàm in ingreſſu ejus, & paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

DE *Siclo*, ejusque Valore, alibi jam actum. Id nunc tangemus, cui manifeſtam dat anſam Textus, qui expreſſam facit *Sicli Sanctuarii* mentionem, uti quoque Lev. XXVII. 25. Num. III. 47. Fabricarunt hinc multi Eruditi diſtinctionem inter Siclum & Siclum, Siclum *communem* & *Sacrum*, qui illo fuerit duplo major, ſemuncialis in Argenti pondere, ſicuti ille δίδραχμος. Fundantur argumenta, quæ profeꝛunt, Locis jam allegatis, quibus addunt 2. Sam. XIV. 26. ubi mentio fit *Siclorum ponderis Regii*, & *ducentorum* quidem, ubi Verſiones aliquæ ex Græcis habent ἑκατὸν, *centum*, Siclos ſcilicet integros, quos Sacros vocamus, pro ducentis communibus, ſeu profanis. Cui objectioni obuiam itur ab aliis, quòd etiam Lev. XXVII. 25. aliquæ Verſiones Græcæ vertant Siclos Sanctuarii διδράχμους, qui deberent eſſe τετράδραχμοι, & in aliis Græcis Codicibus 2. Sam. XIV. 26. legatur διακόσιοι, *ducenti*, pro pondere capillorum Abſolomi. Refutauit jam olim hanc de Siclorum duplicitate opinionem *Villalpand.* Tom. III. *Libr.* II. *Diſp.* 4. c. 28. p. 397. inprimis verò *Schickhard Diſſ. de Num. Hebr.* §. 13. p. 15. Et vel ex ipſo noſtro Textu conſtat, habuiſſe Judæos *dimidios Siclos*, ut proin haud opus fuerit duplici Siclorum integrorum genere. Imo ſequeretur, fuiſſe & *Gerab*, quorum 20. conficere debebant Siclum, duplicis generis, duplo majores nempe pro Sacris, cujus diuerſitatis nullum ullibi extat indicium. Imo in plerisque S. Scripturæ Locis ſimpliciter mentio fit Siclorum, ubi difficile foret, hariolari, an Sacri eſſent, vel profani. Ita verò, & peraptè, de *Siclo Sanctuarii*, vel *ponderis Regii* judicant, qui unicum ſtatuunt Siclum, ſeruatum fuiſſe in *Sanctuario*, vel *Gaza Regia*, Sicli veri originale quoddam, quemadmodum & hodie Principes & ſtatus ſolent Archetypa ſiue Exemplaria Ponderum, Menſurarum, ſeruare in Archiuis publicis, ut ad eorum normam examinentur, & reducantur, quæ in communi ſunt uſu.

גֵּרָה *Gerab*, *obolus* præciſè definitur $\frac{1}{20}$. Sicli, שֶׁקֶל. Hic ſi ſtatuatur 45. crucigerorum, ſeu cruciatorum, erit Gera $2\frac{1}{4}$. crucig. quem valorem quoque habet obolus Atticus. Ad pondus ſi reducas obolum, obtinebis $11\frac{44}{100}$. grana ponderis Medici ſeu Veneti, 13, 92. ponderis Argentoratenſis, 14, 81. Colonienſis, 13, 40. Pariſini. *Eiſenſchmid Pond. & Menſ.* p. 158. De Summa autem Capitationis totius, Iſraelitis impoſitæ, dabitur commodior occaſio loquendi ad Exod. XXXVIII. 26.

Schikardi Diſſertatio allegata quum non in omnium ſit manibus, haud abs re erit, exſcribere heic Textum, quo is duplicitatem Sicli explodit. *Non differebat*, inquit l. c. *Siclus Sacer à profano. Ingens hoc paradoxum è multis nos difficultatibus extricabit, in quas duplicis Sicli authores magno ſe agmine præcipitarunt. Statuunt illi profanum dimidio minorem, nec tamen ipſi norunt, ubi ille vel iſte ſit ſubintelligendus. Dum autem attentè ſingula circumſpiciens in illorum rationes inquiro, reperio binas tantùm, & valde debiles. Unam, quod Scriptura nunc* ſanctum Exod. XXX. 13. *nunc* Regium 2. Sam. XIV. 26. *vocat: alteram, quod Græci pondere minuto* δίδραχμα *vertunt, ut* 2. Sam. XIV. 26. Centenos *pro* ducentis, ἑκατὸν σίκλων ἐν τῷ σταθμῷ τῷ βασιλικῷ (ita quidem in Editione Regia) *pro Hebræo* באבן המלך מאתים שקלים. *Reſpondeo ad prius: ideò dici alicubi* Sanctum, *vel* Regium, *quòd ejus authenticum Exemplar publice in Sanctuario, & æqui ponderans Lapis in Aula Regis aſſeruaretur, quæ eſſent veluti normæ reliquorum per totam Regionem. Ad poſterius: eſſe aliquas è plurimis hallucinationibus Græcorum, quæ non præjudicant Veritati Hebrææ, & reperiri in mea Editione Argentoratenſi in 8. de* A. 1526. *etiam rectè* διακοσίους σίκλους ἐν τῷ βασιλικῷ. *Præterea, leues Græculos ſibi non conſtare, dum Leuit.* XXVII. 25. *etiam Sanctuarii Siclos didrachmos faciunt. Nobis verò potiores ſunt rationes, cur duplicem Siclum inuitæ Scripturæ non obtrudamus. 1. habet illa jam ante dimidium Siclum, is æquaretur integro, & ſic duæ partes euaderent toto majores contra* τὴν κοινὴν ἔννοιαν *Euclidis. 2. eadem ratione etiam Oboli, gerab, quadrantes, trientes, ipſumque Talentum, quippe ex Sicli vel diuiſione, vel multiplicatione, orta eſſent duplicia, confuſiſſima, nec quicquam amplius certum. 3. Textus hoc diſcrimen prorſus ignorat. Sæpe in negotio ſacro ut Exod. XXI. 32. Jud. IX. 4. epitheton* קדש *vel contra in profano, ut 2. Reg.* XV. 20. *titulum* חול *omittit. Quis tunc Oedipus nobis expediet, utrum ſignificet? inde adeò dubitant & diſſentiunt Authores ipſi: quæſo vide,*

vide, quomodo Schindlerus in Radicibus ככר & שקל *ſibi contradicat: niſi forte alterum in poſthumo Opere ab Editionis procuratore ſui parum memore inſertum eſt. 4. accedit auctoritas Scholiaſtis Talmudici, qui L. Bechor* c. 1. p. 5. a. *in margine expreſſè ait, Siclos profanos & ſacros æquales fuiſſe.* Hæc ille.

Præterea occurrunt heic varia, quæ Arithmetices ſubſidio opus habent, Auri, Argenti, Æris per Moſen ab Iſraelitis collecti computus. De Auro memoratur, Capitationis ſummam aſcendiſſe ad 29. Talenta, 730. Siclos. pro *Talento* in Hebræo textu occurrit כִּכָּר *Kikar*, nos reddimus *Centner*, quæ vox communiter, ſaltem apud nos, alligatur Ideæ 100. Librarum, alibi plurium, ut omnino quadraſſet melius vox *Talent* Germaniæ Ciuitate donata. Fuit כִּכָּר maximum Hebræorum pondus 3000. Siclorum. Conſtat id ex ipſo noſtro Textu, & quæ heic exprimuntur Datis. Unum horum eſt ſumma eorum, qui contribuerant, qui nempe *tranſibant numerum ab eo, qui natus erat viginti annos, & ſupra*, quorum quilibet dabat dimidium Siclum Exod. XXX. 13. 603550. & proin prodituri ſint Sicli integri 301775. qui alterum ſuggerunt Datum: tertium denique conſtituit Summa Argenti 100. Talentorum, & 1775. Siclorum. Diuide hos 301775. Siclos per 100. Talenta & 1775. Siclos, obtinebis Siclos 3000. pro valore Talenti. Idem autem eſſe כִּכָּר quod Talentum, conſtat ex *Joſephi Ant.* L. III. c. 7. *ἑβραῖοι μὲν καλοῦσι Κίγχαρες, εἰς δὲ τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶσσαν σημαίνει τάλαντον.*

Cognito igitur pondere unius *Sicli*, innoteſcet mox pondus *Talenti*, ſiue 3000. Siclorum, nempe juxta Eiſenſchmidii Computum,

in Pondere Pariſino.

Libr.	Unc.	Groſs.	Grana.
87.	3.	6.	48,00.

in Pondere Colonienſi.

Marc.	Semunc.	Drachm.	Mom.
182.	10.	1.	17,64.

in Pondere Argentoratenſi.

Libr.	Semunc.	Drachm.	Gran.
90.	19.	3.	46,03.

in Pondere Medico, ſeu Veneto.

Libr.	Unc.	Drachm.	Scrup.	Gran.
119.	2.	4.	2.	9,89.

Hoc fundamento nixus, qui multiplicare nouerit, inueniet 29. Talenta & 730. Siclos Auri æquiualere

in Pondere Pariſino.

Libris.	Unciis.	Drachmis.	Granis.
2551.	2.	6.	45.

Libra conſtante 16. unciis, Unciâ 8. Groſſis ſeu Drachmis, Drachmâ 72. Granis.

in Pondere Colonienſi.

quo Marca habet 16. ſemuncias, ſemuncia 4. Drachmas, Drachma 72. Grana.

Marcis	Semunc.	Drachm.	gran.
5342.	14.	1.	$17\frac{90}{100}$.

in Pondere Argentoratenſi.

quo Libra continet 32. Lothones ſeu Semuncias, Semuncia 4. Drachmas, Drachma 72. Grana.

Libris.	Semunciis.	Drachmis.	Granis.
2650.	3.	0.	$6\frac{70}{100}$.

in Pondere Medico.

quo Libra dat Uncias 12, Uncia 8. Drachmas, Drachma Scrupulos 3. Scrupulus 20. Grana.

Libr.	Unc.	Drachm.	Scrup.	gran.
4486.	3.	5.	0.	$3\frac{81}{100}$.

Si cui lubet conuertere ſummam hanc Auri in pecuniam, inueniet is apud *Eiſenſchmidium* pro *Talento Auri* 12220. aureos ſiue Ducatos, pro Siclo $4\frac{11}{150}$. Ducati: per conſequens pro Talentis 29. Siclis 730. Ducatos $357353\frac{8}{15}$. Alium alii inſtituunt computum. *Goeree* laudatus à *Witſio* ponit Tonnas Auri 130. Florenos Belgicos 5950. ſiue in uniuerſum 219325. Florenos. *Ed. Bernardus* pro Talento ſupponit 5400. Sterlingos, obtinet adeò 157914. in uniuerſum, quæ Sterlingicæ Libræ reſolutæ in Florenos Belgicos dant 1737054. florenis 11. poſitis pro una Libra, qui calculus longiſſime diſtat ab illo *Goerei*. Alium Computum init *Rich. Cumberland*, Talentum æquiparans Sterlingis 5076. inueniens proin pro ſumma totali 148719. Sterlingos. Noſtro & *Eiſenſchmidii* valori proximius accedit *Lundius* ponens 701840. Imperiales.

Pergimus ad computationem *Argenti*, cujus numerantur 100. Talenta, & 1775. Sicli. Hæc reducta dant

in Pondere Pariſino.

Libras.	Uncias.	Drachmas.	Grana.
8775.	9.	1.	24.

in Pondere Colonienſi.

Marc.	Unc.	Drachm.	Grana.
18398.	10.	1.	$6\frac{75}{100}$.

in Pondere Argentoratenſi.

Libr.	Semunc.	Drachm.	Grana.
9115.	26.	2.	$65\frac{55}{100}$.

in Pondere Medico.

Libr.	Unc.	Drachm.	Scrup.	Gran.
11992.	2.	6.	2.	$6\frac{50}{100}$.

Talentum ſi æſtimes pro 1500. Imperialibus, Siclum pro 45. Crucigeris, obtinebis pro Argenti Summa 150887. Imperiales, Crucigeros 45. quam & habet *Lundius*.

Æris denique collecta fuere Talenta 70. Sicli 2400. Dant hæc

in Pondere Pariſino.

Libr.	Unc.	Drachm.	Grana.
6177. —	10. —	2. —	64.

in Pondere Colonienſi.

Marc.	Semunc.	Drachm.	Gran.
12932. —	13. —	3.	— $19\frac{80}{100}$.

in Pondere Argentoratenſi.

Libr.	Semunc.	Drachm.	Gran.
6416. —	1. —	2.	— $30\frac{10}{100}$.

in Pondere Medico.

Libr.	Unc.	Drachm.	Scrup.	Gran.
8440. —	6. —	6. —	0.	— $12\frac{30}{100}$.

Judicent per me licet, alii, undenam pauperrima Iſraelitarum Natio, in Ægypto tantùm non ſtipem emendicare coacta, conquirere potuerit tantas Auri, Argenti, Æris diuitias, tum ad Tentorii ſacri conſtructionem, tum ad totius Cultus Leuitici uſum, & conjectent, habuiſſe ex diuitiis Majorum ſuorum reliquias, id quod ſpeciatim dici poſſet de Joſephi poſteris. Sed quoque ex Hiſtoria Sacra conſtat, *poſtulaſſe Iſraelem juxta mandatum Moſis ab Ægyptiis vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes.* Exod. XII. 35. imo & obtinuiſſe ante ἔξοδον. Nec eſt vero abſimile, reportaſſe manubias pretioſas ex cadaueribus Ægyptiorum Mari ad littus ejectorum. Conferre tandem poterat aliquid ipſum Deſertum, ſpeciatim Ligna, ad ſtructuram Tabernaculi. Intulere quoque, ſi *Abarbaneli* fides, Iſraelitarum caſtris varias res Gentes vicinæ, venum portantes. Sed de hoc ſilet Sacer Codex, nec quendam memorat, qui in Caſtra venerit, præter Jethronem.

Subjungimus jam ſub finem textuum Exodicorum, quædam coronidis loco, quæ Supplementorum nomine Lectori commendamus.

Exod. Cap. I. verſ. 5.

Fuerunt autem omnes Animæ egreſſæ de fœmore Jacob ſeptuaginta: Joſeph verò fuit in Ægypto.

Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de femore Jacob, ſeptuaginta: Joſeph autem in Ægypto erat.

vid. Gen. XLVI. 8.

Exod. Cap. I. verſ. 14.

Hinc facta eſt illis vita amara, in ſeruitute illa graui ac dura, nempe Luto & lateribus, omnique ſeruitio ruris. —

Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. —

Vidimus Gen. XI. 3. in Turris Babelicæ extructione חֹמֶר *Chomer* ſignificare *Bitumen*: heic notat *Lutum* ſeu *Argillam*, Laterum coctilium materiam.

Exod. Cap. II. verſ. 7.

Dixit autem ſoror ejus ad filiam Pharaonis, vadamne ut vocem tibi mulierem nutricem ex Hebræis, quæ tibi puellam lactet?

Cui Soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire poſſit infantulum?

Hebræis idem videtur fuiſſe mos, qui hodie Gallis, Italis, Nationibus Europæis aliis; infantes tenellos lactandos tradere Nutricibus. Habemus heic Exemplum Moſis. *Debora Rebeccæ nutrix* memoratur Gen. XXXV. 8. *Mephiboſeth nutrix* 2. Sam. IV. 4. *Joſabeath*, vel *Joſabea*, quæ Joam ab Athaliæ furore liberauit. 2. Reg. XI. 2. 2. Paral. XXII. 11. Et confertur *Nutricibus* ipſe DEUS Pſal. XLVIII. 15. Jeſ. LXVI. 12. Principes Jeſ. XLIX. 23. LX. 16. Hieroſolyma Jeſ. LXVI. 11. Moſes Num. XI. 12. Apoſtoli 1. Theſſ. II. 7. Optimum ſanè Infantis

tis & naturaliſſimum videtur nutrimentum Lac ipſum maternum, quoniam fluido quaſi eodem, ſanguine ſcilicet, nutriri videmus per ἐννεάμηνον. Eſt autem Lac fluidum ita Sanguini analogum, ut dici poſſit Sanguis albus, ſicuti Sanguis Lac rubrum. Deficiente Lacte materno ſubſtitui ſolet Lac Nutricum, nam ſunt & hæ ex humano genere, & ut officio ſuo benè defungi poſſint, nutriri ſolent cibis quàm optimis. Sed cauto heic eſt opus. Quod ſi hæ ſint rixoſæ, Iræ, Veneri, Baccho litantes, aliis Animi Affectibus, ut nemo Hominum ab iis eſt liber, obnoxiæ, transfertur illico labes, imo Venenum, ad Infantulos, quæ vicariæ Matris pœnam tunc conuulſiuis morbis, diarrhœis, morte ipſa luunt. Triſtia poſſem, quæ Praxis mea me docuit, memorare Exempla, ſi è re id foret. Ut ſæpe in mentem venerit, an non ſalubrius longè ſit Lac vaccinum, utpote ab Affectuum labe prorſus immune ſemper idem, alimentum optimum. Haud infrequens id eſt nobis Heluetiis, qui Infantes nec Matri lactandos damus, nec Nutricibus, ſed ſolo Lacte vaccino farinæ immiſto nutrimus, id quod proprio meæ Familiæ & filiorum meorum adhuc ſuperſtitum quatuor confirmare poſſum Exemplo, qui ne guttulam quidem muliebris Lactis guſtarunt.

Exod. Cap. III. verſ. 8.

Deſcendi quoque, ut liberem eos de manu Ægyptiorum, educamque eos de Terra iſta ad Terram bonam & ſpatioſam, ad Terram fluentem Lacte & Melle, ad loca Chananæi, Hithæi, Amorrhæi, Phereſæi, Hivæi atque Jebuſæi.

Deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa, in terram, quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Jebuſæi.

CLuet Judæa heîc & multis aliis locis Terra Lacti- & Melli-flua, in eodem hoc Capite, ne dubitare poſſet circa Promiſſionem Moſes v. 17. XIII. 5. XXXIII. 3. Leuit. XX.24. Num. XIII.27. XIV. 8. XVI. 14. Deut. VI. 3. XI. 9. XXVI. 9. 15. XXVII. 3. XXXI. 20. Joſ. V. 6. Jer. XI. 5. XXXII. 22. Ezech. XX. 6. 15. Eſt hæc Phraſis & Poetis profanis uſitata. *Euripides* in *Bacchis* v. 142.

Ρεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ρεῖ δ᾽ οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν
Νέκταρι ———

Fluit Lacte ager,
Fluit etiam vino, fluit & Apum
Nectare ———

Virgil. Eclog. 3.

Melle fluant illi, ferat & Rubus aſper
Amomum.

Ouid. Metam. L. I. ubi de aurea Ætate

Flumina jam Lactis, jam Flumina Nectaris
ibant.

Ubi per *Nectar* intelligendum eſt Mel, quod conſtat ex l. c. Euripidis. *Horat.* L. II. *Od.* 19.

- - - - *lactis & uberes*
Cantare riuos, atque truncis
Lapſa cauis iterare mella.

Claudian. L. I. de laude Stiliconis v. 84.

Tunc & Solis equos, tunc exultaſſe choreis
Aſtra ferunt, melliſque Lacus, & flumina
Lactis
Erupiſſe ſolo ———

De copia Lactis & Lacticiniorum in Judæa nemo eſt, qui dubitare poſſit; Ruminantia, lactifera ſimul, Animalia erant populo Judaico in cibos præſcripta, & ſacrificia: ferebat illa Regio in Montes diſtincta & Valles *Mel* abundatiſſimum, non *domeſticum* ſolum, ex Apibus, quæ domi aluntur, ſed & *ſylveſtre*, μέλι ἄγριον, quo Johannes vixerat in Deſerto Matth. III. 4. de quo alibi fuſius.

Exod. Cap. III. verſ. 17.

Et dixi: Educam vos de adflictione Ægyptiorum ad Terram Chananæi, Hithæi, Amorræi, Phereſei, Hiuæi, atque Jebuſei, ad Terram fluentem Lacte & Melle.

Et dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi, & Pherezæi & Heuæi & Jebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.

vid. v. 8.

Exod. Cap. IV. verſ. 9.

Quodſi nec duobus iſtis ſignis crediderint, nec vocem tuam audierint, accipies de Aquis Fluminis, & effundes in ſiccam (humum) eruntque Aquæ illæ, quas de flumine acceperis, erunt, inquam, ſanguis in ipſa ſicca (humo).

Quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam: Sume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quicquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem.

Bina vidit, & patrauit, Miracula Moſes veluti proſcenii loco in Baculo, & corpore ſuo, tertium non patrari debebat trans Mare Rubrum, ſed in ipſa, ubi maximorum Miraculorum ſcena aperienda erat, Ægypto, in flumine Nilo, cujus Aqua nunc non ad manus erat. De hocce autem plenius agetur, ubi cum Thaumaturgo Ægyptum fuerimus ingreſſi, nempe de Aquæ in ſanguinem mutatione.

Exod. Cap. XI. verſ. 4. 5.

4. Et dixit Moſes, ſic dixit DOMINUS; circa medium noctis ego exibo in ipſam Ægyptum.
5. Morieturque omne primogenitum in Terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt molam, atque omne primogenitum Jumentorum.

Et ait; hæc dicit Dominus: Media nocte ingrediar in Ægyptum.

Et morietur omne primogenitum in Terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita Jumentorum.

vid. Exod. XII. 29.

Exod. Cap. XII. verſ. 1. 2.

1. Et dixit DOMINUS ad Moſen, & ad Aharonem in Terra Ægypti in hanc ſententiam.
2. Menſis iſte erit vobis principium Menſium, is erit vobis primus in Menſibus Anni.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in Terra Ægypti.

Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni.

Ex

EX hactenus allatis variis indiciis certum eſt, miracula ad hoc usque tempus in Ægypti & pœnam & perniciem patrata fuiſſe tempore verno, circa Æquinoctium. Hiſtoria, quæ merebatur, & debebat, incidi non tam *Æri* & Marmoribus ferreis ſtylis, quàm mentibus omnium Judæorum, imo verti in *Æram* ſeu *Epocham.* Res æternâ memoriâ digna Tempori veluti Æneæ Tabulæ inſcribi, imo Paſchatis Solemniſſimo Feſto quotannis celebrari. Vidimus, in ſpecie ex collatione Gen. VII. 11. 24. & Gen. VIII. 4. in uſu fuiſſe Patriarchis Annum Solarem 365. dierum, ante & poſt diluuium, ad hæc usque, quibus populus Iſraeliticus liberari debebat ab Ægyptiorum jugo, tempora. An verò is Annus cœperit Autumno, vel Vere, heic loci non vacat inquirere. Diu eſt ſatis, ex quo preſſi viuebant Iſraelitæ ſub alieno dominio, imo tandem ad extrema ſuſpiria redacti. Nunc aliam prorſus & nouam faciem induet Status Populi hujus tum Politicus, tum Eccleſiaſticus. Durauit ſeruitus Canaanitica 215. annis, & totidem Ægyptiaca. v. Gen. XV. 13. - 16. Nunc caput extollit noua Regiminis forma, de qua non alius populus gloriari poteſt, *Theocratia.* Occaſionem dedit inſignis hæc mutatio Æræ Judæorum, quemadmodum CHRISTI Aduentus Epochæ Chriſtianorum, condita Roma Æræ Romanorum, aliæ aliarum Gentium res maximè memorabiles aliis Æris, quarum recenſione ſuperſedeo.

Erit in poſterum Judæis *Annus* duplex, *ciuilis* & *Sacer.* Ille & antiquus, quem habebant à Majoribus, fuit Solaris, 12. Menſium Solarium, quibus in fine additi fuerunt 5. dies, dicatus uſui Politico, Sabbathicis quoque Annis ſeu Jubilæis, cujus initium erat Menſis *Thisri,* autumnalis. Hic, ſiue Eccleſiaſticus, adhibebatur celebrationi Feſtorum, & inchoabatur, vi mandati Diuini in noſtro Textu, in Menſe *Niſan* ſeu *Abib,* qui reſpondet partim *Martio* noſtro, partim *Aprili.* Imo vero præciſum initium in primo Nouilunio ab Æquinoctio verno. Abhinc computanda in poſterum omnia Feſta juxta Nouilunia.

Sed controuertunt viri docti, an hic ipſe *Annus Eccleſiaſticus* fuerit *Lunaris* vel *Solaris* vel *Lunæ-Solaris ?* Ultimum volunt Chronologorum præſtantiſſimi. Attendiſſe Judæos ad motum Solis, conſtat ex initio, quod, ut ante vidimus, incidit in primum ab Æquinoctio Nouilunium: ex duratione item Menſium 30. diebus abſolutorum, quæ menſura uſui ciuili eſt commodior quàm menſium Lunarium. Ita ſinguli Menſes abſoluebantur diebus 30. ſed ultimus 35. vel, ſi adhibuerunt Lunationes, altero tertioue quouis Anno Menſem integrum, ſiue Lunationem integram intercalare habebant neceſſe, ut ad Solis motum redire poſſent. Hinc eſt, quòd *Annus Judaicus communis* habuerit 12. ſed *Intercalaris* 13. Lunationes: *communis* verò fuit *ordinarius* ſeu *medius* dierum 354. vel *abundans* 355. vel *defectiuus* 353. Sed & *Annus intercalaris* triplicis formæ, dierum 383. 384. 385.

Exod. Cap. XII. verſ. 6.

Et hanc quidem (pecudem) ſeruabitis usque ad decimum quartum diem hujus Menſis; mactabitque eam omnis cœtus congregationis Iſrael inter veſperas.

Et ſeruabitis eum usque ad quartam decimam diem menſis hujus; immolabitque eum uniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.

HAud eſt dilucidatio hujus Verſiculi parui momenti tum pro Chronologia, tum pro reſoluendis variis Quæſtionibus Paſcha tum Judæorum, tum CHRISTI concernentibus. Indixit, quod vidimus, DEUS Paſchatis & præparandi & mactandi menſem, & diem, indicit &, quod nunc videbimus, penè Horam, dum mactari jubet בֵּין הָעַרְבָּיִם, *inter duas veſperas.*

Notum aliunde, & vel ex Hiſtoria Creationis, *Diem Judæorum,* ut & modernorum Italorum, à veſpera incepiſſe, & in ſequenti Veſpera deſiiſſe, ſiue, noſtro computandi more, à ſexta veſpertina ſeſe protendiſſe ad ſextam veſpertinam ſequentis Diei. Jubentur Judæi ſeruare Sabbathum *à Veſpera ad Veſperam.* Leuit. XXIII. 32.

Sed quodnam eſt Tempus illud, de quo heic, *inter duas veſperas ?* Judæos ſi conſulamus, quorum intererat præciſiſſimè obſeruare Legem præſcriptam, diuiſos videbimus in binas palmarias Sectas, *Rabbiniſtarum* & Karæorum, de quibus fuſius agit *Triglandius Diatribe de Secta Karæorum. Rabbiniſtæ,* & ex his cumprimis domus *Hillelis,* tempus illud, inter duas veſperas, locant inter Meridiem & Veſperam ejusdem Diei, ab Hora $12\frac{1}{2}$. usque ad 6. juxta noſtrum, vel à $6\frac{1}{2}$. ad 12. juxta Judæorum computandi morem. His *prima veſpera,* poſtquam Sol Meridianum tranſiit, vel ad Occaſum vergere incipit, ſecunda, quam & nos *Ve-*

ſperam nuncupamus, tempus Occidenti Soli proximum. Juxta hanc ſententiam mactari debebat Paſcha die 14. Menſis Niſan inter duodecimam Horam cum dimidia & ſextam veſpertinam. Huic ſententiæ ſubſcribit magna Literatorum cohors. Lucem quoque fœneratur profana Antiquitas. *Heſychio* eſt δείλη πρωΐα, ἡ μετ' ἄριστον ὥρα, *veſpera matura, tempus à prandio* (proximum) & δείλη ὀψία ἡ περὶ δύσιν ἡλίου, veſpera ſera, quæ circa Solis occaſum. Et *Euſtath. in 17. Odyſſ.* Διττὴ κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἡ δείλη, ἡ μὲν γὰρ ὀψία δείλη, τὸ τελευταῖόν φασι τῆς δείλης μέρος, τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς. Ἑτέρα δὲ δείλη πρωΐα τὸ πρῶτόν φασι τῆς δείλης τὸ εὐθὺς ἐκ μεσημβρίας. *Juxta Veteres duplex eſt Veſpera; ſera enim Veſpera eſt, ut ajunt, Veſperæ pars extrema: altera verò matura veſpera, cujus initium ſtatim à Meridie.* Pertinet huc illud *Varronis* in *Satyra Menippea. Neſcis quid veſper ſerus vehat*, nempe δείλη ὀψία. Adde ex Sacris, inter illas veſperas mactatum fuiſſe quoque juge ſacrificium, accenſas lampades, factum ſuffimentum. Exod. XXIX. 39. XXX. 8. Quo ordine ſingula hæc peracta fuerint, docet *Maimonis* filius *Tract. de Paſch. C. 1. Sect. 4. Miſna in Peſachim* c. 5. Juxta *Joſephum Bell. Jud.* L. VII. c. 17. Paſchales Agni mactabantur ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, ab hora tertia ad quintam veſpertinam, noſtro computandi more.

Aliud volunt *Karæi*, mactari debuiſſe Paſcha poſt Solis occaſum, inter Veſperam præcedentis Diei 13. & veſperam Diei 14. Sententiam hanc recoxit inprimis *Ferrand Remarq. ſur la Relig. Chrêt.* Dabimus eam, quia meretur, plenæ luci, ſuis firmatam rationibus, ſed & contrariis refutatam.

1. Ægypto egreſſi ſunt Iſraelitæ poſt Paſchatis celebrationem. Jam autem eos *de Ægypto noctu eduxit* DEUS. Deut. XVI. 1. *ad veſperam, quum Sol occidit, ſtato tempore, quo egreſſus es ex Ægypto* v. 6. Cadit profectio hæc in 15. *diem primi Menſis poſtridie Paſſah.* Num. XXXIII. 3. Haud proin potuerunt celebraſſe Paſcha veſperâ inchoantis Diei, qua, Sole occidente, fuere egreſſi, ſed quidem veſpera inchoantis 14. diei, inter veſperam Diei 13. & 14. Sed regeri poteſt, eſſe locutionem hanc, *inter duas Veſperas*, vel ſuperfluam, vel haud neceſſariam, & ſimpliciter poni potuiſſe diem 14. cujus νυχθήμερον integrum deſtinatum fuiſſet mactationi & celebrationi. Et, animaduertente Cel. *Witſio Melet. Leid. Diſſ.* XI. *Exitus* nomine intelligi debet tum Mandatum, libertas, & intentio exeundi, tum præparatoria ad profectionem neceſſaria, tum & ipſum egreſſus initium: Oportebat enim conuenire, Paſcha comedere, exitum habere ratum: accedit Pharaonis permiſſio, imo Mandatum exeundi, Ægyptiorum ipſorum inſtigatio. Ita Iſraelitæ ad Iter erant parati verſus noctem, & reuera proficiſcebantur ſequenti manè. Id eſt, quod legimus citato loco Num. XXXIII. 3. *Profecti itaque ſunt de Raemſes in primo Menſe quinta decima die primi Menſis, poſtridie Paſſah egreſſi ſunt filii Iſrael manu excelſa, coram oculis cunctorum Ægyptiorum, quum Ægyptii ſepelirent eos, quos percuſſerat DOMINUS in eis, nempe omnia primogenita* &c. *(Profecti igitur de Rameſſe menſe primo, quinta decima die menſis primi, fecerunt altera die Phaſe, filii Iſrael in manu excelſa, videntibus cunctis Ægyptiis. Et ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus.)* Non proin, quod *Ferrandus* vult, egreſſi ſunt Iſraelitæ occidente Sole, & verba illa Deut. XVI. 6. *ſtato tempore*, *quo* intelligenda ſunt non præciſè de Hora Diei, ſed de Die ipſo. Conſtat id ex Exod. XII. 17. *Obſeruabitis infermentata, nam hoc ipſo die eduxi Exercitus veſtros de Terra Ægypti. Obſeruabitis igitur hunc diem apud poſteros veſtros. (Et obſeruabitis azyma: in eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de Terra-Ægypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.)* Et Exod. XIII. 3. *Meminiſſe (oportet) diei bujus, in quo egreſſi eſtis de Ægypto.* Et vox מוֹעֵד, quæ in Textu pro *ſtato tempore* occurrit, alibi ſpatium notat ſeptem dierum. Egregiè hanc in rem *Abenezra Comm. ad Exod.* XII. 31. *Inceperunt egredi matutino tempore: Et hoc eſt tempus adſcenſionis columnæ Auroræ, quando Sol incipit oſtendere lucem in Nubibus. Eſt autem inter principium hujus momenti, & Ortum Solis hora æquabilis, & tertia pars horæ: idque dicitur nobis manè, quamuis adhuc ſint profundæ tenebræ. Fuerunt igitur ex Iſrael, qui exibant in principio columnæ Auroræ, quum adhuc Nox eſſet, ſecundum modum Legis usque ad Ortum Solis. Hi erant propinqui Ægypto, ſed alii longius poſiti egrediebantur die ipſo, quia congregatio magna erat. Porro eſt à principio Rameſſis usque ad finem ejus plus octo paraſangis. Idcirco ſcriptum eſt* Deut. XVI. 1. Eduxit te Jehouah DEUS tuus ex Ægypto noctu. Et *alia Scriptura* Exod. XIII. 4. Hoc die vos exitis. *Amplius, ubi ſcriptum eſt.* Et filii Iſrael egreſſi ſunt manu excelſa Num. XXXIII. 3. *ibi mox adjungitur*, *Ægyptiis* ſepelientibus primogenitos. *At de die ſepeliunt.*

2. Pergit *Ferrandus*, inhibitum fuiſſe egreſſum Iſraelitis vel ex domo nocte Paſchali, *nullus ex vobis domus ſuæ fores egrediatur usque manè.* Exod. XII. 22. Quantò minus fuiſſet licitum aggredi iter ipſum. Sed regeritur, non pugnare Mandatum hocce prohibitorium cum egreſſu ipſo, prouti eum explicamus v. 23. allegatur ratio ipſa inhibitorii. *Tranſibit enim DOMINUS ut cædat Ægyptios, quumque Sanguinem in ſuperis liminibus, & in duobus poſtibus viderit, tranſiliet DOMINUS januam illam, neque permittet vaſtatorem ingredi domus veſtras, ut cædat.* Terminus igitur mandati limitaneus fuit Plagæ infligendæ finis: & primogenitis Ægyptiorum ab exterminatore Angelo cæſis, egreſſi ſunt Iſraelitæ bono manè, oriente die, ex Ægypto.

3. Vult

3. Vult *Ferrandus*, tot res, ſi Hiſtoriæ fides, Iſraelitis poſt celebrationem Paſchatis fuiſſe peragendas, quot vix Dies ſuffecerit integer. Media nempe nocte percuſſerat DOMINUS Ægyptiorum primogenitos. Surgebat Pharao è lecto, vocabat Moſen & Aharonem. Erat Rex in Regia ſua, & Goſen ſiue Raemſes, ubi videntur Paſcha celebraſſe Iſraelitæ, forſan 12. vel 15. milliaria remotum ab Aula. Tranſire proin debuerant Horæ, quibus ſtator mitteretur à Pharaone ad Moſen & Aharonem, & redire hi ad Regem, imo aliæ Horæ pro reditu virorum DEI ad Populum. Et poſcebant inſuper Iſraelitæ ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, & veſtes, quod ipſum ſine temporis aliqua mora peragi non poterat. Et ex his omnibus conſtare, non potuiſſe Iſraelitas eadem nocte, qua Paſcha celebrabant, & quidem occidente Sole, Ægypto egredi. Sanè, ſi computo huic Ferrandi eſt inſiſtendum, impoſſibilis redditur Iſraelitarum die 15. exitus, & nimia foret illius argumentatio, non contra Scripturam duntaxat, ſed & contra ſe ipſum. Non vana *Witſii* eſt conjectura, degiſſe tunc forſitan Pharaonem alicubi in vicinia Goſen, quemadmodum notum, diuertiſſe *Herodem* ſæpe in ſuo *Herodio*, ſiue *Maſſada*, loco montoſo Arabiæ vicino, teſte *Joſepho Bell. Jud.* L. I. c. 16. & L. VII. c. 28. *Jothamum* habuiſſe *ciuitates in montanis Juda, & in nemoribus Arces ac Turres extruxiſſe.* 2. Chron. XXVII. 4. *Solomonem Domum Saltus Libani.* 1. Reg. VII. 2. Poſtulaſſe id tantùm non Rationem ſtatus, ut Iſraelitis ad perduellionem fortè diſpoſitis tantò foret propior cum ſuo Exercitu. Hoc poſito cadet protinus calculus Horarum, itui & reditui virorum DEI neceſſariarum, qui ipſi quoque, ut Regi propiores eſſent, fortè degere poterant in vicinia. Neque videtur mora eorum apud Regem diutina. Fuit ſanè ultima Regis, & definitiua ſententia breuis. *Surgite, exite è populo meo, tam vos, quam filii Iſrael, & ite ſacrificaturi DOMINO juxta verbum veſtrum.* Exod. XII. 31. *(Surgite, egredimini à populo meo, vos & filii Iſrael; ite, immolate Domino, ſicut dicitis.)* Subtrahi inſuper poſſunt Horæ petendis mutuò vaſis aureis & argenteis neceſſariæ. Emanauit jam ante DEI ad Iſraelitas Mandatum Exod. XI. 2. *Loquere, audiente populo, ut quisque à proximo ſuo, & quæque à proxima ſua, vaſa argentea & aurea poſtulet. (Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea.)* Poterant igitur Iſraelitæ mandatum hoc ante dare effectui, quam Percuſſionis plaga inflicta fuit Ægyptiis. *Hoc factum fuerat*, verba ſunt *Auguſtini Quæſt.* XLV. *in Exod. ante mortes primogenitorum Ægyptiorum. Sed nunc per recapitulationem repetitur. Non narratum eſt, quando factum eſt. Modo enim fieri quomodo poſſet in tanto luctu ex mortibus ſuorum, ut accommodarent iſta filiis Iſrael?* Tempore omnino opus habuit hæc petitio, nec fieri poterat, conſtitutis omnibus Ægyptiis in luctu. Nec latebat Iſraelitas, ipſis egrediendum fore hac nocte, imo parati ſtabant induti calceis, cum baculo in manibus, tandemque adigebant illos Ægyptii omnibus modis, ut promptè exirent è finibus.

4. *Ferrando* judice Lex illa Deut. XVI. 6. qua jubetur populus mactare Paſſah *ad veſperam, quum Sol occidit, ſtato tempore, quo egreſſus eſt ex Ægypto*, noua prorſus eſt, prioremque, quam Textus noſter habet, tollit. Hoc ſcilicet ejus effugium, quia illam huic combinare non poterat; quum tamen *Exod.* XII. 14. Lex de mactatione & celebratione Paſſah æterna eluat & immutabilis. *Erit vobis dies ille monumentum, & celebrabitis eum, Feſtum DOMINO in poſteritate veſtra, ſtatuto perpetuo celebrabitis eum. (Habebitis autem hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum ſolennem Domino, in generationibus veſtris cultu ſempiterno.)* & v. 42. *Nox hæc obſeruabilis DOMINO, qua eduxit eos de Terra Ægypti. Hæc, inquam, nox illa DOMINI eſt, quam obſeruare debent omnes filii Iſrael per poſteritates ſuas.*

Fuit & CHRISTUS, agnus verus Paſchalis, è medio ſublatus, ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, δία τῆς θυσίας αὐτȣ̃ πεφανερωμένος. Hebr. IX. 26. medio menſe Niſan, in Plenilunio, inter duas veſperas, hora ſcilicet diei nona, ſeu tertia. Matth. XXVII. 46. 50.

Exod. Cap. XII. verſ. 7.

Tollant inſuper de Sanguine, ponentque in duobus poſtibus, & in ſuperis liminibus domorum, in quibus eam edent.

Et ſument de ſanguine ejus, ac ponent ſuper utrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum in quibus comedent illum.

ZUz, זוז *poſtis*, מְזוּזוֹת *mezuzoth*, *poſtes*, græcis ςαθμοὶ & παραςάδες. *Pollux* Σταθμοὶ δὲ τὰ ἑκατέρωθεν ξύλα κατὰ πλευρὰν τῶν θυρῶν, ἃ καὶ παραςάδας φασίν. מַשְׁקוֹף *maſchkoph*, *ſuperliminare*, forte à שָׁקַף *Schakaph*, *proſpexit*, propter cancellos aut clathros ſummis foribus apponi ſolitos, ut per eos proſpicerentur, qui fores pulſauerant, antequam recluderetur oſtium. Cujusmodi *Januas Polybius* appellat θύρας διαφανεῖς δικτύωτας, *Paulinus Epiſt.* 12. *ad Seuerum pellucentem tran-*

ſennam; Caſſiodorus tralucidas fores. Poteſt & intelligi *Veſtibulum*, ex quo in viam patet proſpectus, πρόθυρον, προπύλαιον, hinc fortè Græci τὴν φλίαν hîc habent. *Heſychio* enim φλία eſt πρόθυρον. Quicquid ſit, aſpergendus fuit ſanguine uterque Oſtii poſtis, & ſuperliminare, non limen, ne Sanguinem Sacrum, qui & ſacrificii & Sacramenti loco fuit, transeuntes pedibus conculcarent. Quidni in illis vera Religio præſtiterit, quod in *Azotiis* ſuperſtitio, qui à calcando Templi ſui limine diu abſtinuerunt, poſtquam in eo Dagon cernuus cecidiſſet. 1. Sam. V. 5. Sophon I. 9. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50.

Exod. Cap. XII. verſ. 12.

Et transibo in Terra Ægypti nocte illa, & cædam omne primogenitum in Terra Ægypti, tam in Hominibus, quam in Jumentis, & in cunctis Diis Ægypti edam judicia, ego DOMINUS.

Et transibo per Terram-Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in Terra-Ægypti, ab homine usque ad pecus; & in cunctis Diis Ægypti faciam Judicia, ego DOMINUS.

vid. v. 29.

Exod. Cap. XII. verſ. 13.

Et Sanguis ille erit vobis Signum in domibus, in quibus vos fueritis, cumque Sanguinem illum videro, præteribo vos, nec erit in vobis plaga internecionis, quum cæcidero in Terra Ægypti.

Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis; & videbo Sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero Terram-Ægypti.

SIgnum heic occurrit, ſed non naturale, imo prorſus Supernaturale, Diuinum & arbitrarium. Sanguine Agni DEUS certè non eguit, ut ſuos dignoſceret ab aliis, & alio prorſus, vel nullo, ſi voluiſſet, uti potuiſſet. Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ ΘΕΟΥ ἕστηκεν, ἔχων τὴν σφραγίδα ταύτην. ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ. 2. Tim. II. 19. *Nouit* CHRISTUS *oues ſuas.* Joh. X. 14. 27. Non DEO hoc Signum datur, ſed Hebræis, ut eo confirmati de liberatione ſint certi. Πίστει πεποίηκε τὸ Πάσχα, καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος, ἵνα μὴ ὁ ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα θίγῃ αὐτῶν. Hebr. XI. 28. Senſu myſtico Juſtitia DEI iis ſolis parcit, quorum conſcientiæ CHRISTI Sanguine ſunt aſperſæ, qui electi ſunt εἰς ῥαντισμὸν ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

Exod. Cap. XII. verſ. 18.

In primo, decimo quarto die illius Menſis ſub veſperam comedetis Placentas infermentatas, usque ad vigeſimum primum diem Menſis ad veſperam.

Primo Menſe, quarta decima die Menſis ad veſperam comedetis azyma, usque ad diem viceſimam primam ejusdem menſis ad veſperam.

INdicantur heic *ſeptem Dies Azymorum*, qui numerari debent non ab initio, ſed à fine Diei 14. & protendi ad finem diei 21. Nam ſi cœperis ab initio Diei 14. non 7. habebis Dies, ſed 8. Paſcha comedi oportuit ſub finem Diei 14. Et 15. die poſtridie Paſchatis egreſſi ſunt Iſraelitæ. Eſt proin Textus noſter interpretandus de Veſpera deſinente utriusque diei 14. & 21. Sed numero Dierum 7. Azymorum excluditur Dies 14. includitur 21.

Exod. Cap. XXXV. verſ. 5 - 9.

5. — Aurum, Argentum atque Æs.	Aurum, argentum & æs.
6. Hyacinthinum (ſericum) purpureum, coccinum bis tinctum, Byſſum & (pilos) caprarum.	Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum.
7. Pelles quoque Arietum rubras, & pelles melium, una cum Lignis Sitim.	Pellesque arietum rubricatas, & hyacinthinas, ligna Setim.
8. Et oleum ad Luminare, odoramenta ad Oleum unctionis, & aromata ad ſuffitum.	Et oleum ad Luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiama ſuauiſſimum.
9. Lapides quoque Schoham, & Lapides, qui includantur in Ephod, & in Pectorali.	Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum ſuperhumeralis & rationalis.

vid. Exod. XXV. 3 - 7.

Exod. XXXV. 23 - 28.

23. Quicunque habebant Hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, byſſum & pilos caprinos, & pelles arietum rubras, & pelles melium, hæc attulerunt.	Si quis habebat aureum, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas.
24. Quicunque in ſublime tollebant Thruma argenti & æris obtulerunt Thruma Domino. Quicunque habebant Ligna Sitim pro uniuerſo opere Miniſterii ea obtulerunt.	Argenti ærisque metalla obtulerunt Domino, lignaque Setim in varios uſus.
25. Omnes quoque mulieres, quæ erant ſapienti corde, manibus ſuis nebant, & quod manibus operatæ erant, attulerunt, nempe Hyacinthum (ſericum) purpureum, coccinum bis tinctum & byſſum.	Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum ac byſſum:
26. Sed & omnes mulieres, quas incitabat cor ſuum, neuerunt induſtrie pilos caprinos.	Et pilos caprarum, ſponte propria cuncta tribuentes.
27. Principes quoque attulerunt Lapides Schoham, & gemmas inferendas in Ephod & pectorale.	Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale & rationale.
28. Odoramenta quoque & Oleum pro luminari, & pro Oleo unctionis, & aromata ad ſuffitum.	Aromatáque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris ſuauiſſimi componendum.

Vide Exod. XXV. 3 - 7.

Exod. Cap. XXXV. verſ. 35.

Impleuitque eos ſapientia cordis, ut facere poſſint omne opus fabrile Polymitum & Phrygium, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo textorioque opere, factores omnium Operum, & Polymiti ingenioſi.

Ambos erudiuit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.

Vide Loc. Cit.

Exod. Cap. XXXVI. verſ. 8. - fin.

8. Fecerunt itaque omnes, qui ſapienti erant corde, per hos, qui faciebant Opus Tabernaculi, decem aulæa ex Byſſo torta, hyacinthino (ſerico) purpureo, & coccino bis tincto. Cherubim fecit in eis opere polymito.

Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de byſſo retorta, & hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita:

9. Longitudo unius aulæi erat viginti octo cubitorum, & latitudo aulæi unius quatuor cubitorum eadem menſura erant omnia aulæa.

Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor: una menſura erat omnium cortinarum.

10. Et conſociauit quinque aulæa unum ad alterum.

Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque ſibi inuicem copulauit.

11. Fecit etiam anſulas ex hyacintho in Oris unius cujusque aulæi, ut extremis ſuis alterum alteri conſociaretur.

Fecit & anſas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ alterius ſimiliter.

12. 13. Et fecit quinquaginta fibulas aureas, & conjunxit aulæa, unum ad alterum illis fibulis, factumque eſt Tabernaculum unum.

12. Ut contra ſe inuicem venirent anſæ, & mutuo jungerentur.

13. Unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum anſas, & fieret unum Tabernaculum.

14. Fecit & aulæa de pilis caprarum pro tentorio Tabernaculi undecim aulæa fecit.

Fecit & ſaga undecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi.

15. Longitudo unius aulæi habuit triginta cubitos, & latitudo unius aulæi habuit quatuor cubitos, eandem menſuram habebant undecim aulæa.

Unum ſagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor, unius menſuræ erant omnia ſaga.

16. Et

16. Et conſociauit quinque aulæa ſeorſim, & rurſus ſex ſeorſim.

Quorum quinque junxit ſeorſum, & ſex alia ſeparatim.

17. Fecit quoque anſulas quinquaginta unicuique aulæo in oris, ut extremis ſuis alterum alteri conſociaretur excipientibus ſeſe mutuo anſulis.

Fecitque anſas quinquaginta in ora ſagi unius, & quinquaginta in ora ſagi alterius, ut ſibi inuicem jungerentur.

18. Fecit deinde quinquaginta fibulas æneas ad conjungendum tentorium illud in unum.

Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus ſagis fieret.

19. Et fecit tegumentum ſuper illud Tentorium ex pellibus arietum rubris, & tegumentum ex pellibus melium ſuper illud.

Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque deſuper velamentum de pellibus hyacinthinis.

20. Fecit & aſſeres pro Tabernaculo ex lignis Sitim ſtantes.

Fecit & tabulas tabernaculi de lignis Setim ſtantes.

21. Decem Cubitorum erat longitudo aſſeris, latitudo vero aſſeris cubiti unius & dimidii.

Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: & unum ac ſemis cubitum latitudo retinebat.

22. Duos denticulos habebat unusquisque aſſer, qui inciſi erant alter è regione alterius; Sic fecit omnibus aſſeribus Tabernaculi.

Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23. Fecit (inquam) aſſeres pro Tabernaculo, nempe viginti aſſeres verſus plagam Meridionalem.

E quibus viginti ad plagam Meridianam erant contra Auſtrum.

24. Et quadraginta baſes argenteas fecit ſub viginti aſſeres, duas baſes ſub unum aſſerem, pro duobus denticulis ejus, & duas baſes ſub alio aſſere pro duobus denticulis ejus.

Cum quadraginta baſibus argenteis. Duæ baſes ſub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur.

25. Alteri lateri Tabernaculi, quod eſt ad Angulum aquilonarem fecit viginti aſſeres.

Ad plagam quoque Tabernaculi, quæ reſpicit ad Aquilonem, fecit viginti Tabulas.

26. Et quadraginta baſes argenteas, duas baſes ſub unoquoque aſſere.

Cum quadraginta baſibus argenteis, duas baſes per ſingulas tabulas.

27. Ad latus vero Tabernaculi Occidentale fecit ſeſe aſſeres.

Contra Occidentem vero, id eſt, ad eam partem tabernaculi, quæ Mare reſpicit, fecit ſex tabulas.

28. Et duos aſſeres fecit in angulis Tabernaculi, qui gemini erant infra.

Et duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retro.

29. Sic gemini erant in capite ſuo ad annulum unum: Sic fecit pro duobus illis, pro duobus (inquam) angularibus.

Quæ junctæ erant à deorſum usque ſorſum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos.

30. Et fuerunt octo aſſeres, baſes autem eorum argenteæ ſedecim

Ut octo ſimul eſſent tabulæ, & haberent baſes argenteas ſedecim, bi-

erant, ſub unoquoque aſſere duæ baſes.

nas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis.

31. Fecit & Vectes ex lignis Sitim, quinque pro aſſeribus Tabernaculi in latere uno.

Fecit & vectes de lignis Setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi.

32. Et quinque vectes pro aſſeribus Tabernaculi in latere altero, & quinque vectes pro lateribus Tabernaculi ad duo latera Occidentis.

Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad Occidentalem plagam tabernaculi contra Mare.

33. Fecit & vectem intermedium, qui per medium aſſerem (tranſiens) contignet à fine ad finem.

Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perueniret.

34. Et aſſeres ipſos obduxit auro, eorumque annulos fecit aureos, qui eſſent loculi ipſis vectibus, obduxitque vectes auro.

Ipſa autem tabulata deaurauit, fuſis baſibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos: per quos vectes induci poſſent, quos & ipſos laminis aureis operuit.

35. Fecit & Velum ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta, Cherubim fecit in ipſis opere Polymito.

Fecit & velum de hyacintho, vermiculo ac byſſo retorta, opere polymitario, varium atque diſtinctum.

36. Fecit quoque illi quatuor columnas de Lignis Sitim, easque auro obduxit, uncini autem earum aurei erant, & fudit pro eis quatuor baſes argenteas.

Et quatuor columnas de lignis Setim, quas cum capitibus deaurauit, fuſis baſibus earum argenteis.

37. Fecit quoque velamen in oſtium Tabernaculi ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta opere Phrygio.

Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byſſoque retorta, opere plumarii.

38. Et columnas ejus quinque cum uncinis earum, obduxitque capita illarum & ambitus illarum auro, baſes autem earum erant æneæ.

Et columnas quinque cum capitibus ſuis, quas operuit auro, baſesque earum fudit æneas, quas & operuit auro.

Vide ad Exod. XXVI.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 1.

Fecit quoque Bezaleel arcam de lignis Sitim, longitudo ejus fuit duorum cubitorum & dimidii, latitudo ejus cubiti unius & dimidii: Sic quoque altitudo ejus cubiti & dimidii.

Fecit autem Beſeleel & arcam de lignis Setim, habentem duos ſemis cubitos in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii.

Vide Exod. XXV. 10.

Exod.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 6.

Fecit & propitiatorium de auro mundo, longitudo ejus fuit duorum cubitorum & dimidii, latitudo autem ejus unius cubiti atque dimidii.

Fecit & propitiatorium, id eſt oraculum, de auro mundiſſimo duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac ſemis in latitudine.

Vide Exod. XXV. 17.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 10.

Et fecit menſam ex lignis Sitim, longitudo ejus erat duorum cubitorum, latitudo ejus unius cubiti, altitudo ejus cubiti unius atque dimidii.

Fecit & menſam de lignis Setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac ſemiſſam.

Vide Exod. XXV. 23.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 12.

Et fecit ei limbum palmarium per ambitum, limbo autem addit per ambitum coronam auream.

Ipſique labio coronam auream interraſilem quatuor digitorum, & ſuper eandem, alteram coronam auream.

Vide Exod. XXV. 25.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 24.

Ex Talento auri mundi fecit ipſum cum omnibus vaſis ejus.

Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis.

Vide Exod. XXV. 39.

Exod. Cap. XXXVII. verſ. 25.

Fecit & aram ſuffitus ex Lignis Sitim, longitudo ejus erat unius cubiti, & latitudo ejus cubiti unius, quadrata erat, altitudo ejus erat duorum cubitorum, ex ipſa quoque prodibant cornua ejus.

Fecit & altare thymiamatis de lignis Sitim, per quadrum ſingulos habens cubitos, & in altitudine duos: è cujus angulis procedebant cornua.

Vide Exod. XXX. 1. 2.

Exod. Cap. XXXVIII. verſ. 1. 2.

1. Fecit quoque aram holocauſti ex lignis Sitim, quinque cubitorum erat longitudo ejus, & quinque cubitorum latitudo ejus, quadrata erat, & trium cubitorum erat altitudo ejus.

Fecit & altare holocauſti de lignis Setim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine.

2. Et fecit quatuor cornua ejus in quatuor angulis ejus: ex ipſa erant cornua ejus, & obduxit eam ære.

Cujus cornua de angulis procedebant: operuitque illud laminis æneis.

Vide Exod. XXVII. 1.

Exod. Cap. XXXVIII. verſ. 9 - 18.

9. Atrium quoque fecit in angulo, qui eſt verſus meridionalem plagam, & tapetes atrii erant ex byſſo torta centum cubitorum.

Fecit & atrium, in cujus Auſtrali plaga erant tentoria de byſſo retorta, cubitorum centum.

10. Columnæ earum erant viginti, & baſes earum æneæ viginti; uncini autem columnarum, & cincturæ earum argenteæ.

Columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

11. Verſus angulum aquilonarem (tapetes) centum cubitorum, columnæ earum viginti & baſes earum æneæ viginti, uncini columnarum & cincturæ earum erant ex argento.

Æque ad Septentrionalem plagam tentoria, columnæ, baſesque, & capita columnarum ejusdem menſuræ, & operis ac metalli, erant.

12. Ad angulum occidentalem erant tapetes quinquaginta cubitorum, columnæ earum decem, & baſes earum decem, uncini vero columnarum & cincturæ earum erant ex Argento.

In ea verò plaga, quæ ad Occidentem reſpicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

13. Ad angulum Orientalem tapetes quinquaginta cubitorum.

Porro contra Orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria.

14. Erant autem tapetes quindecim cubitorum ad latus, columnæ earum tres & baſes earum tres.

E quibus, quindecim cubitos, columnarum trium, cum baſibus ſuis unum tenebant latus.

15. Ex alio deinde latere hinc & illinc ad portam atrii tapetes quindecim cubitorum cum columnis ſuis tribus & baſibus earum tribus.

Et in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & baſes totidem.

16. Omnes tapetes atrii per ambitum erant ex Byſſo torta.

Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat.

17. Ba-

17. Baſes vero columnarum æneæ erant, & uncini columnarum & cinčturæ earum argenteæ, capita vero earum obducta erant argento, & cingebantur cingulis argenteis omnes columnæ atrii.

Baſes columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argentea: ſed & ipſas columnas atrii veſtiuit argento.

Vide Exod. XXVII. 9.

Exod. Cap. XXXVIII. verſ. 18. 19. 20.

18. Velum vero, quod erat in porta Atrii, erat opus Phrygium ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta, habens viginti cubitos in longitudine, & in altitudine ac latitudine quinque cubitos ſecundum Proportionem tapetium atrii.

19. Columnæ earum erant quatuor, & baſes earum quatuor æneæ, uncini autem earum argentei, & obductio capitum earum, atque cincturæ earum ex argento.

20. Omnes quoque claui Tabernaculi & Atrii per circuitum erant ænei.

Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat, juxta menſuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.

Columnæ autem in ingreſſu fuere quatuor cum baſibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ.

Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.

Vide Loc. cit.

Exod. XXXIX. 1 - 6.

1. De hyacinthino vero (ſerico) purpureo, & coccino bis tincto fecerunt veſtes (quidam dicunt Miniſterii: poſſet etiam dici inuolucra) inuolutionis, quæ ſeruirent ſanctuario.

2. Et fecit Ephod ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo torta.

3. Et diduxerunt bracteas aureas, ut abſcinderentur faſciæ, quæ texebantur inter hyacinthum, purpuram, & coccum bis tinctum, & byſſum, opere ſcilicet Polymito.

De hyacintho verò & purpura, vermiculo ac byſſo, fecit veſtes, quibus indueretur Aaron, quando miniſtrabat in Sanctis.

Fecit igitur ſuperhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.

Opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & extenuauit in fila, ut poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine.

5. Textura Polymita limbi ejus, quæ erat ſuperne, in eo erat, quemadmodum opus ejus, quin ex ipſo fuit, nempe ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo torta, quemadmodum præceperat DOMINUS Moſi.

Et baltheum ex eisdem coloribus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

Vide Exod. XXV. 2. 3. 4.

Exod. Cap. XXXIX. verſ. 6 - 13.

6. Fecerunt quoque lapides Schoham circumdatos aureis ſpintribus, ſculptos cælaturis ejus, qui ſigna cælat cum nominibus filiorum Iſrael.

Parauit & duos lapides Onychinos, aſtrictos & incluſos auro, & ſculptos arte gemmaria nominibus filiorum Iſrael.

7. Et poſuit eos in humeris Ephod, ut eſſent lapides Monumenti pro filiis Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moſi.

Poſuitque eos in lateribus ſuperhumeralis, in monimentum filiorum Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

8. Fecit & Pectorale opere textili polymito, quemadmodum opus humeralis, ex auro, hyacinthino, (ſerico) purpureo, coccino bis tincto & byſſo torta.

Fecit & rationale opere polymito juxta opus ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.

9. Quadratum fuit, atque duplicatum fecerunt pectorale illud, cujus longitudo palmum habebat, & latitudo palmum duplicatum.

Quadrangulum duplex, menſuræ palmi.

10. Et impleuerunt ipſum quatuor Ordinibus gemmarum. Ordo Sardonychis, Topacii & Smaragdi Ordo unus.

Et poſuit in eo gemmarum ordines quatuor: in primo verſu erat Sardius, Topazius, Smaragdus.

11. Secundus Ordo Carbunculi, Sapphiri & Adamantis.

In ſecundo: Carbunculus Sapphirus & Jaſpis.

12. In tertio Ordine, Lyncurius, Achates & Amethyſtes.

In tertio: Ligurius, Achates, & Amethyſtus.

13. In quarto ordine, Hyacinthus, Onyx & Jaſpis, circumdati palis aureis, quibus erant inſerti.

In quarto: Chryſolithus, Onychinus, & Beryllus, circundati & incluſi auro per ordines ſuos.

Vide Exod. XXVIII. 9 - 15.

Exod. Cap. XXXIX. verſ. 22. 24.

22. Ad Ephod fecit interulam laxiorem, opere textili, quæ fuit tota hyacinthina.

Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam.

24. Fe-

24. Feceruntque in fimbriis interulæ mala punica ex hyacinthino (ſerico) purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta.

Deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo ac byſſo retorta:

Vide Exod. XXVIII. 31. 33.

Exod. Cap. XXXIX. verſ. 27. 28. 29.

27. Fecerunt quoque tunicas byſſinas opere textili pro Aharone & filiis ſuis.
28. Et tiaram byſſinam, & pileolos byſſinos decoros, & femoralia linea ex torta byſſo.
29. Et Zonam ex byſſo torta, hyacinthino, (ſerico) purpureo, & coccino bis tincto opere Phrygio, quemadmodum DOMINUS Moſi præceperat.

Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron & filiis ejus.

Et mitras cum coronulis ſuis ex byſſo; feminalia quoque linea, byſſina:

Cingulum verò de byſſo retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo, diſtinctum arte plumaria, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

Vide Exod. XXV. 4.

Exod. Cap. XXXIX. verſ. 34.

Et tegumentum ex pellibus arietinis rubris, & tegumentum ex pellibus melium, & velum obtentionis.

Opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de hyacinthinis pellibus.

Vide Exod. XXV. 5.

Exod. Cap. XL. verſ. 38.

Nam nubes DOMINI erat ſuper Tabernaculum interdiu, & ignis erat in eo noctu coram oculis uniuerſæ domus Iſrael, in omnibus profectionibus ſuis.

Nubes quippe DOMINUS incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas.

Vide Exod. XIII. 21.

TAB. CCXXIII. CCXXIII. a.

Leuit. Cap. I. verſ. 2. 3.

Loquere ad filios Iſrael, & dic ad eos. Si quispiam adduxerit ex vobis Sacrificium DOMINO, ex animalibus his, nempe de bobus & ouibus adducetis ſacrificia.

Si Holocauſtum fuerit ſacrificium ejus ex armento, adferat (vitulum) marem integrum, & adducat eum ad Oſtium Tentorii conſtitutionis, ut acceptus ſit ipſe coram DOMINO.

Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam DOMINO; de pecoribus, id eſt, de bobus & ouibus offerens victimas.

Si holocauſtum fuerit ejus oblatio, ac de armento, maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonii, ad pacandum ſibi DOMINUM.

Maneant immundis Diis Sacrificia immunda, Soli Equi, Marti Lupi, Priapo Aſini, Cereri Sues, Hecate Canes. Seligit ſibi ſanctiſſimus DEUS ex Animantium genere ea, quæ munda ſunt, *Boues*, *Oues* & *Capras*, nam heic צאן *Tſon* non *oues* duntaxat, ut in proprio ſenſu, notat, ſed & *Capras*. vid. ad Gen. XII. 16. Fuere & munda hæc tria Gentilibus Sacra. Sanè *Achilles* ille apud *Homerum Iliad.* fere ab initio dubius hæret, an Græcis peſtem immiſerit Apollo propter neglecta hujusmodi Sacrificiorum vota.

Εἴτ᾽ ἄρ᾽ ὅγ᾽ εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴτ᾽ ἑκατόμβης.
Αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελείων
Βȣ́λεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι;

Animantium Sacrificiis deſtinatorum agmen ducit *Bos*, *major* illa *Hoſtia Liuio*: unde *victimæ opimæ*, & *lautiſſima Deorum placatio. Plin.* L. VIII. c. 45. Hinc in Veterum prouerbiis, βȣθυτεῖν, *magnificos facere ſumptus*, βȣθυσία, *ſplendidus apparatus. Eraſm. Adag.* 2150.

Primatum tenet inter victimas *Bos*, inter ſacrificia *Holocauſta*, quæ & offendimus ad Gentilium Aras. Occurrit τὸ ὁλοκαυτεῖν apud *Xenophontem* L. VII. & VIII. *Cyrop.* ubi de Tauris Joui, Equis Soli oblatis: *Strabonem* L. IV. ubi de omnis generis Beſtiis, etiam Hominibus: *Plutarchum Sympoſ.* L. VI. *Probl.* 8. Licet illi plerumque non integras cremarint hoſtias, ſed partem duntaxat, & reliqua ſeruarint in Conuiuia Sacrificiis juncta. Ita *Homerus Odyſſ.* ξ. v. 429. de *Eumæo.*

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτȣ ἀκτῆ,
Μίσυλλον τ᾽ ἄρα τ᾽ ἄλλα, καὶ ἀμφ᾽ ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

Et partem quidem in Ignem jecit, ubi
commiſcuiſſet farinæ flore,
Alia verò minutatim ſecuerunt, & verubus confixerunt.

Poſcit Legislator in Holocauſtum *Bouem marem* & *integrum*. Id quoque obſeruatum *Ægyptiis. Herodot.* L. II. c. 41. τȣ̀ς μὲν &c. *Boues mundos, eosque mares ac vitulos uniuerſi Ægyptii immolant: fœminas autem immolare ipſis non licet.* Quas in aliis ſacrificiis admittebant Hebræi. Hebræorum תמים *thamim* ἄμωμον reddunt Græci, alibi τέλειον. vide plura ad Exod. XII. 5. *Bochart Hieroz.* L. II. c. 32.

Βοοθυσίαν Gentibus ſacram exhibent Numismata ex Cimeliarchio Galliæ Regis moduli maximi, *Antonini Pii*, *Marci Aurelii*, *Gordiani* III. *Treboniani.* Tab. CCXXIII. a.

TAB.



LEVITICI Cap. I. v. 2. 3.
Sacrificia ex mundis.

III. Buch Moſis Cap. I. v. 2. 3.
Opfer von reinen Thieren.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



LEVITICI Cap. I. v. 2. 3.
ΒΟΟΘΥΣΙΑ Gentilium.

III. Buch Moſis Cap. I. v. 2. 3.
Der Heyden reine Ochſen-Opfer.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. I. v. 8. 14.
Holocauſta ex Adipe et Avibus.

III. Buch Moſis Cap. I. v. 8. 14.
Opfer von Fett und Vögeln.

G.D. Heüman sculps.

TAB. CCXXIV.

Leuit. Cap. I. verſ. 8. 14.

8. Caput videlicet & exta ſuper Ligna, quæ ſunt in Ara ſuper Ignem.
Quidam pro *extis Truncum* legunt.
14. Si verò Holocauſtum quis DOMINO offerre voluerit ex auibus, adducat de Turturibus aut pullis Columbarum Sacrificium ſuum.

8. Et membra quæ ſunt cæſa, deſuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent Jecori.
14. Si autem de auibus, holocauſti oblatio fuerit DOMINO: de turturibus & pullis columbæ.

Vocem, quæ heic v. 8. 12. item VIII. 20. occurrit, פֶּדֶר *peder*, non accipiunt eodem ſenſu omnes. *Pagninus* exponit *Adipem, Caſtellio Sebum, Junius Inteſtina*, ita & Nos *Exta*, diſſimiles nobis, qui in Vernacula Verſione habemus *Feiſte*. *Schindlerus Diaphragma*: *Mercerus Truncum Corporis, dempto Capite & Cruribus*: *Münſterus Reticulum quod ſuper Hepar poſitum inuenitur*. Sunt & Veteres incerti. *Jonathan* exponit גוף *gupb, Corpus*: *Hieronymus ea omnia, quæ Jecori adhærent*. Arabs Pariſiis editus *fiſtulam*, nempe Jecoris, τὴν τȣ̃ ἥπατος σύριγγα, ut legitur apud *Hippocratem Lib. de Nat. Muliebr.* id eſt, *Venam Cauam* it. *Portæ*: imò ſpecialiori adhuc ſenſu *Venam Portæ*, cui ſi jungamus Partes, ex quibus hæc vel oritur, vel in quas ea inſeritur, nempe Ventriculum, Inteſtina, Lienem, Meſenterium, Omentum, Pancreas, Hepar, habebimus fortè Interpretationem omnium optimam, & ſimul plerarumque ſententiarum conciliatricem. Plerisque verò notat ςέαρ, *Adipem*, eamque, ſi ad Etymon פָּדַר *ſeparare*, attendamus, à carne ſejunctam. conf. Leu. III. 9. IV. 35. ut flamma aleretur, & citius abſumeret victimam, inprimis, ſi ei ſuperponeretur. Ita quoque Græci Joui ſacra facientes.

Μηρȣ̀ς τ' ἐξέταμον, κατὰ δὲ κνίσσῃ ἐκάλυψαν,

Femora inciderunt, & adipe adoperuerunt.

Homer. Iliad. β. v. 423. *Bochart. Hieroz.* L. II c. 45. Breuiori via inuenimus vocis *peder* Etymon, ſi ſumamus Arabicam vocem *parada*, quæ præter alia ſignificat *obeſitatem*.

De *Columbis* occurrunt multa paſſim. Sacrificiorum ex hoc Auium genere fit heic v. 14. mentio, frequens in Leuitico V. 7. 11. XII. 6. XIV. 22. XXV. 14. 29. Num. VI. 10. Ante Legem Abrahamus DEO offerre juſſus *Turturem* & *Columbæ pullum*. Gen. XV. 9. Fuerunt & Gentilibus Sacrificia ex Columbis. *Propertius* L. IV. *Elegiâ ad Lenam*.

Sed cape, Torquatæ, Venus O Regina, Columbæ
Ob meritum ante tuos guttura ſecta focos.

Ouidius L. I. *Faſtor.*

Ergo ſæpe ſuo conjux adducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.

Hoc Animantium genus DEUM prætuliſſe volunt propter puritatem, caſtitatem, ſimplicitatem, manſuetudinem, & alias virtutum umbras, umbras dico, quia propriè ita virtutes Brutis non competunt. Et fuerunt hæc Sacrificia inprimis tenuiorum. Leuit. V. 7. XII. 6. Unde colligi poteſt paupertas Diuæ Virginis, quæ poſt purificationem obtulit ζεῦγος τρυγόνων ἢ δύο νεοσσȣ̀ς περιστερῶν. Luc. II. 24. v. *Bochart Hieroz.* P. II. L. I. c. 5.

TAB. CCXXV.

Leuit. Cap. III. verſ. 4. 16. 17.

4. Et duos Renes, & Adipem, qui eſt circum eos, & ſuper Omentum illorum, & Reticulum, quod eſt ſuper jecur, una cum Renibus tollet.
16. Et adolebit ea Sacerdos in Ara, cibarium Sacrificium, quod Igne confit, ut ſit ad odorem ſuaueolentem DOMINO omnis Adeps.
17. Ritus hic perpetuus ſit ad poſteros veſtros, per cunctas habitationes veſtras, ut nullum Adipem, nullumque Sanguinem edatis.


4. Duos Renes cum Adipe, quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis.
16. Adolebitque ea ſuper altare ſacerdos in alimoniam ignis & ſuauiſſimi odoris.
17. Omnis adeps, DOMINI erit jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris : nec ſanguinem nec adipem omnino comedetis.

VExat Interpretes vox כְּסָלִים *Ceſalim* v. 4. obuia, & v. 10. 15. IV. 9. VII. 4. ubi de Boue, Oue & Capra, item Job. XV. 27. Pſal. XXXVIII. 8. ubi de Homine. Hebræi Recentiores reddunt *Ilia*, ut *Aquila* λαγόνας *Symmachus* ψόας vel ψύας, partes Lumborum muſculoſas: notus in Scholis Anatomicorum *Pſoas* Muſculus, unus ex totius Corporis Sapidioribus, nobis *Schlauchbraten*. Seniores in Jobo & alibi μηροὺς & μήρια, *Femora*. *Hieronymus* in Leuitico *Ilia*, in Jobo *latera*, in Pſalmo *Lumbos*. Inde Nos *Lenden*. Sunt certe כְּסָלִים partes Renibus proximæ, eæque adipoſæ. Patet id ex Textu. Et ex כֶּסֶל *Ceſel* Græcorum ἰξὺς, quod *Lumbum* notat, deriuat *Boch. Hieroz.* P. I. L. II. c. 46. Igitur per כְּסָלִים intelligi poſſunt & debent illæ Abdominis caui partes, quæ à Renibus ſeſe extendunt ad Oſſis Ilii Spinam & Peluim, quibus Pinguedo ſolet incumbere, auellenda pro ſacrificio.

De *Adipis* præſtantia diſſerui ad Exod. XXIX. 13. Sed hîc è medio tollenda eſt ἐναντιοφάνεια. Eſt juxta Legem heic expreſſam *omnis Adeps* DOMINO; & interdicitur Judæis *Sanguinis & Adipis omnis eſus.* & Leuit. VII. 23. *Omnem Adipem Bouis & Ouis, atque Capræ non comedetis.* Imo v. 25. additur pro transgreſſoribus ſeueriſſima interminatio. *Omnis qui Adipem Animalis, quod adducitur ad ſacrificium, quod Igne confit DOMINO, comederit, Anima illa edens excindetur è populis ſuis. (Si quis Adipem, qui offerri debet in incenſum DOMINI, comederit, peribit de populo ſuo.)* Obſtare videtur benedictio illa, qua DEUS Populo ſuo concedit *Adipem Agnorum & Arietum è Baſane, & Hircorum.* Deut. XXXII. 13. 14. Varia ſunt, quæ quærunt, effugia, Doctores Judæi. Violatæ Legis reum volunt, qui per ſuperbiam comederit, non qui per errorem. Prohiberi non omnem Adipem, ſed Bouis, Ouis & Capræ, eumque duntaxat, qui tegit exta, Renes & Ilia, quem adoleri jubet DEUS Leuit. III. 9. 10. Eum proin, qui Carnem ambit, non qui in media carne latet. Unde apud illos valet Axioma. *Ubicunque repereris Adipem ſub carne, & carnem illam undequaque ambientem, ita ut non appareat, niſi caro dilaceretur, illius Adipis eſus conceſſus eſt.* v. *Maimon. Tractat. de vetitis cib.* c. 7. §. 1. 5. 8. Notandum heic, Adipem non ſolum eſſe in cauo Abdominis, ſed & ſub cute Muſculis inſtratum, imo illis ita ſæpe intertextum, ut nonniſi ſummo labore, & Anatomici dextrâ induſtria inde ſeparari queat, & proin haud probabile ſit, tantam adhiberi potuiſſe ſolertiam, ut omnis omnino Adeps Animantium eſui deſtinatorum auferri debuerit, aut à Menſis prorſus excludi. Imo diſtinctè præcipit DEUS Leu. IV. 8. 9. qualem velit Adipem, ne ſcrupulum fortè injiciat Præceptum generale, & ad omnem omnino totius Corporis applicetur. *Et omnem Adipem juuenci, qui eſt ſacrificium pro peccato tollendo ſeparabit ex eo, nempe Adipem, qui obtegit Ventrem, & omnem Adipem, qui eſt circa Inteſtinum. Sed & duos Renes, & Adipem, qui eſt ſuper eos, & ſuper Ilia, & reticulum Jecoris cum Renibus tollet. (Et adipem vituli offeret pro peccato; tam eum qui vitalia operit, quam omnia quæ intrinſecus ſunt: Duos Renunculos, & reticulum, quod eſt ſuper eos juxta ilia, & adipem Jecoris cum renunculis.)*

TAB.

TAB. CCXXV.



LEVITICI Cap. III. v. 4-16. 17.
Renes cum pinguedine et omento.

III. Buch Moſis Cap. III. v. 4-16. 17.
Nieren mit Fett und Netze.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

Rec'd Apr. 28, 1886

JA731
S328p
v.1
2-SIZE